INVENTA LEVE IVT
FRANCISCUS PRÆPOSITUS
CANT
REGG. IN POLLING. Anno 1744
QUONIAM SUSCEPISTI
EXALTABO TE



<36700006870017

<36700006870017

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MONUMENTA HISTORICA BOEMIÆ NUSQUAM ANTEHAC EDITA,

QUIBUS

NON MODO PATRIÆ, ALIARUMQUE VICINARUM REGIONUM, SED ET REMOTISSIMARUM GENTIUM HISTORIA MIRUM QUANTUM ILLUSTRATUR.

COLLEGIT,

ET PARTIM EX AUTOGRAPHIS, PARTIM EX LEGITIMIS APOGRAPHIS CODICIBUS RECENSUIT, CUM ALIIS MANUSCRIPTIS EXEMPLARIBUS CONTULIT, PLURIBUS ANIMADVERSIONIBUS, AERIQUE INCISIS VETUSTATIS RELIQUIIS ADORNAVIT, DENIQUE LOCUPLETISSIMO INDICE INSTRUXIT

P. GELASIUS DOBNER A S. CATHARINA
E CLERICIS REGULARIBUS SCHOLARUM PIARUM.

TOMUS VI.

QUO COMPREHENDUNTUR

Historia diplomatica Brzewnovienſis primi in Bohemia monaſterii, Ordinis S. Benedicti ab anno 993 usque ad annum 1726.

Franciſci Canonici Prag. liber tertius Chronicæ Pragenſis editis exemplaribus locupletior Caroloque IV. inſcriptus ab anno 1333 usque ad annum 1353.

Fragmentum codicis præbendarum diſtributionum & officiorum eccleſiæ S. Georgii in caſtro Prag. Sæculi XIV.

Diplomatarium exſtincti monaſterii Wiſſemovienſis Ordinis S. Benedicti ab anno 1214 usque ad an. 1577.

Memorabilia monaſteriorum Brzewnovienſis & Rayhradenſis in Moravia Sæculi medii XVI.

Anonymi brevis compilatio chronologica ab anno 1310 usque ad annum 1432.

CUM FACULTATE CENSURÆ REGIÆ ET SUPERIORUM ORDINIS,

NEC NON

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE APOSTOLICÆ MAJESTATIS PRIVILEGIO.

PRAGÆ, Literis Roſenmüller Hæredum, Joanne Beranek Factore, 1785.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Non parum ad vitæ humanæ alternas delicias, moresque & prudentiam antiquitatis conſideratio confert, eaque ex monumentis, numis, imaginibus, inſcriptionibus eruta. Quippe ex iis majorum, qui ante nos fuerunt, ingenium cognoſcimus, & ad imitandum provocamur, quod ſupra nos excellentius illis natura & induſtria indulſit, ac fragilitatis etiam conditionis noſtræ monemur. *Theatrum Vit. hum. T. I. p.* 473.

Multa veterum prudentiæ atque experientiæ monumenta cum arte ſcripta claram & manifeſtam rerum geſtarum effigiem exhibent nobis, qui per ætatem ſpectare ipſi nequivimus. *Julianus Apoſtata in oratione ad Euſebiam Auguſtam.*

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PERILLUSTRI
AC
AMPLISSIMO
DOMINO DOMINO
FRANCISCO STEPHANO RAUTENSTRAUCH
SACERRIMI ET ANTIQUISSIMI ORDINIS S. BENEDICTI IN CELEBERRIMO ARCHISTERIO BRZEWNOVII, TUM BRAUNÆ ET POLICII
ABBATI.
WALSTADII IN SILESIA
PRAEPOSITO
RAYHRADII IN MORAVIA PATRI ABBATI AC VISITATORI PERPETUO,
REGNI BOHEMIÆ PRÆLATO INFULATO,
SACRÆ CÆS. REG. ET APOSTOLICÆ MAJESTATIS ACTUALI
AULICO CONSILIARIO.
FACULTATIS THEOLOGICÆ IN UNIVERSITATE VINDOBON. ET PRAGENSI
PRÆSIDI.
ATQUE STUDII THEOLOGICI
DIRECTORI.
COMMISSIONUM AULICARUM IN CAUSIS ECCLESIASTICIS, REBUS LITTERARIIS, ET CENSURA LIBRORUM
ASSESSORI.
MÆCENATI SUO
REVERENTISSIME COLENDO
CUM VITÆ FELICITATE PERENNITATEM.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Duplicem de litteris bene merendi rationem ſtatuit antiquitas; unam eorum, qui conſcribendis in uſum poſteritatis libris ſeſe ipſi addicunt, eorum alteram, qui aliorum conatus & molimina conſilio atque ſubſidiis ad ſcribendum ſuppeditatis adjuvant: utrique, rempublicam litterariam plurimis incrementis cumulanti, & hi, qui ad eruditionem cum aliis communicandam aliorum ope excitantur, & illi, ad quos hujus fructus perveniunt, nominibus ſe eſſe obſtrictos quam plurimis profitentur. Quod peculiare laudis genus ex alterutro hoc in litteras merito emanans conſecutos quidem fuiſſe bene multos deprehendimus; at qui utroque inclaruerint pauci admodum ab omni retro antiquitate numerantur. Qui enim animum ad ſcribendum appulerunt; rerum abundantiam, qua curtam aliorum ſupellectilem augere potuiſſent, dum in uſus ſuos converterunt, eam ſibi duntaxat laudem comparariunt, quæ

Digitized by Google

quæ ad primam illam de litteris bene merendi rationem conſequi ſolet: &, licet alteram ſibi acquiſiverint alii, rem aliorum anguſtam depromptis ex ſuo acceſſionibus locupletando, priore illa tamen potiſſimum exciderunt, quod in luce poſiti rerum magis agendarum, quam ſcribendarum curis obruerentur.

Utrumque hoc laudis genus quantum quantum eſt, quod certe maximum eſt, TIBI REVERENDISSIME AC AMPLISSIME DOMINE DOMINE ABBAS *proprium reddidiſti. Licet enim pro officiorum* TUORUM, *quibus graviſſimis fungeris, ratione* TIBI *Ipſi, nedum litteris eriperis, ſcribis tamen; eorumque, a quibus in lucem edendis publicorum negotiorum mole prohiberis, alios, pro ſingulari* TUO *de orbe litterato bene merendi ſtudio, reddere*

re participes non dedignaris. Quod ſcribas; Virorum ſapientiſſimorum calculis a ſtili elegantia, argumenti gravitate, rationum pondere probatos, quos edidiſti libros, teſtes appello: quod aliis ſubſidia non deneges, præſentis Tomi potiſſima monumenta, vadem prædemque ſiſto.

Quæ dum in memoriam revoco, revoco autem quam ſæpiſſime, rationibus, quibus ad hiſtoricas meas lucubrationes, alias editas, Illuſtribus Viris dedicandas impellabar, conſideratis, non poſſum non obſervare, imo non erubeſcere in TE *unum me adhuc minus, quam par erat, officioſum fuiſſe. Neque vero hanc inofficioſi notam facile a me depellerem, niſi, quod nunc in lucem emitto, opus titulo peculiari, jureque nulli, niſi* TIBI *proprio Nomini* TUO *inſcribere jam pridem apud animum meum conſtituiſſem.*

TUUS

TUUS *igitur ſit* REVERENDISSIME AC AMPLISSIME MÆCENAS, *Tomus iſte, quando quidem idgemus aliquod grati animi monumentum* TUA *in litteras merita ſibi jure expoſcunt;* TUUS *ſit, quem ex locupletiſſimo venerandæ antiquitatis ſacrario in antiquiſſimo Sacerrimi Ordinis* TUI *Brzewnovienſi Archiſterio plurium ſæculorum ſpatio ſtudioſiſſime cuſtodito, & ſanctiſſime conſervato* TE *benevolentiſſime annuente, imo jubente depromptum, quaſi abs* TE *acceptum, non alteri, atque* TIBI, *non tam quaſi munus aliquod offerri ac dari, ſed commodati inſtar una cum fœnore, quod ſive ego, ſive poſteritas ex eo collectura eſt, reddi oportet.*

Atque his, adjecta obteſtatione, ut præſens gratiſſimæ mentis teſtimonium benevole ſuſcipias, recentiorum ſcripto-

ptorum more abſolvi potuit dedicatio, quibus ejusmodi officioſæ epiſtolæ genus tribus, quod ajunt, verbis comprehendere ſolemne eſt. Sed hiſtorici perſona, quam ſuſtinere ſatago, quæque his conſtringi arctis finibus nec poteſt, nec audet, longius me excurrere cogit, ne, qui præterita e tenebris in lucem protraho, de præſentibus tacens committam, ut poſteritas jure in me dammet, ſi Prædeceſſorum TUORUM *cum in conſervandis tum augendis, quibus nunc ſumma cum poteſtate præes, rebus præclare facta hoc ipſo in Monumentorum Brzevnovienſium Tomo lectura, ea, quæ ad* TE, *regiminisque* TUI *cognitionem pertinent, aut nuſpiam, aut tantum quaſi digito intento eminus ſolum indicata deprehendat.*

Ne-

Neque hæc longius petenda ſunt, quandoquidem ad duplicem illam laudem, qua me ad præſentem librum REVERENDISSIMO NOMINI TUO *inſcribendum impulſum dixi, quaſi ad totidem meritorum* TUORUM *capita omne decus* TUUM *per quam opportune revocare licet. Redeo proinde eo, ubi* TE *ipſum ſcribere dixi, cujusque teſtes libros abs* TE *concinnatos appellavi. Agmen ducant Prolegomena in Jus eccleſiaſticum Pragæ Anno* 1769. *typis vulgata; tum Inſtitutiones Juris eccleſiaſtici cum publici, tum privati Germaniæ accommodatæ itidem Pragæ anno* 1772. *editæ. Abſit, ut laudum freqnentiam, quam ex utraque hac lucubratione conſecutus es, oratorio verborum apparatu exornem, atque exaggerem: ſcriptis iſtud publicis, & illuſtri fama præſtitum vidimus. Ut alios præteream ſilentio, qui de his magnifice ſenſe-*

runt,

runt, & ſcripſerunt; Eruditi Berolinenſes Bibliothecæ ſuæ Tomo XIV. judicium TUUM *limatiſſimum, ſanam Philoſophiam, criſim perfectiſſimam ſe in his deprehendiſſe, easque ſibi eſſe ſigni inſtar ad plurima bene ſperanda ſublati profeſſi ſunt; id quod luculentiſſimo comprobarunt teſtimonio, dum effigiem* TUAM *Tomo L. ejusdem Bibliothecæ præfixerunt.*

Quantum porro vel primæ illi Prolegomenum opellæ pretium ſtatuerit ſempiterna memoria digniſſima AUGUSTA MARIA THERESIA, *teſtis aureus numus eſt, donum nonniſi Viris illuſtri aliquo facto conſpicuis conferri ſolitum, quo ſtudia* TUA *remunerari,* TEque *ad ea, quæ ſibi de* TE *pollicebatur, præſtanda incitare eſt dignata. Neque vero voti damnata eſt. Non commemorata enim de*

Digitized by Google

de jure Principis præfigendi profeſſioni monaſticæ ſolemni maturiorem ætatem Diatriba, qua Anno 1773 *in lucem emiſſa decreti Auguſtiſſimæ hac de re editi auctoritatem non tam propugnaſti, quam vindicaſti; iis quæ ad Theologicum ſtudium reformandum conſcripſiſti, ſpem & exſpectationem de* TE *conceptam adeo expleviſti, ut ipſa etiam vota ſuperaſſe dici poſſis. Inſtitutum facultatis Theologicæ Vindobonenſis, Theologiæ Dogmaticæ Methodus, Theologiæ Paſtoralis germanico idiomate tradendæ delineatio tabellis propoſita, Sciagraphia inſtitutionum hermeneuticarum Veteris & Novi Teſtamenti, Patrologiæ & Hiſtoriæ litterariæ Theologicæ conſpectus, cætera, tum ad hanc tum ad alias ſeveriores diſciplinas primævo ſplendori reſtituendas adornata, quantis non tam litterariam, quamvis & hanc plurimis, ſed univerſam Chriſtianam rempubliam fructibus cumularunt!*

Volebat Pientiſſima Princeps quaſi novo quodam ſpiritu animatos Theologorum nonnullos, ut, qui inutilibus, ac ſæpe numero noxiis diſputationibus adſueti eſſent, frivolis opinationibus, quaſi totidem contentionum ſeminibus reciſis, ad ſobrietatem ſapere edocerentur. Quod ut effectum daret, eo conatus EJUS *omnes, omnia collineabant ſtudia, dum abolito illo, quo divina hæc ſcientia fere jam paſſim tradebatur ordine, novum, & quod caput eſt, faciliorem inducere, atque ſcientiis vix nomine apud plerosque notis, ad perfectum autem Theologum efformandum omnino neceſſariis, eam locupletare conſtituit; ut diverſæ pro ratione & numero Theologicorum Magiſtrorum adverſantes repugnantesque Sectæ unanimiter Theologiam ad mentem æternæ æterni Patris Sapientiæ Jeſu Chriſti conformarent, haberetque Eccleſia Theologos non tantum ſcho-*

ſcholaſticos, ſed eorum, quales Apoſtolus vult, ſimillimos, qui cognoſcerent Deum, & cognitum ſicut Deum operibus ſuis glorificarent. Atque ad iſtud perficiendum quam expeditam viam ſyſtema TUUM *reddiderit, Roma, Catholici Orbis Caput, teſtatum fecit. Cum enim non deeſſent magni nominis Viri, qui pro muneris ſui ratione vigilantes, novitatis quidpiam in eo ſubvererentur, & ſiniſtros magis metuentes, quam proſperos ſperantes eventus (id quod Viris prudentiſſimis in rebus dubiis evenire obſervat Tullius) idem Romam miſiſſent; illic ad examen vocatum ita probatum eſt, ut, quod litteris ſuis Viennam Roma datis Eminentiſſimus Cardinalis Hrzan ab Harras teſtatus eſt, religioſiſſimi Cenſores Romani affirmare non dubitaverint, hanc Theologiæ tradendæ eſſe methodum, qua nullam concinnius, ſolidiusque elaboratam pluribus retro annis Roma viderit.*

Lon-

Longius hic campo mihi patente quam liberrimo excurrere poſſem : qui autem conſtitui non admittere, ut de TE *non dictum quidpiam poſteritas a me deſideret, quam parum propoſito meo, ſi hic diutius morer, ſatisfacturus ſim, probe video. Vivam quidem ingenii* TUI *ad ſumma nati factique in operibus mox memoratis, quicunque illa lecturi ſunt, deprehendent imaginem, ſed plus eos edoceri oportet, quam ſolum id, quod fronte præfixum obſervabunt:* FRANCISCUM STEPHANUM RAUTENSTRAUCH *eorum Auctorem eſſe. Unde igitur exordiendum? A prima, quam Plattendorfii in Bohemia anno* 1733 *die* 26 *Julii aſpexiſti luce? atque adeo a teneris unguiculis ad ætatem illam progrediendo, qua humanioribus litteris Pragæ operam dans omni laude inter condiſcipulos excellebas? An potius abc anno* 1751, *quo in Sacerrimo S. Benedicti Ordine Brau-*

næ

næ ſolemnia Deo vota nuncupaſti, inde usque repetendo ſingularia ingenii & induſtriæ ſpecimina, quæ Philoſophiæ, Theologiæ, ac Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ atque civili domi primum, tum in Alma Univerſitate Pragenſi vacans plane illuſtria dediſti? Rubore, pro congenita TIBI *modeſtia, vultum* TUUM, *cum hæc legis, ſuffundi video, mihique omnes* TUAS *præclaras pueritiæ & adoleſcentiæ dotes recenſere meditanti, ſilentium imperare, atque illud viris ſolida virtute præditis proprium ſuccclamare: Bonus eſſe malo, quam videri. Ego vero hæc, non quaſi exigua ſint, aut inania, ſed quod ita* TE *velle non dubitem, libens prætereo: non ex floribus, quibus fructuum ſpem uberrimam facientibus hæc comparari poſſunt, ex fructibus cognoſcendus es. Ad annum ergo* 1758, *quo die* 15 *Octobris ſacerdos conſecratus es, mentem reflecto:*

jam-

jamque tum fratribus TUIS *in Philoſophicis, Theologicis, ac Jurisprudentiæ diſciplinis* TE *facem prætuliſſe contemplor. En fructus! alios illorum, qui* TE *ducem ſequebantur;* TUOS *alios, cui via ad veram ſapientiam indies clarior, lucidiorque reddebatur. Nihil agerem ſi fructuum iſtorum copiam & præſtantiam aut recenſere, aut extollere conarer: præſtiterunt id illi, qui, quod maximum pro his pendere potuerunt,* TIBI *perſolverunt, dum anno* 1773 *die* 13 *Martii* TE *ſibi Abbatem eligentes dignitatem* TIBI *hanc, non quaſi a* TE *optatam, ſed quaſi debitam contulerunt.*

Et, cum bene merita optime cognoſcantur ex pretio, quod eis ab Illis ſtatuitur, quorum intereſt de præclare factis judicium ferre, eaque remunerari: de TUIS *mune-*

ra

Digitized by Google

ra cum publica dignitate conjuncta TIBI *ab Auguſtiſſima delata me etiam tacente palam loquuntur. Quod Doctoris titulo & inſignibus decoratus, quod Director Facultatis Theologicæ & ſtudiorum ac librorum Commiſſionis Pragæ Aſſeſſor renunciatus fueris, quod ſyſtema Theologici ſtudii conficiendum* TIBI *ſit delatum, quod eo approbato, ac omnibus per provincias Auſtriaco juri ſubjectas Univerſitatibus & Lycæis præſcripto Vienna reduci cura ſtudii Philoſophici Pragæ reformandi fuerit demandata, quod hinc Viennam evocatus præter Pragenſe, cui jam præfueras, Viennenſis etiam ſtudii Theologici Præſes fueris delectus: omnia hæc profecto præmia & vadimonia ſunt* TUORUM *non vulgarium meritorum.*

Atque hic, & ad tantos dignitatum gradus evectus,

ſub-

ſubſiſtere merito poteras, quaſi ſatis jam gloriæ, ſatis, quod abunde præſtitiſti, patriæ vixeris, at, qui honores hos non tanquam obſides futuræ perpetuæ conſummatæque felicitatis conſideraveras, probeque noveras, cum omnes non ſolis nobis nati ſimus, nemini unquam licere, donec uſura vitæ ſuppetit, ſoli ſibi vivere; a laboribus pro communi bono ſuſcipiendis animum non deſpondiſti, tum demum TE *felicem futurum perſuaſus, ſi quantum, & quamdiu per vires licuiſſet, in promovendis publicis commodis elaboraſſes. Obſervavit hos ardores, hos conatus Matre Magna Major Filius* JOSEPHUS II. *Imperator, in cujus animum, ut alia taceam, vel ſola Brunenſi expeditione, in qua ortas Profeſſores inter & Seminarii Præſidem diſſenſiones pro* TUA *ſingulari prudentia, ſumma rerum cognitione, & in agendis dexteritate compoſuiſti, adeo* TE *inſinuaveras; ut id-*

dignum judicaret, quem novis iisque præcipuis adhiberet negotiis, illustrioribusque ornaret dignitatum accessionibus. Hinc illud: quod Anno 1782 *Consiliarius Aulicus Actualis, & Cancellariæ Bohemicæ atque Austriacæ Assessor constitutus, atque illico ejusdem anni & mensis die* 26. *in numerum Commissionis Aulicæ in causis Religionis Assessorum relatus fueris.*

Quanta sunt hæc, quæ hucusque retuli! quanta quæ porro commemoranda, si animum rerum singulari instinctu ductuque gestarum, si virtutum quarumque peculiarium, quas in omni laborum cursu, in omni dignitatis gradu comites & administras semper habuisti, censum instituam? Quamvis nihil omnino interest hæc singillatim referre. Cum enim, quod ipsa experientia certum est, optimæ ar-

tes arctiſſimam cum virtute neceſſitudinem habeant, nec poſſit eas pro dignitate quisquam colere, aut in illis proficere, niſi ad ingenii culturam & doctrinæ copiam præclara quoque vitæ commendatio accedat, cum, unde de TUA *virtute concludi poteſt optime, deliciæ* TUÆ *Theologia & religio, religio & virtus uno eodemque ſpiritu vivant;* TU *porro non cæco fortunæ favore, ſed ſcientiæ & eruditionis meritis ad ſumma quæquæ eluctatus fueris: quis quamne exiſtat, qui virtutem veram cum omni comitatu ſuo in* TE *fixiſſe domicilium non agnoſcat. Non ultra progredior, qui ſingularum virtutum commemoratione in* TUAM, *quæ cæterarum cuſtos eſt, quæque in* TE *præcipue elucet, modeſtiam peccare vereor: cumque ex his, quæ non tam narrando quam commemorando in medium protuli, ſatis probatum exiſtimem, jure* TIBI *de litteris us-*

que

que adeo eminenter merito hanc grati animi ſignificationem, quam præſentium Monumentorum nuncupatione conteſtor, deberi; ad alterum, quod me hæc TIBI *dedicare plane adegit, breviter me converto, ut intelligas & meminiſſe me, a quo beneficium acceperim, & quantum benevolentiæ* TUÆ *debeam.*

Non quidem diffiteor a Friderico felicis memoriæ Prædeceſſore TUO *copiam mihi benevolentiſſime factam Brzewnovienſis Tabularii adeundi, atque ex monumentis illic adſervatis, quæ ad hiſtoriam patriæ facerent, depromendi: quod gratiæ genus quanti facerem, tribus ſupra decem abhinc annis teſtatum feci, cum Boleslai II. Bohemorum Ducis diploma primum vetuſtiſſimumque rei diplomaticæ in Bohemia monumentum omnibus priſcorum cha-*

rac-

racterum ductibus, verborum compendiis, cariei, plicarumque indiciis accuratiſſime ſervatis æri inciſum Ejusdem Nomini inſcripſeram; cum dein Illo e vivis ſublato, jamque TE REVERENDISSIME AC AMPLISSIME PRÆSUL *ad gubernacula Aſceterii admoto idem diploma a Novatore Germano ſcriptore dente Theonino impetitum, & inter ſubleſtæ fidei membranas temere rejectum ſolida confutatione (quæ inter Bornianas Diſſertationes Tomulo I. excuſa eſt) vindicaveram. Sed multo majora & luculentiora Summæ* TUÆ *in me conatusque meos hiſtoricos benevolentiæ exſtitere argumenta. Non enim his ſolum promptiſſima* TUA *ſtudiis meis gratificandi voluntas claudebatur terminis, ut Archivum inſpicere, luſtrare, veritatem hiſtoricam quaſi tumultario ibi loci, ubi latentem deprehenderam, in commentaria mea referre mihi integrum eſſe*

eſſe patereris; eo facilitatis indulgentiæque progreſſus es, ut coram poteſtatem jusque dares, chartas omnes exſcribendi, ſigillorum typos excipiendi, verbo theſauro TUO *litterario, nulli facile in Bohemia ſecundo, libere pleneque utendi, fruendi. Omnia denique ſuperat ille ultroneus favor, illa in nihil merentem profuſa gratia, cum intellecto molimine meo concinnandi Diplomatarii Brzewnovienſis, Ipſe ne quidem a me rogatus Viro piæ memoriæ Odiloni de* TE, *Aſceteriis* TUIS, *de univerſo Ordine* TUO *optime merito in mandatis dediſti operam meam ſedulo adjuvaret in excutiendis monaſteriorum omnium (quæ* TE *Patrem venerantur) ſcriniis pluteisque, quid quid ad id locupletandum perficiendumque utile fore cognoſceret, mecum prompte ſeduloque communicaret: qua quidem ratione & ſapientiſſimo conſilio hæc diplomatum congeries ad eam mul-*

multitudinem excrevit, quæ totam molem libri expletura fuiſſet, niſi jam alias, aliisque libris excuſa monumentorum meorum nusquam ante hac editorum ratio & finis arceret, Lectorique me abunde ſatisfacturum ſperaſſem, ſi indicato editionis loco compendium & argumentum uniuscujusque ordine Chronologico fideliter recenſuiſſem.

Hæc itaque REVERENDISSIME AC AMPLISSIME MÆCENAS *meorum officiorum, meæque erga* TE *obſervantiæ ſunt argumenta; hoc quale quale ob plura accepta beneficia memoris gratique animi teſtimonium; id ſi ea benignitate, qua me a viginti amplius annis complecti ſolitus es, exceperis, næ ego me felicem prædicabo, næ mihi maximum ab eo beneficium præſtitum deputabo, cujus inclyto, & a ſolida eruditione, & a litterariis dignitatibus præ-*

præcipuis conſpicuo Nomini ultra patriæ terminos per omnem longe lateque Europam adſurgitur, quem diu ſoſpitem felicemque optant boni omnes, TUUSque *ex aſſe*

REVERENDISSIMÆ AC PERILLUSTRIS

AMPLITUDINIS

Servorum infimus.
GELASIUS DOBNER e Scholis Piis.

PRÆFATIO.

Obſervationes noſtræ præviæ more ſolito ſingulis in præſente Tomo excuſis Monumentis nusquam antehac editis præjactæ totidem præfationes ſunt, ut nos actum acturos videremur, ſi eas repeteremus, præſertim cum nihil ultra præoccupandum aut diſſerendum reperiamus, quod in illis non animadverſum dictumque fuiſſet. Maximam partem explent veteres chartæ tam Brzewnovienſes quam Willemovienſes unius ejusdemque Ord. S. Benedicti, ex eodem Archivo Reverendiſſimi Mæcenatis noſtri hauſtæ. Quantum autem chartæ iſtiusmodi ad firmandam fidem, juſtam ſtatuendam Chronologiam criſimque faciant, quantam lucem Hiſtoriæ tum profanæ tum eccleſiaſticæ adferant, nemo non agnovit, quis quis præ cæteris veritatem in hiſtoriis quærendam eſſe in animum ſuum induxit. Uſu ſane & prudentia duce com-

pertum eſt, emolumentum quod rerum cognitioni adferunt diplomata, & multiplex & maximum eſſe. Sive enim ea ſpectemus, quæ ex monumentorum id genus diligenti examine ad eruditionem noſtram faciunt, ſive ea, quæ ad fidem in negotiis intricatiſſimis faciendam conferunt, tanti ſunt omnia momenti, ut tum demum puteos illos, in quibus veritatem abditam fabulatur antiquitas, detectos eſſe gratulari nobis liceat, dum eorum per plura retro ſæcula conſervatorum copiam nacti ſumus. Unde namque, niſi ex his, Pontificum, Patrum purpuratorum, Præſulum, Abbatum, cæterorumque eccleſiaſtica dignitate eminentium, unde Imperatorum, Regum, Ducum, atque ut paucis me expediam, omnis ordinis & conditionis Virorum, & nobilitate generis, & virtutis ac eruditionis ſplendore illuſtrium, ætate noſtra vix, ac ne vix quidem, nomine notorum, dignitatem, titulos, potentiam, regiminis amplitudinem, diſcimus; niſi in his eorum nomina, præclare facta, pietas in ſuperos, liberalitas in omne hominum genus, fidei publicæ integritas, publicorum munerum adminiſtratio, ſanguinis claritas, aliaque, quibus eminebant, accuratius a notariis poſteritati fuiſſent tranſcripta. Quis luculentius certiusque iſtis nobis indicat regnorum, ditionum ac latifundiorum, ad quos ſe ſe olim extendebant, fines? Quis urbes, pagos, caſtra, prædia, fundos & poſſeſſiones,

nes, quas dicimus fiduciarias, quos cultores, quos dominos retroactis ſæculis habuerint, quibus vendita, donata, vel in feudum conceſſa fuerint, nos verius edocet? Unde Auguſtarum nobiliſſimarumque familiarum origines, incrementa, viciſſitudines, fata ipſaque vitæ & regiminis tempora certius edocemur? Unde non tantum privatorum fortunæ, agri, domus, cenſus, ſponſiones, transactiones, ultimæ voluntates, ſed civitatum etiam regionumque latiſſime patentium limites, pacta publica, fœdera, conceſſa a Summis Principibus privilegia, largitiones, ipſaque jura Majeſtatica evidentius cognoſcuntur? Quantis, ſi hæc antiquitatis ſubſidia teſtimoniaque abeſſent, Genealogia, Geographia & Topographia vetus, quantis chronologia ipſaque Hiſtoria hodiedum involutæ tenebris ingemiſcerent? ut recte pronunciaverit Ludevigius: Nullam gentem habituram ſinceram & integram regni provinciæve ſuæ notitiam, niſi habitura ſit hiſtoriam diplomaticam, & Diplomaticam Jurisprudentiam.

OB-

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
AD
HISTORIAM DIPLOMATICAM BRZEWNOVIENSEM.

NEmini hiſtoriæ patriæ ſtudioſo incognitum eſt, Alumnos Ordinis S. Benedicti pene ſub ipſa incunabula invectæ religionis Chriſtianæ ſeſe inſinuaſſe in Bohemiam, neque enim dubitare fas eſt, ſub primis Chriſtianis Principibus Spitignæo, Wratislao, Sanctoque Wenceslao jam eorum aliquos in aulas Ducum Primorumque accitos, liberaliter honorificeque habitos, quemadmodum id pluribus locis in Annalibus noſtris Hagecianis luculentis quibusque hiſtoriæ indiciis memoriisque inquimus. Id teſtatiſſimum eſt, cum erecto Epiſcopatu Pragenſi ordinem ipſum in caſtrum Pragenſe ad S. Georgium per bullam Joannis XIII. invectum, qua ſimul cum epiſcopatu Boleslao I. ejusque filiæ Miladæ poteſtas

data Parthenonem Benedictinum dicto loco excitandi, cujus quidem erigendi, instruendi, administrandique gratia pro vetere ordinis hujus disciplina etiam viros aliquos Monachosve adjunctos fuisse locumque coluisse ratio ipsa persuadet. Vix decurso autem sedecim annorum spatio, S. Adalberto Cathedram episcopalem, & Boleslao Pio Principatum tenente, utroque authore locuples fundis reditibusque monasterium virorum prope Pragam loco Brewnow, hodie passim ad S. Margaretham, dicto conditum est, primum nempe omnium vetustissimi hujus Instituti in Bohemia & Moravia cœnobium, cui profecto primo prima literarum latinarum rudimenta, majoremque terrarum suarum culturam pro laudabili vetustoque ejusdem ordinis more debet patria nostra. Monasterium igitur illud ipsum est, cujus Historiam Diplomaticam in Reverendissimi Mæcenatis nostri gratiam concinnandam, isthicque vulgandam suscepimus. Vocamus autem Historiam Diplomaticam, quod non aliis memoriis, narrationibus, documentisque conflata sit, quam quæ ejusdem veteres chartæ publicæ ad posteritatem transmisere, non intermisimus tamen eas ubivis ex historia illustrare, animadversionibus locupletare, quod iisdem deest, creberrime supplere, denique fontes, unde ampliora haurienda essent, indicare.

Debemus vero chartarum istarum congeriem cumprimis benevolentiæ Admodum Reverendi ac Eximii D. Jacobi Chmel olim Brzewnovienſis nunc Policzenſis Prioris meritissimi, qui annutu & gratia Reverendissimi ac Amplissimi Antistitis sui nobis ad Archivum (hodie etiam vetustissimis carie & situ squallentibus membranis, exsuccis sigillorum omnis generis ceris turgens) aditum patefecit, easque non modo exscribendi, sed & rariorum delectiorumque sigillorum typum excipiendi copiam fecit. Debemus etiam beneficio industriæque Venerabilis ac Eximii piæ memoriæ Viri Odilonis Aulich Braunovienſis Prioris optime meriti, qui ex copiariis undequaque per Brzewnovienſe, Braunovienſe, Policzenſe & Wahlstadienſe ejusdem Abbatiæ mo-

monaſteria exquiſitis numerum inſtrumentorum multum auxit, quibus denique noſtra ex Diplomatariis MSS. Tabularii Regii, & Zderaſienſis, ex libris Erectionum eccleſiæ Pragenſis, ex Archivo Aulæ Regiæ, denique ex varia collectione Diplomatum noſtrorum, necdum typis excuſorum adjunximus, poſtremum etiam inſtrumentorum illorum non obliti, quæ ubi ubi demum in cujus cujus demum argumenti impreſſis libris deprehendimus; qua ratione chartæ ad hunc numerum excrevere. Ea omnia ſi integra, atque per extenſum Tomo iſto recenſere libuiſſet, næ illa mole ſua vix quidem uno volumine comprehendi potuiſſent.

Et vero ea alioquin mox principio in lucubrandis his Tomis Monumentorum Bohemiæ mens noſtra erat & propoſitum non alia in iis prelo ſubjiciendi, quam nusquam antea typis excuſa, cujus generis inedita manuſcripta tanto numero ſuppeditant plutei collectionum noſtrarum, ut omnibus vulgandis nullam ætatem noſtram quantumvis ſeram ſuffecturam probe proſpiciamus, atque id eſt, quod inſtrumenta illa, quæ jam a Reverendiſſimis Viris Bonaventura Pitter Prælato Rayhradenſi, Georgio Bertholdo Pontano, & Floriano Hammerſchmid, denique Magnoaldo Ziegelbauer, Ludevigio, & nobis ipſis pridem in lucem publicam emiſſa ſunt, ad incudem non revocaverimus. Operæ tamen pretium, & rem non injucundam tam ipſi Reverendiſſimo Mæcenati, quam doctiſſimis inclyti iſtius Inſtituti Alumnis nos facturos arbitrati ſumus, ſi omnium & ſingulorum Diplomatum, chartarumque compendia, quæ hinc atque illinc in diverſi argumenti operibus diſcerpta ſunt, hic loci inſeruerimus, in unumque veluti faſcem colligaverimus, ſi, inquam, illa in juſtum ordinem Chronologicum redegerimus, ut non modo hiſtoriæ Brzewnovienſi ſuus conſtet nexus, ſed & uno veluti intuitu, quid ſingulis ſæculis, annisque geſtum fuerit, quas & quales veteres chartas temporum viciſſitudo ad poſteritatem transmiſerit, cognoſcatur; In quarum chartarum argumentis recenſendis id etiam providimus, ut locis omnibus non modo anni & diei, quibus

datæ ſunt, ſed & Auctoris, libri, paginæque indicia adjecerimus, quo benevolus lector ſciat, quo ſe convertat, ſi inſtrumenta integra legendi eum ſeu cupiditas, ſeu neceſſitas impulerit.

Jam ut de argumento & ſumma chartarum iſtarum aliquid breviter præjiciamus, ea non poſſunt non eſſe elucidandæ confirmandæque hiſtoricæ veritati patriæ noſtræ maxime fructuoſa, nam ſi univerſim rei diplomaticæ ſtudio hodie paſſim lucem & pretium debet gentium omnium tam eccleſiaſtica, quam profana hiſtoria, quantum non debebit hiſtoria patria monaſterii omnium antiquiſſimi in Bohemia & primi chartis atque inſtrumentis, quæ niſi ſervaſſet antiquitas, hodie etiam ignoraremus, quæ ſæculi X. ordientisque XI. apud nos diplomatum fuerit ratio, qui ſigillorum modus & uſus; quot quantæque hiſtoricæ memoriæ non tectæ, incognitæ, aut ſaltem dubiæ perſtitiſſent, quas velut depulſis nebulis illa in apricum deferunt, & ſipario detracto rem ipſam luculentam claramque oſtendunt. Sane ipſa hiſtoriæ monaſterii Brzewnovienſis cognitio his ſolis fulcris nititur, nam amiſſis ſæculorum iniquitate Chronicis aliisque cænobii iſtius memoriis, hi quantulicunque demum antiquitatis teſtes flammis, rapinis, demolitionibusque Huſſitarum, & ſectariorum erepti ipſa incunabula, adoleſcentiam, adultamque ætatem, incrementum, inquam, novarum Cellarum monaſteriorumque & terrarum acceſſiones, divitias, ſplendorem, uti & varios caſus, ipſaque diriſſima fata, denique veluti ex agone ad feliciorem integrioremque vitam reſuſcitatum Brzewnovium veluti in ſpeculo oſtendunt.

His ipſis fontibus Ziegelbauerus potiſſimum Epitomen ſuam Hiſtoricam Monaſterii Brzewnovienſis hauſit, quam merito Epitomen inſcripſit, nominavitque, quod ſeu inſtrumenta omnia, quæ iſthic proferimus, in manus ejus non devenerint, ſeu certe illi in omnibus exquirendis, & in prolatis diligentius diſcutiendis ſolertia & accuratio deſuerit, inde natum, quod plurima ab eo prætermiſſa, multa in re chronologica minus accurate digeſta, alia in nar-

narratione fidei veterum chartarum minus conſentanea deprehendantur, quorum plura ſuis locis ſarcire, emendare, veritatique hiſtoricæ reſtituere non intermiſimus. Horum autem prævium elenchum hic texere ſupervacaneum cenſuimus, quod ea alioquin in ſubſtratis animadverſionibus notisve noſtris minore charactere diſtinctis, repertu non difficilia caſura ſint Lectori hæc exquirenti, qui imo iſthic plurima adhuc in hiſtoria patria hucusque incognita, ſeu res, ſeu perſonas eccleſiaſticas profanasque, ſeu ipſam Seriem numerumque Abbatum Brzewnovienſium, eorundemque geſta & chronologiam, ſeu denique monaſterii viciſſitudines ſpectes, detecturus eſt. Sit itaque . . .

HISTORIA DIPLOMATICA BRZEWNOVIENSIS.

I.

Boleslaus Dux Boemiæ ex præcepto Joannis Papæ XV. fundat & dotat cum S. Adalberto liberaliſſime monaſterium Ordinis S. Benedicti Brewnoviі in ipſa die dedicationis monaſterii (a) *dd. anno* 993. Diploma iſtud hodie ſuperſtes ſervatis omnibus veterum characterum & ſyncopationum formis cum ſigillo dedimus æri inciſum Parte IV. noſtrorum Annalium p. 374. ad eundem annum. Non vero ſubleſtum eſſe peculiari diſſertatione Tomo I. Diſſertationum Bornianarum p. 359. oſtendimus. (b)

II.

Idem Boleslaus bis mille quingentos denarios ſingulis annis e reditibus

(a) Diem hanc fuiſſe XIX. Kal. Februarii diſcimus ex Interpolatore Anonymo Pulkavæ, qui apud Ludevigium & Menkenium excuſus habetur. (b) Abhandlungen einer Privatgeſellſchaft in Böhmen. 1. Band. S. 359.

bus ſuis monaſterio Brewnovienſi numerandos præcipit. (c) *dd. anno* 993. Diploma hoc excuſum dedimus eadem Parte IV. p. 380.

III.

Joannes XV. Papa Brewnovienſe monaſterium in protectionem Sedis Apoſtolicæ ſuſcipit, id, atque Anaſtaſium (d) *Abbatem multis gratiis, immunitatibus & prærogativis impertitur. dd. Pontif. an. XV. menſe VIII.* Bulla hæc excuſa habetur apud Magnoaldum Ziegelbauer in Epitome Hiſtorica monaſterii Brewnovienſis p. 17. 252. & 262. (e)

IV.

Eppo miles & Belinenſis urbis Præfectus donat Meinardo Abbati (f) *& monaſterio Brewnovienſi villam ſuam Cebranice, quam donationem confirmat Brzetislaus Dux Bobemiæ dd. anno* 1043. Habetur excuſum apud Bonaventuram Pitter in B. Gunthero p. 139. Autographum ſuperſtes eſt in Archivo Brevn.

V.

Brecislaus Dux Bobemiæ ob amorem & memoriam B. Guntheri confert eccleſiæ Brewnovienſi & Meinhardo Abbati in Bobemia plures villas, item in Moravia cellam in caſtro Raygrad cum aliis poſſeſſionibus juribus & exemptionibus. dd. Pragæ XV. Kal. Novemb. An. 1045. Habetur excuſum apud Ziegelbauer c. l. p. 241. Pitter c. l. p. 61. Ludevigium T. VI. Reliquiar. p. 51.

VI.

Brecislaus Dux Bob. Raygradenſem cellam tam in temporalium ordinatione quam in omni diſciplina & reverentia Maynhardo Abbati Brewnov. ſubjectam transformat in monaſterium aſſignatis ſufficientibus fundis & poſſeſſionibus dd. in caſtro Raygrad die VI. Kalend. Decembris Anno 1048. Habetur excuſum apud Ziegelbauer p. 275. & Pitter p. 138.

VII.

Andreas emeritus miles Ducis Bobemiæ, qui multas terras in militia peragravit, prout privilegium hoc teſtatur, villam deſertam Rybeſſowice Reyr-

(c) Donationem hanc feſto S. Benedicti factam fuiſſe docet nos idem Interpolator apud Menkenium T. III. p. 1645. (d) De Anaſtaſio Abbate copioſe egimus P. IV. noſtrorum Annalium, in cujus indice videri poteſt titulus *Radla*. (e) De controverſia dubiæ fidei circa hanc bullam exorta vide eandem Partem IV. p. 390. & *ſeqq.* (f) Is ſecundum Ziegelbauer p. 61. fuit ordine quintus Abbas Brevnovienſis, cujus memoriæ ſecundum eundem usque ad An. 1086. excurrunt.

Reygradenſi monaſterio dotavit, ſemetipſum ad ordinem in monaſterium Reygradenſe contulit converſumque egit. Ita MS. Anonymi Raygradenſis in Archivo Brzewnov. ad annum 1175.

VIII.

Maynradus Abbas Brewnov. intereſt fundationi monaſterii Gradicenſis Ord. S. Bened. ad Olomucium, literasque fundationis tam Ottonis Principis Moraviæ, quam confirmatorias Wratislai Regis Bob. ſubſcripſit inter plures teſtes. Primarum datum eſt III. Nonas Februarii, ſecundarum Nonis Februarii Anno 1078. Utrumque inſtrumentum excuſum habetur apud Pitter c. l. p. 184. & 186.

VIIII.

Wratislaus Rex Bob. Primatis Mikulecz cellam in Gradicenſi territorio ſitam (*g*) Brewnovienſi cœnobio regulari obedientia ſubjectam *in Abbatiam erigit, confirmatque omnes donationes eidem factas, quas etiam Gebhardus Epiſcopus Pragenſis frater Regis confirmat. Diploma caret nota Chronologica, circa quam aliaque in tranſumtum errores irrepſere,* excuſum reperitur apud eundem Pitter c. l. p. 193. (*b*) & nos illud Parte VI. Annalium noſtrorum p. 520. vulgavimus, ubi plura de monaſterio hoc Oppatowicz appellato egimus.

X.

Petrus (*i*) *Abbas Brevnovienſis teſtis ſubſcriptus legitur in Confirmatione Regia omnium poſſeſſionum, quam Wladislaus Rex Bob. monaſterio Gradicenſi dederat dd. XVI. Kal. Julii an.* 1160. Apud Pitter c. l. p. 187.

XI.

Fridericus Dux Olomucenſis Henrico (*k*) *Abbati Brevnovienſi, & eccleſiæ Raybradenſi donat locum Granice* (*hodie* Weißkirchen) *in Moravia. dd. anno* 1169. Apud Ziegelbauer p. 243. & Pitter p. 140.

XII.

(*g*) Id monaſterium poſtea dictum *monaſterium S. Laurentii* ſeu *Opatovicenſe.* (*b*) Minus recte Reverendiſſimus Pitter in notis ſuis eidem diplomati pag. 194. ſubjectis *Præpoſitum Gradicenſem* iſthic nominatum credidit fuiſſe ex monaſterio Gradicenſi ad Olomucium. Gradicenſe monaſterium jam ab anno 1078. accepit ſuos Abbates, fuitque hoc anno adhuc Joannes Abbas iſtius monaſterii. *Telſny* ille *Præpoſitus Gradicenſis* in hoc diplomate nominatus veroſimillime non alius fuit quam Præpoſitus, ut hodie appellamus. Reginohradecenſis, nam in eodem territorio ſeu provincia ſitam fuiſſe hanc cellam ipſe Wratislaus ſub initium literarum ſuarum perhibet. (*i*) Is Ziegelbauero ordine nonus Abbas eſt. p. 62. (*k*) Miror Ziegelbauerum, qui, cum ipſe hoc diploma excuſum dederit, tamen in ſerie ſua Abbatum p. 63. Henrico huic

XII.

Paprocius in Diadocho seu Ordine Dominorum p. 14 *provocat ad Friderici Ducis diploma hoc anno monasterio Brzewnovienſi datum, e quo ſubſcriptos teſtes commemorat Jaroſſium Witkovec, Borſſonem Wytkowii filium de novo caſtro, Conradum de Klinsberg, Juricbum de Loket Caſtellanum, cujus quidem diplomatis in Archivo Brzewnovienſi nullum veſtigium, ut de fide Paprocii multum dubitem, præſertim cum teſtium nomina non ſint ex hac ætate.*

XIII.

Przemysl Dux Bob. confert Abbati Henrico & monasterio Brewnovienſi regiam villam Cbilichi in compenſationem damnorum dd. Pragæ 1194. (*l*) Apud Ziegelbauer p. 245.

XIV.

Przemysl Rex Bob. ad inſtantiam Chunonis (*m*) Abbatis Brewnow. *eremitorium Policzenſe a ſe fundatum pleno jure monaſterio Brewnovienſi incorporat. dd. in Caſtro Pragenſi, in vigilia Aſcenſionis Domini an.* 1213. Apud Ziegelbauer c. l. p. 246. & Pitter p. 144.

XV.

Confirmatio facta a Rege Primislao ſuper commutatione & cambio, bonorum Ffilici cum villa Levinici, ac fluminе & inſula adjacente inter Abbatem Brzewnovienſem, & Subdapiferum Regis Sobebird dictum. (*n*) Ex autographo Archivi Brewnovienſis.

Humane vite conditio mortis legibus eſt addicta, quare contingit, ut per ſucceſſionem quoque ſeculorum & temporum, & novarum etatum mortalia facta, puta contractus, venditiones, cambia, & alia hujus-

huic locum inter Abbates nonniſi poſt annum 1177. conceſſerit, non modo Petrum Abbatem igitur, ſed & Hartmannum ante annum 1169. obiiſſe oportet, meminit vero ejusdem Henrici Abbatis etiam diploma Ottonis Ducis Boheminæ ad annum 1189. in quo teſtis ſubſcriptus legitur in P. VI. Annalium noſtrorum p. 591. Id hic etiam admonendum inter Henricum & Cunonem in Ziegelbaueri Serie Abbatum Brewnovienſium prætermiſſum eſſe Zdenonem ſeu Sdenonem hactenus incognitum Abbatem Brewnovienſem, uti mox ex diplomate XV, teſtatum fiet. (*l*) Annus iſte ſubleſtus eſt, ſubſtituendusque ſeu 119-. ſeu 1193. Nam anno eo jam Przemysl exauctoratus fuit, quem quidem errorem ipſæ notæ chronologicæ hujus diplomatis convincunt verbis his: *Ducatus noſtri anno primo,* (*m*) Is Ziegelbauero numero XII. Abbas eſt, quem ab anno 1200 usque 1220 præfuiſſe ſcribit, qua auctoritate & fonte ignoro. Id ex ſequenti diplomate teſtatum fiet, jam anno 1220. Dluhomilum abbatialem dignitatem geſſiſſe. (*n*) Notæ Chronologicæ abſunt, cum tamen inter

jusmodi, auctoribus eorum ex hoc seculo migrantibus plerumque in oblivionem, seu interitum devolvantur. Hujus rationis pretextu ego *Sobebird* filius *Bezbrem* Subdapifer Regis cautus esse volens de cambio, quod de bonis Ecclesie *Breunensis*, nomine *Effilici* cum eis, que ibi adjacent, pro bonis meis in villa *Levinici* cum flumine, & insula adjacente, mihi pro remuneracione mei servicii per Illustrem Regem Bohemorum *Primislaum* collatis, quondam cum Abbate ipsius loci *Sdenone* (o) feci, approbantibus Priore, & Prepolito, & toto conventu sui Capituli, cum & bona ipsorum bonis meis adjacerent, & alterna utilitas mihi & eis hinc & inde, idem cambium facere persvaderet. Ut autem hec eadem cambia per nos & Abbatem facta, rata, & firma in perpetuum habeantur, & sub oblivione non pereant, munimine Regalis sigilli hanc presentem paginam coauctorizare dignum duximus, & nomina testium Honestorum Virorum, qui nostris contractibus affuerunt, subscribere. Hec videlicet sunt nomina, *Daniel* Episcopus secundus Pragensis, *Andreas* Prepositus, & Cancellarius, *Cyrnin* Camerarius, *Mathias* Castellanus Pragensis, *Budivoy* Judex, *Smil* Castellanus de *Cladzko*, *Hermaninus* Castellanus *Satsensis*, *Boguzlaus* filius de *Dolen*, *Jaroslaus*, *Zbizlav*, *Milgozt*, *Zvezt*, *Martinus* Pincerna, filius *Ceztone*. *Slavek* magnus, *Paulik* Subpincerna, *Bogusca*, *Kovanzki*, *Nurberk*, *Zulizlaus*.

XVI.

Przemyslaus Rex Bob. Dlubomilo (p) *Abbati & monasterio Brewn. confirmat omnes immunitates & concessiones factas a Boleslao progenitore suo, nec non peculiariter aliquas exemptiones impertitur dd. Mense Martio An.* 1220. Apud Ziegelbauer. c. l. p. 248.

XVII.

Przemyslaus Rex Bob. ad petitionem Gregorii de Crescentiis Cardinalis & Apostolicæ sedis Legati omnibus monasteriis, Conventualibus, ecclesiasticis

inter testes referatur *Daniel secundus episcopus Pragensis*, isque An. 1214. mortuus sit, ante hunc annum diploma reponendum. (o) Hem *Sdenonem* Abbatem pretermissum ab omnibus Catalogis, & ipsa Ziegelbaueri serie abbatum! Cum Sobehird remunerationis sui servitii per Primislaum Regem meminerit, Premisl autem An. 1198. Rex factus sit, sequitur Sdenonem in hujus anni confinia, proinde inter Henricum & Chunonem Abbates, scil. inter annum 1198 & 1213. inserendum esse. (p) Idem Dluhomilus Abbas anno sequente id est 1221 Nonis Julii subscriptus testis legitur in duplicibus Majestatibus Ottakari Regis, quibus complures immu-

ticis perſonis, & eorum hominibus concedit complures immunitates, jura & exemptiones dd. 10. *Martii An.* 1220. Apud Ziegelbauer p. 277.

XVIII.

Tranſactio inter Dlubomilum Abbatem Brewnow. & Gradicenſem ſuper poſſeſſione terminorum & circuitus de Raignicz *Olomucenſis Dioeceſis. dd. Pragæ An.* 1222. Apud Pitter p. 142.

XIX.

Przemyslaus Ottacarus Bullam Joannis XV. Papæ ex parte magna jam nimia vetuſtate conſumtam *authoritate regia renovat & tranſumi curat. dd. Pragæ Nono Kal. Auguſti An.* 1224. (*q*) Apud Ziegelbauer p. 251.

XX.

Wenceslaus Rex donationem eremitorii Policz a patre ſuo monaſterio Brewnovienſi factam ad Dlubomili Abbatis petitionem confirmat. dd. in civitate Hradecz Indict. XI. An. 1229. Apud Ziegelbauer p. 281.

XXI.

Gregorius Papa Abbatibus S. Emerami & Altahenſi committit cauſam litis circa quandam pecuniæ ſummam & decimas inquirendam, quæ inter Abbatem Brewnovienſem & Epiſcopum Pragenſem exorta fuit. dd. Peruſii X. Kal. Novemb. Pontificatus anno III. (*r*) Ex Archivi Brewnovienſis autographo.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei; Dilectis Filiis ſancti *Emerami* Ratiſponenſis, & de Alta Patavienſis Dioceſis Abbatibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex parte Abbatis, (*s*) & Conventus *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* fuit propoſitum coram nobis, quod Venerabilis frater noſter *Pragenſis* Epiſcopus (*t*) ſuper quadam Summa pecuniæ, decimis, & rebus aliis ad ipſorum monaſterium ſpe-

munitates concedit eccleſiæ Pragenſi apud Pontanum lib. 6. Bohemiæ Piæ pag. 63. 88 & 89.

(*q*) Hodie huic diplomati in Archivo Brewnovienſi ſuperſtiti ſpectatur appenſa Bulla aurea Przimyslai Regis, item ſigillum illæſum Ruberti epiſcopi Olomucenſis, bullam auream Przemislai Regis, quæ etiam in Archivo domeſtico Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ ſervatur, ſcalpro ſcalptoris excuſam Lectorum obtutibus ſiſtemus Parte VII. Annalium noſtrorum. Roberti Olomuc. epiſcopi ſigillum jam Tomo IV. Monumentorum noſtrorum Tab. III. N. 30. æri inciſum dedimus. (*r*) Annus III. Pontificatus Gregorii IX, cujus hæc bulla eſt, incidit in annum 1229. (*s*) Is fuit Dlubomilus, ſeu uti in quibusdam autographis ſcriptus reperitur *Dlubomisl.* (*t*) Is fuit *Johannes* hujus nominis *ſecundus.*

ſpectantibus injuriatur eisdem. Ideoque Diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis cauſam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod ſtatueritis, auctoritate noſtra firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere. Datum *Peruſii* X. Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

XXII.

Idem Gregorius Papa confirmat omnes poſſeſſiones, jura & privilegia monaſterii Brewnovienſis dd. Reate XII. Kal. Julii Pontif. An. V. (*u*) Apud Ziegelbauer c. l. p. 256.

XXIII.

Gregorius Papa IX. committit Archidiacono, Decano, & Thomæ Canonico Wratislavienſibus litem inquirendam inter Epiſcopum Pragenſem & Abbatem Brzewnovienſem, in cauſa cujusdam villæ Præceſſori Epiſcopo Pragæ venditæ, ſed non exſolutæ. dd Reat. V. Kalendas Julii, Pontificatus anno quinto. Ex Archivo Brewnovienſi.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis, Archidiacono, Decano, & Magiſtro *Thome* Canonico *Wratizlavienſibus* ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dilectus Filius Abbas de *Breunow.* (*x*) nobis expoſuit conquerendo, quod cum ipſe bone memorie A. (*y*) *Pragenſi* Epiſcopo pro certa Summa pecunie, nomine Pragenſis Eccleſie vendiderit quandam villam, eodem Epiſcopo, priusquam pecuniam ipſam exſolveret, ſublato de medio; Venerabilis Frater noſter *Pragenſis* Epiſcopus Succeſſor ipſius eidem Abbati, ut tenetur ſatisfacere, contradicit. Quocirca Diſcretioni Veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis cauſam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, auctoritate noſtra firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quodſi non omnes hys exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus

(*u*) Pro diverſo computu occupatæ ſedis hic annus V. Pontificatus eſt annus & 1231 & 1232. (*x*) Is fuit Dluhomilus, cujus memoriæ adhuc in ſequentibus diplomatibus legimtur. (*y*) Per hanc literam *A.* veroſimillime indicatur *Andreas* epiſcopus

exequantur. Datum *Reat.* V. Kalend. Julii Pontifiatus noſtri anno quinto. (z)

XXIV.

Commiſſio Gregorii IX. Papæ, delata Præpoſito, Decano, & Scholaſtico Ratisbonenſis eccleſiæ de lite inter Canonicos Sacetenſes, & Nobilem Henricum ſuper villa de Satbon, aliisque rebus. dd. Lateran. XVI. Kalend. Aprilis, anno Pontificatus VII. (a) Ex Autographo Archivi Brewnov.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei; Dilectis Filiis Prepoſito, Decano, & Scolaſtico *Ratisponenſibus* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilecti Filii Canonici *Sacetenſes* (*b*) ſua nobis conqueſtione monſtrarunt, quod Nobilis Vir *Henricus* Pragenſis Dioceſis ſuper villa de *Satbon*, quadam ſilva, & rebus aliis injuriatur eisdem. Ideoque Diſcretioni Veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis cauſam, & appellatione remota, fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari, proviſo, ne in terram dicti Nobilis excommunicationis vel interdicti ſententiam proferatis, niſi ſuper hoc mandatum a nobis receperitis ſpeciale. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gracia, odio, vel timore ſubtraxerint, ſimili cenſura, ceſſante appellatione, cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes hys exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum *Lateran.* XVI. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

XXV.

Wenceslaus quartus Rex Bohemorum confirmat & renovat privilegia Ducis Boleslai & Ottakari monaſterio Brewnovienſi data ad petitionem & inſtantiam Dlugomili Abbatis dd. Pragæ 14. *Julii An.* 1234. habetur apud Ziegelbauer p. 258.

XXVI.

pus Pragenſis, qui ut habet præmiſſa ſeries Epiſcoporum, Anno 1224 in exilio Romo mortuus eſt. Nam hoc annorum confinio nullus reperitur epiſcopus, cujus nomen initialem literam *A.* præſeferret. (z) Ideſt anno 1233.

(a) Scil. Anno 1234. Hoc diploma quidem nullam memoriam continet monaſterii Brewnovienſis, attamen cum Autographum in eodem Archivo conſerveturnon obſcure innuit id aliqua ratione ad hoc monaſterium pertinuiſſe, nam habuit iſthic Brewnovienſe monaſterium olim Præpoſitum, legiturque Tomo I. Erectionum ad An. 13[illegible]5. *Nicolaus Præpoſitus in Zacon.* Non ignoro Balbinum hanc Præpoſituram Oſtrovienſi Cœnobio adſcripſiſſe, at quo fonte haud prodidit. (*b*) Saczka erat collegiata eccleſia a Borzivogio Duce anno 1117. fundata, uti P. VI. Annalium noſtrorum p. 137. 140. docuimus, e qua hi Canonici fuerant.

XXVI.

Premisl Marchio Maraviæ ad normam Welebradenſis monaſterii pluvimis privilegiis impertit monaſterium Reygradenſe Ordinis S. Benedicti, quam donationem confirmat frater ejus Wenceslaus I. Rex Bob. & Robertus epiſcopus Olomuc. dd. IV. Nonas Novembris 1234. ex Collectione Diplom. Cl. D. Zlobitzky.

In nomine Sancte Trinitatis, & individue Unitatis. Ego *Premisl* divina gratia Marchio *Moravie* Cenobio *Reygradenſi*, & in eo degentibus in perpetuum. Cum principales deceat dignitates venerari, & promovere ſanctam in omnibus Eccleſiam, congruum noſtre Viſum fuit pietati id imitari, & exequi, quod nobis, ac Succeſſoribus noſtris cederet ad meritum; & Sancte matri Eccleſie tranſiret ad profectum, ibi enim certe locantur beneficia, ubi creſcunt donorum merita, ibi decenter impertitur gratia, ubi cum premiis commutatur gloria. Noverint itaque tam preſentes, quam futuri, nos cuidam monaſterio fratrum, quod *Reygrad* dicitur, divina inſpirante nobis clementia, & fratre noſtro illuſtri Rege Bohemorum *Wenceslao* annuente eandem dediſſe libertatem, que data eſt *Welegradenſi* Cenobio Ciſtercienſis ordinis a felice Patre noſtro *Premisl* Rege Bœmorum, & inclite memorie Patruo Noſtro *Wladislao*, quondam Marchione *Moravie*, fundato, & conſtructo ad ſublevandam loci ejusdem paupertatem, libertatem illam, qua in prima ſua fundatione a progenitoribus noſtris, videlicet *Boleslao*, & *Premislao* famoſiſſimis Ducibus eadem cella roborata eſt, renovantes precipue, ut cum ex diverſis regionibus invitante feſtivitate Sanctorum Apoſtolorum, *Petri*, & *Pauli* ad eundem locum per ſeptem dies populi multitudo confluit, forum ibidem ex antiqua inſtitutione ab omni infeſtatione beneficiariorum noſtrorum liberrime agatur, ipſam autem villam *Reygrad* dico eidem Cellæ adjacentem jure forenſi, prout ubique teutonicæ libertatis eſt, fundatam confirmavimus, die forenſi in gratiam fratrum conſtituto. Sancimus itaque, & inviolabiliter ſtatuimus obſervari omnes vias, & poſſeſſiones, quas Eccleſia poſſidet, vel poſeſſura eſt, ubicumque ſunt in Marchia noſtra ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum, ſeu etiam foreſtariorum noſtrorum, qui vulgo *Lovſchi* appellantur, aliisque exactionibus, ſive in quatuordecim (*c*) ad Principem

(*c*) Quatuor decimus, quartus decimus denarius certum vectigalis genus antiquitus. Vide Dufreſnium hac voce, inde poſtea Vierzehenanmt, Dreyßiganmt denominationes traxere.

pem vel beneficiarios ſpectantibus quocumque modo nominentur, eſſe abſolutas. Adjcientes, ut nullus Principum, ſucceſſorum noſtrorum, vel Baronum noſtrorum, nobis, vel eis ſubjectorum pro caſtrorum edificatione, vel reedificatione, vel aliqua ingruenti expeditione, homines præfati Cœnobii audeat inquietare. Jus autem, quod datur de capite, eis concedimus hoc de jure ſtatuentes, ſi in eorum habitat poſſeſſionibus, & deprehenſus fuerit in furto manifeſto, vel de aliquo occulto accuſetur, videlicet, quoad judic um ferri candentis, vel aque, vel vomeres calcandos, vel duelli, & convincatur in aliquo iſtorum in judicio ſæculari eidem Monaſterio bona furis ſive rei integraliter remaneant. Judices autem, quorum intereſt, faciant de eo, quod juſtum videbitur. Si autem homines ejusdem Cenobii coram judicibus noſtris culpabiles inveniantur, nec nobis, nec judicibus noſtris curialibus vel beneficiariis aliquid inde utilitatis proveniat, ſed apud idem Cenobium culpe perſeveret ſatisfactio, niſi in eo, quo tenentur ſatisfacere adverſario. Cetera omnia, ut breviter comprehendamus omnem utilitatem, que ſpectat ad uſus noſtros vel Succeſſorum noſtrorum, vel beneficiarios noſtros a nobis infeudatos, eis remittimus, ut plena & perfecta gaudeant libertate. Et ut nullus eis conditiones contra ſtatuta noſtra audeat imponere. Statuimus etiam, ut nullus Camerarius intret villas monaſterii ad aliquem citandum, vel aliquid ibi faciendum; ſed ſignificet procuratori Domus illius, cui commiſſa fuerit procuratio in temporalibus, ut eos citari faciat, qui ſunt citandi, quatenus die determinato eos coram judicibus ſtatuat, quorum intereſt cauſas & Negotia Marchie noſtræ tractare & diffinire. Si quis autem alicui perſone religioſe infra ſepta monaſterii conſtitute manus injecerit violentas ad aliquem ibi dehoneſtandum, capite puniatur, & pro immunitate leſa monaſterio decem marcas auri componat, niſi quoad ſententiam capitis aliud viſum fuerit noſtre benignitati; ſi vero quis irruperit clauſtrum Monaſterii ibidem aliquid injuſte rapiendo, ablata reſtituat, atque in Cameram noſtram, & Succeſſorum noſtrorum decem marcas auri componat, vel ſecundum quod viſum fuerit, noſtre pietati, ſatisfaciat. Inſuper ſtatuimus, ut quicumque nobilium in prefati monaſterii curiis, vel villis pernoctando, vel intrando eidem extiterint injurioſi, bannum noſtrum in decem marcis componant, & ei damna illata in duplum reſtituant. Hujus autem libertatis a nobis conceſſe, & principali munificentia donate prefato monaſterio Succeſſores noſtros, & ſi Deo largiente hæredes habebimus, tutores con-

conſtituimus & deffenſores. Hæc ſancientes, ut hujus privilegii violatores in Cameram noſtram & Succeſſorum noſtrorum decem marcas componant. Inſuper rogavimus Patrem noſtrum Venerabilem *Robertum Olomucenſem* Epiſcopum, ut omnes, qui prefati Cenobii violarent immunitatem, excommunicaret. Addentes etiam, ut homines præfati Cenobii per telonia tranſeuntes in rebus, que ſpectant ad opus, vel uſus Eccleſie, ad eam in neceſſitatibus ejus defferendis, vel transducendis, ſint pedagiis, vel teloniis abſoluti; Mercatores vero ſolvant, quod juris eſt. Hoc etiam omnibus volumus eſſe manifeſtum, quod ſine offenſa noſtra erit, ſi præſcriptus Epiſcopus, & ejus Succeſſores noſtrarum conſtitutionum in hac pagina, & privilegio *Wellegradenſi* contentarum, ſecundum quod dictant jura eccleſiaſtica, punierint transgreſſores. Rogavimus etiam Sereniſſimum fratrem noſtrum Regem *Boemiæ* quartum *Wenceslaum* nomine, & Reverendum patrem noſtrum *Robertum Olomucenſem* Epiſcopum, quatenus dignarentur hanc paginam donationis noſtre ſuis ſigillis confirmare, quod & fecerunt, ſua videlicet ſigilla apponendo, ſicut & nos præſentem paginam in teſtimonium hujus donationis ſigillo noſtro munivimus. Hujus rei Teſtes ſunt hi: *Arnoldus* Comes de *Hukenſvach*, *Bernhardus Dux Carinthiæ*, *Wocco* Caſtellanus *Olomucenſis*, *Ratiborius* de *Deblin*, *Wocco* ſubcamerarius, *Otto* Burggravius de *Donnin*, *Miliſch*, & frater ipſius *Jdic*. *Lupoldus* Caſtellanus de *Meidberch*, *Hiveilau* ſubdapifer, *Zezema* ſubpincerna, & frater ſuus *Witko*, *Marquardus* ſubdapifer, & *Zagrad* de *Orchou*, *Mladota de Tazzow*, *Boſco filius Berbardi*, *Zmil* filius *Ranofir*. *Conradus*, Notarius *Brunenſis*, *Riscbardus* ſcholaſticus in *Bruna*, *Bartholomeus*, *Marquardus*, *Gregorius*, *Simon*, Capellani, *Ardiebus*. filius *Ratiborii*. Acta ſunt hæc ab Incarnatione Domini Anno Milleſimo CCXXXIIII. Indictione. 7. Datum per manum *Hilarii* Notarii in *Bruna*, quarto Non. Novembr. Contradictores hujus Privilegii, & invaſores prænominati monaſterii cum Dathan, & Abyron, quos terra abſorbuit, accipiant p—o—r—t—a—o—n—e—m.

Ex copia vidimata per *Joan. Georg. Suchomel* Regiſtratorem & expeditorem regii Tribunalis *Brunæ* 13. *Maji* 1689. N. Originale eſt in Pergameno, in quo autem tria pendula ſigilla appenſa fuere, nunc vero nullum amplius, preter unicum, nempe ab initio nominati Premislai ſigillum in cerea capſula reperitur, quod aliquando abſciſſum fuit, & in-

du-

dubitanter ad hoc originale ſpectare debet, prout ex ejusdem ligaminis ſericeis filis ſibi & una alterave parte totaliter conformibus, clare diſcerni poteſt.

XXVII.

Confirmatio Gregorii Noni Papæ ſententiæ ab Abbate Wratislavienſi S. Mariæ in cauſa decimarum contra Epiſcopum Pragenſem pro Monaſterio Brzewnovienſi latæ. dd. Lateran. IIII. Kalendas Aprilis. Pontificatus Anno Octavo. (*d*) Ex Archivo. Brewn.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei; Dilectis Filiis, Abbati, (*e*) & Conventui de *Brewnow* Ordinis ſancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ea que judicio vel concordia terminantur, firma debent, & illibata perſiſtere, & ne in recidive contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico convenit preſidio communiri. Exhibita ſiquidem veſtra petitio continebat; quod cum inter vos ex parte una, & Venerabilem fratrem noſtrum, (*f*) Epiſcopum *Pragenſem* ex altera; coram Abbate ſancte *Marie Wratislavienſi*, & conjudicibus ſuis, ſuper quibusdam decimis auctoritate Apoſtolica queſtio verteretur, iidem Judices diffinitivam pro vobis, cognitis cauſe meritis ſententiam promulgarunt, prout in literis confectis exinde plenius dicitur contineri, quam Apoſtolico petiiſtis munimine roborari. Nos igitur veſtris juſtis precibus inclinati, ſententiam ipſam ſicut eſt juſta, nec legitima provocatione ſuſpenſa, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum *Lateran.* IV. Kalendas *Aprilis*, Pontificatus noſtri anno Octavo.

XXVIII.

Gregorius Papa VIIII. mandat Præpoſito, Decano, & Scholaſtico, Miſnenſis eccleſiæ, ut cogant Epiſcopum Pragenſem, & alios forenſes, ut decimas Monaſterii Brzewnovienſis detentas exſolvant. dd. Lateran. II. Nonas Maji, Pontificatus anno VIII. (g) Ex Archivo Brewnov.

Cre-

(*d*) Anno 1235. (*e*) Dluhomilo. (*f*) Fuit hoc anno adhuc Joannes hujus nominis II. Epiſcopus Pragenſis, qui demum anno ſequente XVI. Kal. Septembris obiit, ut teſtatur continuator Coſmæ. (g) Anno 1235.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Prepoſito, Decano & Scolaſtico *Miſnenſibus* ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Querelam dilectorum Filiorum Abbatis (*b*) & Conventus Monaſterii de *Breunou* Ordinis ſancti *Benedicti* recepimus continentem, quod Venerabilis Frater noſter (*i*) *Pragenſis* Epiſcopus, & quidam alii ſue dioceſis de *Lutomericz*, de *Bilin*, & de *Deſcho* (*k*) villarum, ac aliorum locorum forenſium ad eorum monaſterium pertinentes, per Abbatem ſancte *Marie Wratislavienſis*, & ejus conjudices delegatos a nobis, ſententialiter adjudicatas eisdem, contra juſtitiam detinent, & eis reddere contradicunt. Quocirca Diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictos Epiſcopum, & alios, ut eisdem Abbati & Conventui decimas ipſas exolvant, & de ſubtractis ſatisfaciant, ut tenentur, monitione premiſſa, ſublato appellationis obſtaculo, auctoritate noſtra cogatis. Quodſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nichilominus exequantur. Datum *Lateran.* II. Nonas Maji. Pontificatus noſtri anno Octavo.

XXIX.

Wenceslaus IV. (*l*) *Rex Bohemiæ confirmat commutationem villæ Lewinice cum villa Mradice factam inter Clementem Abbatem Brzewnovienſem, & Zulizlaum Burggravium de Loket. dd. Pragæ VIII. Idus Auguſti An.* 1238. Ex autographo Archivi Brewn. cui integrum adhuc ſigillum appenſum eſt.

In nomine Domini Amen. *Wenceslaus* Dei gracia Rex Bohemorum. Cum ſit principalis providencie, geſta propria & ſtatuta ſufficienti cautione munire ad ſuorum Succeſſorum memoriam, & maxime per literam, que eſt baculus memorie, judicio (*m*) veritatis, & argumentum certitudinis. Ad reſecandum igitur totius ambiguitatis ſcrupulum, noſcant tam preſentes, quam futuri, quod Nos Dilecto ac fideli noſtro *Zulizlao* Burgravio de *Loket*, in villa *Lewinice*, partem hereditatis, juſto tytulo ad caſtrum *Cladezco* ſpectantem, libertate decoratam, ab omni Jurisdiccione & jugo ſervitutis, quod vulgariter vocatur *Narok*,

(*b*) Dluhomili. (*i*) Joannes II. (*k*) Dietſchin, Tetſchen hodie. (*l*) Wenceslaus iſte paſſim in diplomatibus ſe vocat *quartum Regem Bohemorum* non quidem nomine, quo primus fuit, ſed numero; nam poſt Wratislaum, Wladislaum & Ottocarum I. *Reges* quartus numero Rex fuit, hinc ejus filium Ottocarum II. ſeſe *quintum Regem Bohemorum* ſcripſiſſe, paſſim in diplomatibus legimus. (*m*) Legendum verosimillime judicium.

Nareb, *Zwod*, *Hlawa*, *Tenetne*, liberaliter, ac favorabiliter exhoneratam contulimus Jure perhenni poſſidendam, quam ex benigno & favorabili noſtro aſſenſu Idem *Zulislaus* ſub predicta forma libertatis cum Venerabili Domino *Clemente* (*n*) *Brzewnovienſi* Abbate pro villa *Mradice* commutavit eidem Abbati pretaxatam hereditatem, & prenominato Cenobio perpetualiter poſſidendam; villas ejusdem monaſterii ſitas in eadem provincia, videlicet *Malnice*, *Helvitice*, & *Lewinice* fecimus eadem libertate gaudere. In cujus rei evidenciam, & perpetuam firmitatem pretaxate commutationis, preſens ſcriptum, cum ſubſcriptione, ſigilli noſtri munimine juſſimus inſigniri. Teſtes autem hujus rei ſunt hii. *Bobuzlaus* filius *Zlavconis*. Item alius *Bobuzlaus* filius *Rachym*, *Boruta*, *Neoſtup* Burgravius de *Prinda*, *Woco* Subcamerarius. *Chunrad* Burgravius de *Zwccow*, *Nicolaus* de *Brezna*, *Sdata* de *Hradiſche*, & alii quam plures. Acta autem ſunt hec, Anno Dominice Incarnationis 1238. XI. Indiccione Datum apud *Pragam* per manum Notarii Wilhelmi, 8. Idus Auguſti.

XXX.

Anna Duciſſa Sileſiæ uxor Henrici Ducis Sileſiæ confirmat Andreæ quondam Abbati in Oppatovitz & ejus fratribus ſilvam Creſſobor (hodie Criſſau) pro excolendo monaſterio a marito ſuo donatam dd. Wratislaviæ VIII. Idus Maji 1242. Excudit Ludewigius. T. VI. Reliquiarum p. 488.

XXXI.

Innocentius Papa committit Epiſcopo Pragenſi, & Brzewnovienſi, ac Gradicenſi Abbatibus, ut Conradum ad Epiſcopatum Olomucenſem intruſum, ab omni adminiſtratione ſuſpendant, & bona Epiſcopatus diligenter conſervari curent. dd. Lugduni V. Martii, Pontificatus anno II. (*o*) Ex autographo Archivi Brewn.

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri (*p*) Epiſcopo *Pragenſi*, & Dilectis Filiis *Breunovienſi* (*q*) & (*r*) *Gradicenſi*, Pra-

(*n*) Hic Clemens nomine II. Abbas Brewnovienſis Ziegelbauero ordine eſt XV, ſed Chronologia illius diplomatibus minime reſpondet. Dluhomilo Abbati Succeſſorem ſtatuit Paulum I. *quem poſt ſeſqui annum in tumulum dejectum fuiſſe & quidem An.* 1240. pag. 63. ſcribit, ut ita ex ejusdem calculo primum An. 1240. Clemens Abbatialem infulam conſecutus fuiſſet. Ex hoc vero diplomate teſtatum fit Clementem jam An. 1238. præfuiſſe. Paulus itaque, ſi inter Dluhomilum & Clementem interceſſit atque ſeſqui anno Abbatialem ſedem tenuit, huic anno præjiciendus. (*o*) Anno 1244. (*p*) Is fuit Nicolaus. (*q*) Clementi. (*r*) Is fuit Robertus juxta Annales Præmonſtratenſes P. I. p. 751.

Pragenſis, & Olomucenſis Dioceſis Abbatibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponentibus coram nobis J. Decano, B. Archidiacono, & Magiſtro J. Canonico, & Procuratore *Olomucenſis* Eccleſie, quod *Conradus* (*s*) Canonicus *Ildeſenienſis* pro eo, quod in *Olomucenſem* Eccleſiam procuraverit ſe intrudi, & ſe gerit pro Epiſcopo in eadem (*t*), fuit auctoritate noſtra citatus, ut noſtro ſe conſpectui, per ſe, vel procuratorem idoneum preſentaret, ſuper hys ſecundum juſtitiam reſponſurus. Verum cum diutius expectatus contempſerit comparere, nos indempnitati ejusdem Eccleſie precavere volentes, eam & domos ipſius cum bonis omnibus, que ad ipſam, & Epiſcopatum pertinent, ſequeſtranda, & predictum *Conradum* propter ſuſpicionem dilapidationis, ac infamiam intruſionis ortam de ipſo, & ne ſcandalum in eodem populus Domini patiatur, ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium duximus ſuſpendendum. Ideoque diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus domos, & bona ipſa auctoritate noſtra recipere, ac diligenter conſervare curetis, usque ad noſtre beneplacitum voluntatis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quodſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, tu Frater (*u*) Epiſcope cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum *Lugduni* V. Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

XXXII.

Innocentius IV. Papa committit Clementi Abbati Brewnovienſi, ut Pragenſibus civibus relaxet excommunicationis ſententiam, quæ inde a S. Adalberto in venalem conficientes cereviſiam (*x*) *lata & non relaxata ferebatur dd. Lugduni III. Nonas Decembris Pontif. An. II.* (*y*) Jam habetur excuſa P. IV. noſtrorum Annalium p. 340.

XXXIII.

Wenceslaus IV. Bohemiæ Rex dat Jus Patronatus in Raybrad Brunoni Epiſcopo Olomucenſi & Succeſſoribus dd. Brunæ An. 1248. *III. Idus Decembris.* Ex archivo Brewnow.

(*s*) De Fridebergk. (*t*) Auguſtinus in epiſcopis Olomucenſibus p. 282. dicit Conradum hunc violenter a Wenceslao Rege Boh. contra Wilhelmum legitime a Capitulo electum intruſum fuiſſe, adeo ut Decanus & Capitulum ſpontaneum pro eccleſiaſtica libertate exilium per ſeptennium ſubierint, nec prius quam An. 1247. Brunonem de Schœnberg (poſteaquam Wilhelmus juri ſuo & electioni ceſſiſſet) unanimibus votis electum fuiſſe. (*u*) Nicolae. (*x*) Quo anno hoc fulmen eccleſiaſticum a S. Adalberto vibratum, & quæ cauſa ejus fuiſſe videatur, enodavimus Parte IV. Annal. p. 340. (*y*) Scilicet ut ſupra An. 1244.

Dilecto Fideli ſuo Venerabili in Chriſto Patri *Brunoni* Epiſcopo *Olomucenſi*, ejusque Succeſſoribus in perpetuum. Inter ceteras & preclaras Virtutum ſedes, non immerito locum ſibi munificentia vendicat ſpecialem, que licet munificum qvemlibet faciat virtuoſum: clariori tamen luce refulget in Principe, dum quanto ſublimius habitat tanto prolixius radios ſue claritatis extendit &c. Nos igitur Fidelitatis Veſtræ devotionem, quam erga noſtram perſonam inceſſanter geritis, juxta nobilitatem, qua nos exaltavit alti gloria ſangvinis, prout nobis & quam pluribus conſtat Mundi Principibus, ſtudioſius attendentes liberalitate Regia vobis & Epiſcopatui Olomucenſi donamus, conferimus, *damus & tradimus Jus Patronatus & omnem* Jurisdictionem, quam habemus in Monaſterio & villa *Raybrad*, in perpetuum pleno jure, ita quod nulli unqvam Juris Patronorum vel alicui hominum, quocumque nomine cenſeantur, liceat in prefato Monaſterio vel ejus bonis hoſpitari vel aliquid aliud contra Juſtitiam agere, absque licentia veſtra ſpeciali. Ut autem hec noſtra donatio firmitatem obtineat pleniorem, hanc noſtre Celſitudinis paginam ſuper eo conſcribi & ſigillorum noſtrorum appenſionibus iuſſimus roborari.

Acta ſunt hæc *Brune* preſentibus Teſtibus *Alberto* Prepoſito S. *Petri* in *Bruna*, *Ekenberto* Burggravio de *Stehrnberg*, *Borchone* Marſchallo noſtro. Geres Pincerna noſtro, *Hugone* & *Geros* fratribus de *Waldenberg*, *Hirſone* Coquine noſtre Magiſtro & aliis quam plurimis.

Date per manum Magiſtri *Dionyſii Wiſſehradenſis* Prepoſiti Regni noſtri Cancellarii (z) An. *Chriſti* M. CCXL VIII. Tertio Idus *Decembris* Indictione ſecunda.

XXXIV.

Weuceslaus IV. Bœmiæ Rex indulget Abbati & monaſterio Brewnovienſi, ut villam Zwarow cum villa Churomrtwi dicta permutare poſſint. dd Pragæ An. Dominicæ Incarnacionis. Indictione VII. Concurrente quinta, Epacta quarta, ſexto Idus Februarii. (a) Ex Autographo Archivi Brewnov.

Wen-

(z) Ex his habe jam An. 1248. Dionyſium Præpoſituram Wiſſehradenſem tenuiſſe.
(a) Valde mutilum hoc diploma eſt, lateris enim ſiniſtri in membrana magnum fruſtum avulſum eſt, atque inde eſt, quod mancum hic quoque ſiſtamus, cum apographum nullum in archivo Brewnovienſi invenerimus. Sigillum tamen integrum & illæſum appenſum hodie eſt.

Wenceslaus Dei Gracia Boemorum Rex Quartus. Dilectis in Christo noſtris Religioſis Abbati (*b*) totique Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* graciam ſuam, & omne bonum. Quoniam in hoc mundi tramite univerſe carnis inſtabilis eſt propago, & dum generacio periit, generacio advenit, ſicque cum curſu temporum omnis homo labitur, donec in ſuam originem redigatur. Ideo caute prudentum ſanxit auctoritas, ut omnis actio, ſeu donatio eternetur memoria litterarum, ne oblivionis caligo abſorbeat quod liberalitas Regalis Excellencie facere decreverit, aut largiri, pietatis ſtudio adhortamur. Noverint igitur univerſi, tam preſentes, quam poſteri, preſentem paginam inſpecturi, quod nos, qui - - - - - - - -
omnium Eccleſiarum Regni noſtri maxime monaſteriorum, toto mentis anniſu conſulere volumus; - - - - - - -
pro quadam villa Monaſterii *Brewnovienſis Zwarov* nomine, ab inibi Domino militantibus progenitor - - - - - -
tempore poſſeſſam pacifice, & quiete, Abbati, & Conventui ejusdem Monaſterii commutationem - - - - - - -
Churomirtwi nomine, undecim homines noſtros pertinentes ad beneficium Dapiferum menſe noſtre. - - - - - - -
Dentur ratione ſui ſervicii poſſidere in perpetuum jure poſſidendam; Dantes eis integram - - - - - - -
facultatem, ſi prefatam hereditatem excolendam pro ſe, ſuis maluerint uſibus applicare, - - - - - - -
indulgemus, ut centum quinquaginta jugera de terra, que dicti Abbas & Conventus in memorata villa quadraginta - - -
pararunt, a dilecto fideli noſtro *Chunchone* raſore, cui eadem jugera contuleramus, ipſius ſervicia Regie benign - - -
prii cum omnibus pertinentibus ad premiſſa. Si quis autem heredum ſeu Succeſſorum noſtrorum hec a nobis liberaliter - -
- - - pro benediccione malediccionis ſcrupulum ſortiatur, nec non cum *Datan* & *Abyron* - - - -
Ad hujus itaque facti noſtri ſeu Conceſſionis inviolabile firmamentum, preſentes damus - - - - - - -
ſempiternam, ſigillorum noſtrorum munimine roboratas. Actum Prage anno Dominice Incarnationis (*c*) - - - -

In-

(*b*) Clementi. (*c*) In margine a quodam poſteriore appoſitus annus 1250. At cum notetur Indictio VII. ea incidit in annum 1249.

Indictione VII. Concurrente quinta, Epacta quarta, ſexto Idus Februarii. Teſtes - - -

XXXVII.

Commiſſio Innocentii IV. Papæ Abbati de Luca Ordinis Premonſtratenſis delata ſuper cognoſcendis querelis Abbatis Brzewnovienſis adverſus Magiſtrum Cruciferorum S. Mariæ Civit. Prag. in cauſa decimarum, poſſeſſionum &c. dd. Laterani. II. Kal. April, Poutificatus anno XI. (g)

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei; Dilecto Filio (*h*) Abbati *de Luka Premonſtratenſis* Ordinis, *Olomucenſis* Dioceſis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conqueſti ſunt nobis Abbas & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis*, quod Magiſter Cruciferorum (*i*) Domus ſancte *Marie Pragenſis* in Capite pontis, & quidam alii Pragenſis Civitatis & Dioceſis ſuper decimis, redditibus, poſſeſſionibus, & rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque Diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias cauſam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum *Lateran.* II. Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno undecimo.

XXXVIII.

Przemysl Rex juvenis Boemorum quoddam forum in provincia Gradicenſi Prowodow nuncupatum transfert in Policz, & ipſam donationem loc Policz confirmat dd. Pragæ VIII. Idus Septemb. 1253. Habetur excuſum apud Ziegelbauer c. l. p. 283.

XXXIX.

Premislaus heres Regni Bohemie eccleſiam Pragenſem, Wiſcheradenſem, in Monte Sion, & Brewnovienſem eximit ab omnibus ſordidis muneribus. angarys &c. dd. Pragæ XII. Kal. Decemb. Anno 1253. (*k*) Excuſum habetur apud Pontanum in Bohemia Pia l. 6. p. 86.

XL.

Boleslaus Dux Sileſiæ confirmat donationem ſilvarum in Greſſobor Oppatovicenſi monaſterio a patre ſuo factam, ædificandumque monaſterium ad ſuam juriſdictionem & defenſionem ſpectaturum declarat dd. in Ligniz VIII. Idus Februarii 1254. Ex archivo Brewnov.. Excuſum habetur

apud

(g) Anno 1253. (*h*) Juxta Annales Præmonſtratenſes P. II. p. 88. fuit eo anno Abbas Henricus, qui anno 1258. fatis ceſſit. (*i*) Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani. (*k*) Autographum hodie ſervatur alterum in Archivo Brewnovienſi, alterum in Archivo Metropolitano, quod utrumque vidi.

apud Sommersberg Rer. Silesit. T. I. p. 862. & Ludevig. T. VI. Reliquiarum p. 443.

XLI.

Alexander IV. præcipit episcopo Pragensi, (*l*) *ut compescat Clericos Pragenses molestos Monachis Brewnovienſibus, qui sua insolentia festum Innocentium reddunt infestum dd. Laterani Kalendis Aprilis Pontif. anno II.* (*m*) apud Ziegelbauer p. 227.

XLII.

Ottacarus Rex Bohemiæ renovat, & confirmat Martino Abbati Privilegium, jam nimia vetustate fere consumptum Boleslai Ducis Bohemiæ, item Ottakari & Wenceslai Regum. dd. sexto Idus Maji anno 1255. Ex autographo achivi Brewnov. sigillum in plura frusta divulsum est.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Ottacarus* Dei Gracia *Bohemorum*, Rex, Dux *Austrie*, Marchio *Moravie*, Universis Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris salutem in eo, qui est salus omnium, & vita. Ex officio Regalis dignitatis nobis Divinitus collato preces humilium debemus attendere, & eorum justis precibus favorem benivolum, quantum cum Deo possumus, impertiri. Cum igitur *Brewnovienſe* Monasterium, quod in Regno Bohemie primum fore dignoscitur, ipsum specialius diligere debeamus & velimus, ac ejusdem commodum & profectum pio disideremus affectu, notum facimus omnibus hanc paginam intuentibus, quod nos ad instantiam Venerabilis Viri *Martini* Abbatis *Brewnovienſis* Monasterii, Dilecti nostri Capellani Privilegium libertatis, quod Inclitus Vir *Boleslaus* Dux Bohemorum felicis recordationis eidem monasterio ad preces sanctissimi Patris nostri *Adalberti* Martyris Christi contulerat, & jam nimia vetustate fere consumptum fuerat, adeo, quod propter attritionem cartule vix littere apparebant, manibus nostris tractavimus, ac in rescripto redigi fecimus de novo, approbantes, ratum habentes, & confirmantes coram multis Baronibus Regni nostri, qui tunc presencialiter aderant. Quidquid in eodem privilegio continetur, cujus tenor talis est: In nomine sancte ac Individue Trinitatis, Amen. Boleslaus Dei gracia Dux Boemorum &c. &c. (*n*) Ad hec Dominus *Martinus* Abbas Monasterii supra memorati in nostra presencia eodem tempore constitutus, presenti-

(*l*) Is fuit Nicolaus, qui tribus annis posterius mortuus, ut habet Continuator Cosinæ (*m*) Anno 1255. (*n*) Idem diploma est, quod Num. I. notatur, quodque P. IV. Annalium æri inciſum dedimus.

tibus quam plurimis Regni noſtri Baronibus preſentavit nobis humiliter privilegia Inclitorum Regum, videlicet *Ottakari*, qui & *Premisl* dictus fuit, Avi noſtri, nec non Dilectiſſimi Patris noſtri *Wenceslai* clariſſime memorie, poſtulans ſumma precum inſtancia, quatenus amore Jeſu Chriſti, qui nos omnes ſui ſanguinis precio redemit, ac pro redemptione animarum noſtrorum omnium progenitorum, qui fundatores *Brewnovienſis* Monaſterii extiterunt, noſtreque proprie ſalutis obtentu, libertates ab eisdem indultas, conceſſiones, donationes, nec non confirmationes eorundem privilegiorum, ſecundum quod tenor ipſorum liquido declarat, auctoritate Regia confirmaremus. Nos igitur progenitorum noſtrorum veſtigiis pia conſideratione inherentes, ac ſalutem ipſorum ſummo deſiderio deſiderantes, ut partem in Regno Dei cum electis aliquam in diſtricto examinis die percipiant, peticionem ſepe dicti Abbatis *Martini* (o) piam & honeſtam, quem eciam ob ſue probitatis ſervicia nobis ſepius exhibita, ſincero diligimus affectu, duximus admittendam, approbantes, ratum habentes, & auctoritate Regia confirmantes, quidquid in eisdem privilegiis legaliter, & bona fide confectis expreſſius continetur. Et ne impoſterum noſtra ſolempnis & publica confirmatio aliquo ſiniſtro prepediente caſu aput poſteros noſtros a memoria excidat hominum, vel dubium, ſeu contrarium generet in populo, preſentem paginam cum omnibus libertatibus, juribus, a noſtris progenitoribus indultis, confirmamus, & ad ſuccidendam omnis ſuſpicionis, ſeu cavillationis materiam, ſigillorum noſtrorum munimine teſtibus adjunctis fecimus roborari. Datum in Civitate *Pragenſi*, per manus Magiſtri *Wilhalmi* Regalis aule Prothonotarii, Pragenſis Canonici. Anno gracie 1255. ſexto Idus Maji coram his teſtibus, qui omnes tunc temporis in colloquio noſtro, quod in *Stragow* (p) celebravimus preſencialiter affuerunt, quorum nomina ſubſcribuntur. Dominus *Bruno* (q) *Olomucenſis* Epiſcopus, *Nicolaus* Prepoſitus ejusdem Eccleſie. *Briznoborius* Wiſſegradenſis Canonicus, *Herbordus* Pragenſis Canonicus, Dominus *Bawor*

(o) Si Ziegelbaueri calculus certus eſt, hoc ipſo anno Martinus abbatialem dignitatem poſt Virum obtinuit. Peculiare eſt, quod *Cæpellanum* ſuum Ottokarus appellet. Quæ autem Capellanorum Regiorum & Imperialium dignitas fuerit, jam Tomo II. Monumentorum noſtrorum p. 72. explicavimus. (p) Id eſt: in monte Sion monaſterio Ordinis Præmonſtratenſis. (q) Idem eſt, quem Auguſtinus Brunonem Comitem de Schoenbergk appellat, quemque anno 1281. mortuum tradit.

Regalis aule ſummus Camerarius, *Pomney* Judex, *Boemmine*, Jaros Burgravius Pragenſis Caſtri, *Andreas Checz* Pragenſis, *Bores* filius *Bohuzlai*, *Marquardus* ſubcamerarius, *Witko* filius *Henrici de Gradec*, *Shaviſſe* filius *Witkonis*, *Smil* filius *Henrici*, *Chenec* frater ejus, *Sifridus* Orphanus, *Boruta* de *Redhoſt*, *Boleslaus* filius ejus, *Brecizlaus* filius *Brecizlai*, *Bawor* ſubjudex, & alii quam plures. Acta ſunt hec anno Regni noſtri, Deo propitio, ſecundo.

XLIII.

Boleslaus Dux Sileſiæ donat monaſterio de Creſſobor ducentos triginta manſos Franconicos dd. Wratislaviæ Indictione XIV. anno 1256. Excuſum habetur apud Ludevig T. VI. reliquiarum p. 441.

XLIV.

Przemisl Rex Boh, commutat cum Abbate Martino & monaſterio Brewnovienſi agros in villa Churomirtwi, & pro villa Podmokleh tradit. dd. Pragæ in Dominica Paſchæ Anno 1256. Ex authographo Archivi Brewnovienſis Sigillum illæſum eſt.

In nomine Domini Amen. *Premisl* Dei gracia Dominus Regni *Boemie*, Dux *Auſtrie*, Marchio *Moravie*, Omnibus Chriſti fidelibus hanc paginam inſpecturis ſalutem in eo, in quo ſumma ſalutis conſiſtit. Cum humane condicionis ſtatus motu multiplici varietur, & facta hominum vetuſtas oblivionis abſorbeat, neceſſe eſt, & communis ſvadet utilitas, ut ea, que noſtro geruntur in tempore, ſcriptis & teſtibus roborentur ydoneis ad memoriam perpetuam poſterorum. Noſcat igitur tam preſens hominum etas, quam in Criſto ſucceſſura poſteritas, quod nos pro quadam villa Monaſterii *Brewnovienſis Podmokleh* nomine, Abbati *Martino* Dilecto Capellano noſtro, ac Conventui ejusdem Monaſterii commutationem congruam fecimus, dantes eis libera voluntate in villa noſtra *Churomirtwi* (r) nomine, agros quorundam hominum, qui ad Jus ſummi Camerarii pertinebant, quos tunc temporis fideli noſtro militi *Bawaro* ob ſue probitatis merita in beneficium contuleramus. Damus eis nihilominus liberam facultatem eosdem homines amovendi, & procul pellendi, ſi prefatam hereditatem pro ſe ſuis maluerint uſibus applicare. Ut autem noſtra ſpontanea commutatio ſollempniter celebrata, robur perpetue firmitatis aput poſteros noſtros obtineat, preſentem paginam

(r) Jam ſupra Num. XXIX. Wenceslaus Rex facultatem dedit villam Zwarow cum villa Churomirtwi commutandi, hic peculiares quidam agri eidem villæ incorporantur.

nam ſigilli noſtri appenſione fecimus publice communiri. Acta ſunt hec anno gracie Domini 1256. in Dominica *Paſche*, feria quarta, Datum *Prage* in Curia Domini *Ottonis Meluicenſis* Prepoſiti, per manum Domini *Wilhelmi* Regalis Aule ſummi Notarii, in preſencia horum teſtium, quorum nomina ſubſcribuntur; *Bawor* Regalis Aule ſummus Camerarius, *Marquardus* ſubcamerarius, *Cech* Judex Curie Regalis, *Zmil* filius *Henrici*, *Jarozlaus* frater *Galli*, *Sdezlaus* filius *Diviſſii*, *Zezema* de *Cozromlakt*, *Zulizlaus* de *Pnotluk*, *Naçerad*, filius *Pakozlai*, *Wilhelmus* filius *Hroznate*, *Beznata*, *Cazlawal*, *Bohuzlaus*, *deſider*: *demirt*, & alii, quam plures.

XLV.

Ottacharus Dominus Regni Boh. confirmat concambium factum ſuper circuitu Lebranch inter Martinum Abbatem Brewnov, & Bohuſch filium Cerbonis dd. apud Pidbk VIII. Kal. Aprilis anno 1258. Ex Archivo Brewnov. (*s*)

Ottacharus Dei gratia Dominus Regni *Bohemie*, Dux *Auſtrie*, Marchio *Moravie* univerſis hanc literam inſpecturis in perpetuum. Ut affectum, quem gerimus cordis circa Venerabilem Abbatem de *Brewnov Martinum* nomine, ipſi in effectu operis oſtendamus, volentes in his aliis rationalibus complacere, ad noticiam tam preſencium, quam futurorum volumus pervenire; quod nos concambium factum inter ipſum Abbatem ex una parte, & *Bohuſch* filium *Cerbonis* dilectum fidelem noſtrum ex parte altera ſuper circuitu ipſius Abbatis *Lebranich* nominato, ſito in *Uzbrunne*, & villa dicti fidelis noſtri B. (*t*) nominata *Lobutowitz* ſita in *Brunenſi* provincia, (*u*) ratum & gratum habentes ipſum ob amorem precis utriusque ſigillis noſtris & literis confirmamus, & preſentem damus literam ad cautelam munitam teſtibus & ſigillis. Sunt autem teſtes: *Bowar* (*x*) *Andreas*, *Vdik*, *Surdus*, *Zudomir*, *Zmi-*

(*s*) Autographum deſideratur, adeſt tamen tranſumtum in literis vidimatoriis Antonii Archiepiſcopi Pragenſis dd. Pragæ die 25. Auguſti An. 1565. (*t*) Bohuſch. (*u*) Hanc *Brunenſem provinciam* vix quidem illam nominatam a præcipua urbe *Brunn* in Moravia deputamus, nec enim credibile tam longinquas permutationes Martinum quæſiturum fuiſſe, verosimilius eſt per *Brunenſem* provinciam indicari hic territorium *Brunovienſe* hodie Brunovienſe, in quo alioquin Præpoſitura & plures poſſeſſiones monaſterium Brewnovienſe habuit. (*x*) Tranſumtoris veroſi millime error eſt, in priori diplomate aliisque vocatur *Bawor*, fuitque ſummus Camerarius Aulæ Regalis.

lo frater *Peſconis*, Wecho, *Joannes* Zudarius, *Beneſſius* Camerarius, *Feroſcius* Pragenſis Burcravius, & alii quam plures. Actum anno Domini *milleſimo ducenteſimo quinquaſimo octavo.* Datum per manum Magiſtri *Arnoldi* Prothonotarii apud *Pichk* Octavo Kalendas Aprilis.

XLVI.

Premislaus Rex ob reverentiam B. Guntheri pro cujus meritis Deus multa operatur miracula *confert Martino Abbati* & *monaſterio Brewnov. terram eocorum in villa Curomirtwi. dd. Prage An. MCCLX. VI. Kal. Maji.* Habetur excuſum apud Pitter p. 63. (*y*)

XLVII.

Primislaus Bob. Rex decernit, ne ullus de Judicio Provinciali Glaczenſi preſumat Jurisdictionem uſurpare in circuitum ad Prepoſituram de Politz ſpectantem, ſed illud Jus ſoli Abbati & monaſterio Brzewnovienſi competat. dd. Prage, III Nonas Novembris. An. 1260. Ex Authentico Archivi Brewnov. cui illæſum ſigillum Regis appenſum eſt.

In nomine Domini Amen. Que memoriâ celebri & perpetua extant digna, ideo digne ſcripture perhenni teſtimonio commendantur, ne tractu temporis in oblivionem deducta dubietatis diſpendia in poſterum patiantur. Eapropter noſtre ingenuitatis Progenitores Illuſtres *Pius* videlicet *Boleslaus* quondam *Boemorum* Dux, Fundator Monaſterii *Brewnovienſis*, & clare memorie *Primisl*, qui & *Otthacarus* Avus noſter, & *Wenceslaus* Pater noſter Reges Incliti Boemorum idem monaſterium amplis poſſeſſionum donationibus, & dignis libertatibus magnifice illuſtrantes, varia ſuper hoc eidem Cenobio Privilegia contulerunt. Quorum veſtigia nos *Primisl*, qui & Othacarus Dei gracia Dominus Regni *Bobemie*, Dux *Auſtrie* & *Styrie*, & Marchio *Morauie* cupientes indeclinabili greſſu proſequi, preſertim in operibus pietatis, firmiter decernimus prenotata privilegia univerſa obtinere robur perpetue firmitatis preſenti pagina ſanctientes, ut juxta tenorem privilegiorum Avi noſtri & Patris noſtri predictorum ad Prepoſituram de *Politz* ſpectans circuitus cum omnibus ceteris bonis, que ſunt ultra montes, qui *Steni*, (*z*) & parietes vulgariter nominantur, tam in Judiciis, quam aliis Juribus & cen-

(*y*) Idem diploma excuſum etiam dedit Ziegelbauer p. 140, ſed perperam ad annum 1266. rejecit, tracto numero *ſexto* ad annum, qui ad Kalendas Maji pertinet. Autographum ipſe inſpexi. (*z*) A Boemica voce Stena, quæ etiam hodie parietem ſignificat. Illud vero vix alibi proditum; montes hos parietes ſeu Steni appellatos fuiſſe.

censibus libere deserviant dicto monasterio *Brewnovienſi*, ita quod Judex Provincialis & alii officiales Provincie *Gladcenſis* in nullo casu super homines in bonis prenotatis Ecclesie *Brewnovienſis* Ecclesie manentes presumant sibi Jurisdiccionem aliquam usurpare. Si tamen casus aliqui graves contra eosdem homines moverentur, iidem secundum nostram sanctionem *Pragenſi* Judicio, vel coram nobis duntaxat astabunt, eo salvo & cauto, ut ad Venerabilem in Christo Patrem Dominum scilicet *Martinum* Abbatem *Brewnovienſem*, & Successores ejus omnes, tota ex Judicio proveniens pena pecuniaria, seu aliorum quorumcunque bonorum, aut rerum usus sine difficultate aliqua integraliter devolvatur, quemadmodum in prefatorum nostre magnitudinis Progenitorum Privilegiis exinde confectis apertius continetur. Acta sunt hec in presencia testium subscriptorum. Quorum nomina sunt ista, *Jaros* Burggravius Pragensis, & filius ejusdem *Albertus*, *Andreas* Camerarius Regni nostri & *Diwis* frater ipsius. Item *Sdizlaus* curie nostre *Marsalcus*, *Cunradus* frater suus. *Chetz* Judex Boemie & *Zezema* de *Cozthomlat*, *Hrono* & *Natserat* frater ejusdem, *Ruben* & *Bohus* frater ipsius, & alii quam plures, qui huic confirmationi nostre presentialiter affuerunt, quam etiam presentis scripti patrocinio, & sigillorum nostrorum Karactere fecimus communiri. Datum *Prage* per manum Magistri *Arnoldi* Notarii nostri, anno Domini MCCLX Indictione III, III. Nonas Novembris.

XLIIX.

Margaritha regina Bohemiæ restituit monasterio Brewnovienſi villam Craſicz quondam a Cunegunde Boh. Regina collatam, sed a villicis regiis occupatam. dd. VI. Kal. Decemb. An. 1260. Autographum adhuc servatur in Archivo Brewn. Ziegelbauerus id p. 280. ex vidimatoriis literis Caroli IV. transumpsit.

XLIX.

Testimonium super visione Martini Abbatis ad sepulchrum B. Guntheri in causa canonizationis ejusdem. Habetur apud Pitter p. 65.

L.

Literæ Hermanni Abbatis Altahenſis solicitantis Canonizationem B. Guntheri apud Alexandrum IV. Papam. dd. VIII. Martii anno 1261. Apud eundem Pitter p. 64.

LI.

Urbanus IV. fatetur diploma Przemyslai Ottacari, cui inſerta erat Bulla Joannis XV. ad ſe pro confirmatione miſſam fuiſſe, quam in hanc Bullam tranſumit, & confirmat. dd. Witerbii Idus Maji Pontif. anno I. (a) Habetur apud Ziegelbauerum p. 261.

LII.

Indulgentiæ Urbani IV. conceſſæ viſitantibus eccleſiam Brewnov in feſtis S. Adalberti, Benedicti, Dionyſii (b) *& dedicatione dd. Witerbii Id. Septemb. Pontif. anno I.* Apud Pitter p. 77.

LIII.

Amicabilis compoſitio inter Martinum Abbatem Brewnov. & Malichiam viduam civem Pragenſem ejusque cognatos de villa Zepi. dd. 1264.

Noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod nos *Malichia* relicta quondam *Wrowini* civis *Pragenſis* cum filia noſtra *Yſalda*, & genero noſtro *Ottone* filio *Frenclini*, nec non *Cunchone* judice civitatis, *Frenclino* Patre prædicti pueri, & *Welwino* ſuper controverſia, quæ vertebatur inter nos ex una parte ſuper villa dicta *Zepi*, & *Martinum* Venerabilem Abbatem *Brewnovienſem* & ipſius Conventum ex altera, in probos viros *Piznohorium* Scholaſticum *Pragenſem*, *Andream* Regiæ aulæ Camerarium majorem, quæſtione diu agitata, & inimicitiis durantibus compromiſimus tanquam in Amicabiles Compoſitores, & pacis ordinatores ſub hac forma: quod a dicto Abbate, & ipſius Conventu recepimus 60. Marcas argenti communis ad pondus *Pragenſe* pro dicta villa, & aliis nobis injuriis irrogatis: ita quod Dominum Abbatem & ejus ſucceſſores, vel ipſius Conventum nunquam tam in jure temporali, ſeu civili, quam etiam ſpirituali ſuper dicta villa conveniemus, ſeu quocunque judicio requiremus, quia ex parte ipſius Abbatis, & Conventus exſtitit nobis plene ſatisfactum. Et ut hæc ordinatio ſeu amicabilis Compoſitio per viros prædictos ordinata inviolabilis perſeveret præſentes literas ſigillo Communitatis *Pragenſis* petivimus communiri. Acta ſunt hæc anno Domini 1264. præſentibus his teſtibus *Wenceslao* Notario *Boemie*, *Laurentio* Phyſico (c) *Wiſſegradenſi*, & *Boleslavienſi* Canonico, *Meynardo*, *Heroldo*, *Simone*, & aliis quam pluribus civibus *Pragenſibus*.

LIV.

(a) Anno 1262. (b) Is erat dies obitus & cultus B. Guntheri. (c) Ideſt: Medico, ſeu cui cuſtodia infirmorum commiſſa. Gloſſar Dufreſne h c voce.

LIV.

Ottacarus Rex Bohemie reſtituit Martino Abbati & monaſterio Brzewnovienſi villam Zepi, quam Frovinus civis Pragenſis injuſte detinuerat. dd. VII. Kalendas Maji. anno 1264. Ex Autographo Archivi Brewnov. ſigilli pars avulſa eſt.

In nomine Domini, Amen. Nos *Ottacarus* Dei gracia Rex *Boemie*, Dux *Auſtrie* & *Stirie*, Marchio *Moravie*, ad rei memoriam ſempiternam. Quoniam ſecunda tabula poſt naufragium data eſt mortalibus ad ſalutem contra antiqui hoſtis inſidias, qui molitur cottidie, ut *Jordanus* in os ſuum influat, ſeu ut electos deglutiat, & deperdat; contra hoc nobis ſemper ſollicitudo imponitur, quod calumpnianciam poſſimus reſiſtere dolo, pariter & malignitati. Notum igitur fieri volumus univerſis, quod ad inſtanciam Venerabilis Viri *Martini* Abbatis *Brewnovienſis* nobis dilecti querelantis, quod quidam *Frowinus* Civis *Pragenſis* quandam villam nomine *Zepi* ad Monaſterium *Brewnovienſe* ſpectantem, pleno jure, detineret contra juſticiam occupatam, propter quod cognitis cauſe meritis, videlicet quod ſereniſſimus Princeps felicis recordationis Pater noſter *Wenceslaus* Rex Boemie dictam villam reſtitui mandaverit (*d*) memorato, eo quod ſine ipſius conſenſu, nec non Venerabilis Patris Pragenſis Epiſcopi non debuit, nec potuit alienari; mandatum ipſius Patris noſtri ſuper eo exſequi cupientes, ſupra dictam villam *Zepi* ſibi, & Monaſterio *Brewnovienſi* reſtituimus pleno Jure, heredibus *Frovino* & Succeſſoribus ejus quacunque ex cauſa ſuper eadem villa perpetuum ſilencium inponentes. Et ne poſſet impoſterum oriri dubium, quod terras quasdam, quas quidam tenebant homines noſtri ad noſtram menſam ſpectantes in eadem villa, qui *Hoztivzi* vulgariter vocantur, ipſi monaſterio adjunximus ac donavimus ſine qualibet dubietate in perpetuum poſſidendas. Ad evitandam igitur in perpetuum quorumlibet calumpniam, & removendam, preſentes conſcribi fecimus, bone memorie Patris noſtri ſecuti ſententiam & voluntatem, confirmamus, & approbamus, quod Abbas & Monaſterium predicti de dicta villa ordinent, & diſponant, quicquid eis viſum fuerit expedire. In cujus rei teſtimonium preſentes conſcribi fecimus, ſigillorum noſtrorum munimine roborantes. Acta ſunt hec anno Domini MCCLXIV. VII. Kalendas Maji, preſentibus *Andrea* ſummo Camerario, *Jaroſio* Burggra-

(*d*) Hic membrana carioſa eſt.

gravio Pragenſi, *Thechone* Judice, *Olrico* Camerario, *Olrico* Pincerna, *Purchardo* Prachinenſi, *Hirzone*, Caſtellano de *Zwetow*, *Jacobo* Prepoſito, *Priznoborio* ſcolaſtico Pragenſibus, *Engelberto* (*e*)Decano, *Friderico* ſcolaſtico Wiſſegradenſibus, & aliis quam pluribus.

LV.

Martinus Abbas Brewnovienſis emit pro. 220. marcis advocatiam in Brunow a Wichero ejusdem loci advocato dd. Pragæ 1266. ſexto Non. Julii.

Quæ geruntur in tempore, ne labantur ſimul tempore, ſolent voce teſtium, & ſcriptorum memoria perhennari. Nos igitur *Andreas* Camerarius Illuſtriſſimi Domnii Regis *Boemorum* & *Sdizlaus* Marſalcus ejusdem Notum eſſe volumus univerſis præſentem paginam inſpecturis, quod Venerabilis vir *Martinus* Miſeratione Divina Abbas *Brewnovienſis* de conſenſu noſtro, & aliorum proborum virorum advocatiam in *Brunow* emit pro 220. Marcis argenti perpetuo poſſidendam a *Wichero* advocato (*f*) ejusdem loci, cum omnibus proventibus, & juribus, quos idem advocatus percipere debuerat, ſi perſonaliter eidem advocatiæ præſideret, Ne igitur impoſterum contra præfatum Dominum Abbatem ſuper dicta emptione fomes diſcordiæ oriri poſſit præſentem litteram ſigillorum noſtrorum Charactere fecimus roborari. Acta ſunt hæc anno Domini 1266. ſexto Non. Julii in Curia Domini *Andreæ* in Caſtro *Pragenſi*, regnante *Premizl* rege filio Regis *Wenceslai*, teſtibus hiis, qui hæc viderunt ſunt hæc: *Budizlaus de Reſich, Rehme de Lutowich, Chotebor de Lipua, Protiwen de Onjow, Wecemil de Radowizich, Ranco de Prezow, Chiruko de Korech, Zwezt de Zdib, Pribizlaus de Zlub, Borizlaus de Chotowina, Bohuzlaus de Budichoztich, Radzlaus de Zuchodol, Zudonna de Kowanietz, Nilhozt de Luhodran, Ranko de Kſol, Withmarus de Freboradich, Jacobus de Chakowich, Rathimerus de Kamenich, Bubuſal de Kalbarow.*

LXI.

(*e*) Engelbertum hunc Hammerſchmid in Hiſtoria Wiſſehradenſi p. 565. facit undecimam numero Decanum Wiſſehradenſem, eumque ab anno 1235 uſque 1250. præfuiſſe ſcribit, quo eodem anno cum obiiſſe ille & ex eo Berghauerus in Protom. Poenit. p. 234. memorat, ſed jam ex præſenti diplomate manifeſtum fit, eum adhuc anno 1264. ſuperſtitem fuiſſe. (*f*) Advocati Cameræ, inquit Du Freſnius, qui publicæ pecuniæ functionem & procurationem gerebant, qui & Advocati Fiſci & tandem denique Fiſcales dicti.

LVI.

Ottacarus Rex Bohemie commutat bona ſua Regia cum bonis Monaſterii Brewnovienſis, eidemque Monaſterio bona in Zdakov & Hluboky pro bonis in Sduchovicz cedit. dd. Brunæ ſeptimo Kalendas Maji anno 1270. Ex Archivo Brewnov.

In nomine Sancte & individue Trinitatis, Amen. Nos *Otacarus* Dei gracia Rex *Boemie*, omnibus Chriſti fidelibus hanc paginam inſpecturis ſalutem in eo, in quo ſumma ſalus conſiſtit. Cum humane condicionis ſtatus multipliciter varietur, & facta hominum vetuſtas oblivionis abſorbeat, neceſſe eſt, communis ſvadet utilitas, ut ea, que noſtro geruntur in tempore, ſcriptis & teſtibus roborentur ydoneis ad memoriam perpetuam poſterorum. Noſcat igitur tam preſens hominum etas, quam in Criſto ſucceſſura poſteritas futurorum, quod Monaſterii de *Brewnow* clementer profectibus intendentes, & cupientes, ut ex noſtre largicionis gracia utilitas ſibi debeat provenire: ad Domini *Martini* Venerabilis Abbatis ejusdem Monaſterii preces inclinati benignius, quorundam bonorum commutationem fecimus cum eodem. Nos enim bona noſtra in *Sdakow*, & in *Hluboki* cum utroque molendino, & omnibus curiis circumſedentibus ipſa molendina, pratis, & agris ex utraque parte fluminis ipſis molendinis in *Sdakow* & *Hluboki* attinentibus, cum ejusdem fluminis naulo, & que molendina, & quas curias dilecti fideles noſtri *Albero* & *Dobeſſius* fratres caſtellani in *Clingbek* tenuerunt, & poſſederunt hucuſque, prefato monaſterio tradidimus perpetuo poſſidenda, volentes, ut idem monaſterium dicta molendina cum prefatis curiis, pratis, & agris ex utraque parte fluminis ipſis molendinis attinentibus, & cum ejusdem fluminis naulo teneat, habeat, & poſſideat, & de ipſis faciat juxta ipſius arbitrium voluntatis, Jus & dominium noſtrum de eisdem bonis in idem monaſterium transferentes, ut deinceps dicta bona, & molendina, prata & agri ex utraque parte fluminis ipſis molendinis attinentes ad prefatum monaſterium debeant perpetuo pertinere. Dictus autem Dominus *Martinus* prefati Monaſterii Venerabilis Abbas in dictorum molendinorum concambium curiarum, agrorum, pratorum ex utraque parte fluminis attinencium dictis molendinis, cum ipſius fluminis naulo habito tractatu & deliberacione diligenti, cum omnium fratrum ſuorum conventu, de bona, grata, & communi voluntate ipſius Conventus ceſſit nobis de bonis in *Sduchowicz*, que idem Monaſterium habebat ibidem, & ea cum omnibus attinenciis &

Juribus eorundem nobis tradidit perpetuo poſſidenda; Et quia prefata bona noſtra in *Sdakow*, & in *Hluboki* de quibus racione hujuſmodi concambii ceſſimus Venerabili Viro Domino *Martino* Abbati memorato excedunt in valore bona in *Sduchowicz*, de quibus nobis ceſſit, addidit nobis idem Dominus Martinus Abbas CXXIV. marcas argenti, in pondere *Pragenſi* uſitate monete pro hujusmodi ſupplemento. Quare volentes, ut tractatus hujusmodi muniminis robur perpetui ſorciatur, preſens privilegium fieri, & ſigillis Majeſtatis noſtre fecimus communiri. Actum & datum *Brune* per manus Magiſtri *Heymrici* Prothonotarii Regni noſtri & *Plebani* in *Bors*, anno Domini MCCLXX. ſeptimo Kalendas Maji quinte Jndiccionis coram hys teſtibus, quorum nomina ſubſcribuntur. Domino *Criſtano* Abbate de Porta Apoſtolorum, (*g*) Domino *Johanne* Abbate de ſancto Procopio (*h*) Domino *Siffrido* Abbate de monte Syna, (*i*) Domino *Thobia* Prepoſito Pragenſi, (*k*) Domino *Petro* Prepoſito Wiſſegradenſi, (*l*) Domino *Gotfrido* Prepoſito Tynenſi, (*m*) Domino *Gregorio* Decano Pragenſi, Domino *Cunone* Decano Wiſſegradenſi, (*n*) Domino *Petro* Decano de ſancto Egidio, Magiſtro *Laurencio* Canonico Wiſſegradenſi, Domino *Mſtidrubone* Caſtellano Pragenſi, Domino *Domaslao* Camerario Regni Bohemie, Domino *Depoldo* Ju-

(*g*) Rariores ſunt hodie hujus Benedictini coenobii memoriæ, e cujus vitiato nomine hodie civitas Poſtelberg nomen ſuum invenit. Nobis tamen aliquot hujus coenobii diplomata autographa in manus venerunt aliquando in Diplomatario Benedictino publicanda, e quibus etiam ſigillum iſtius monaſterii delineari fecimus. Quod initia iſtius monaſterii jam ad initia ſæculi ſuperioris rejicienda ſint, argumentis quibusque Parte VI. Annalium noſtrorum p. 312 & 313. probavimus. (*h*) Etiam iſtorum Abbatum ſincera Chronologica ſeries optanda eſſet. Primos uſque ad Regnerum annumque 1162 habemus in Continuatore Coſinæ Dresdenſi Monacho Zazavienſi; poſteriores deſiderantur. (*i*) lege *Syon.* ſcilicet Ordinis Præmonſtratenſis intra muros Pragæ. Prætermiſſus vero hic Abbas eſt tum in ſerie Abbatum Strahofienſium P. Amandi, tum Annalium Præmonſtrat, P. II. quæ utraque multa reformatione eget, ut aliquando oſtenſuri ſummus. (*k*) Hunc Berghauerus Tobiam hujus nominis primum facit in ſerie Præp. Prag. p. 138. (*l*) Hammerſchmid in Hiſt. Wiſchehrad. p. 504. hunc Petrum dictum a Reichenſtein Num. XIII. Præpoſitum conſtituit, ſed errat cum eum *infulam Wiſſelradenſem ab Ottone Brandeburgico Gubernatore Bohemie impetraſſe* ſcribit. Liquet ex hoc diplomate eum annis 8. & ultra prius Præpoſitum fuiſſe, quam Otto Gubernator Bohemiæ conſtitutus fuerit. (*m*) Scil. *Tynhorſſovienſi ad S. Chriſtophorum*, ubi Collegiata erat. Plures iſtius Collegiatæ eccleſiæ Præpoſiti, Decani, Archidiaconi & Canonici leguntur in libris Erectionum. (*n*) Is numero XIII. Decanus eſt Hammerſchmidio c. l. p. 566.

Judice Regni Bohemie, Domino *Bavaro* Marſalco, Domino *Sdislao* ſubmarſalco, Domino *Hyncone* Dapifero, Domino *Cunrado* ſubdapifero, Domino *Wolmaro* Pincerna, Domino *Onſone* ſubpincerna, Domino *Nezamizlone* Burgravio in Olomuch, Domino *Cunone* Camerario Olomucenſi, Domino *Zmilone* Burgravio Wetovenſi, & alii alii quam plures.

LVII.

Joannes III. Epiſcopus Pragenſis concedit Martino Abbati Brewn. jus & poteſtatem omnes fructus de eccleſia Parochiali in Brunow percipiendi Parochosque hic loci inſtituendi & deſtituendi. dd. Pragæ Kalend. Septemb. An. Pontif. I. (o) Apud Ziegelbauer. p. 259.

LVIII.

Controverſia inter Præpoſitum & Capitulum Wiſſebradenſe compoſita per arbitros Abbatem Martinum (p) *Brewnow. & Abbatem Montis Syon. An.* 1277. Apud Hammerſchmid in Hiſt. Wiſchehrad. p. 507 & Pontanum in Bohemia Pia p. 80.

LIX.

Criſtannus Abbas Brzewnovienſis emit villam Trebunicz a Wolkmaro & Wilhelmo de Pabienicz pro LXX. marcis argenti, quam villam poſſidet Herbordus Civis Pragenſis, ſub annuo cenſu VIII. marcarum argenti. dd. Pragæ Kalendis Maji An. 1279. Ex autographo Archivi Brewnov. ſigilla avulſa ſunt

In nomine Domini Amen. Que geruntur in tempore, ne titubent, vel labantur, in tempore ſolent in lingua teſtium poni, & literarum notato perhennari. Innoteſcat igitur tam futuris, quam preſentibus, hanc paginam inſpecturis, quod nos Divina miſeratione *Criſtannus* (q) Abbas *Brewnovienſis* Eccleſie emimus villam *Trebunich* vulgariter vocatam, ſolventem ſingulis annis VIII. marcas puri argenti, apud Nobiles Viros *Wolkmarum*, & fratrem ejus *Wilhelmum* de *Pabienich*, (r) filiis, co-

 gna-

(o) Anno. 1271. (p) In exemplari quo uſus Pontanus tantum exprimitur litera initialis *M.* per quam *Martinum* indicari nullum eſt dubium. (q) Ex hoc diplomate emendanda Chronologia Ziegelbaueri p. 64. in ſerie Abbatum Brewnow. Nimis diutur nam Inſulam conceſſit Martino usque ad annum 1287, quo eum *ad meliorem vitam migraſſe* ſcribit, cum ex hoc diplomate teſtatum fiat jam anno 1279. Criſtannum Brewnovio præfuiſſe. (r) Notandum finales literas *ch.* non hoc tempore ſono ſed aſperius inſtar Z. acceptas fuiſſe hac ætate ſcil. *Pabienicz*, ſic infra recurrit *Dubravich*, exprime *Dubrawicz*.

gnatis, & amicis ipſorum non reclamantibus, ſed potius annuentibus, pro LXX. marcis argenti ponderis Pragenſis, Eccleſie noſtre *Brewnow* in perpetuum poſſidendum. Et ne proceſſu temporis ipſorum progenies ſucceſſiva valeat hoc factum auſu temerario inquietare, ipſi ſupra memorati venditores *Wolkmarus* & *Wilhelmus* preſentium tenorem munimine ſigilli ſui firmaverunt, & ut eciam competenti cautela appoſita, cuique hominum omnis calumpnie preveniatur materia, hy ydonei teſtes tam libero & manifeſto interfuerunt commercio, *Gregorius* Camerarius Regine. *Trajanus* Canonicus Pragenſis, *Bobuta* gener eorum, *Wilhelmus* de *Dubravich*, filius ejus *Lupoldus*, & *Barnabas* alter ipſius filius, *Matheus* de *Prerow*, *Ratibor de Veſce*, Filius *Cunradus*, alter filius *Bohuzlauss*, *Hirsko Predota de Lipna*, *Hiltmar Fridinger*, *Symon Stucco*, *Henricus* de *Michel*, *Petrus* gener *Nubacii*, *Michael* quondam Judex, & filius ejus *Englybertus*, filius ejus, & alii quamplures cives Pragenſes. Et ville *Trebunich* hiis temporibus cenſus ſolvitur IV. marce in feſto Beati *Georgii*, & alie IV. in feſto Beati *Martini*, & eandem villam tenet *Herbordus* civis *Pragenſis* perpetualiter ſolvens ſingulis annis VIII. marcas, ut prediximus, poſt mortem quoque jam dicti civis *Herbordi*, quicunque ſucceſſorum ſuorum tenebit eandem villam ex condicione in empcione facta, ſolvet ad cenſum ſupra prenotatum X. menſuras regales avene. Quodſi neceſſitate tactus prememoratus civis, filii, vel ſucceſſores eorum voluerint vendere jam ſepe dictam villam, quam poſſidet ab Abbate pro cenſu annuali, nulli liceat ipſis vendere poſſeſſionem ejus perpetualem, quam jure poſſident racione VIII. marcarum ſupra ſcriptarum, niſi poſſeſſori ejusdem legitimo ejusdem ville, Domino Abbati, vel cui permiſerit Dominus Abbas. Acta ſunt hec in Civitate *Pragenſi* in domo *Jacobi*, anno Domini MCCLXXIX. Kalendis Maji.

LX.

Thobias Epiſcopus Pragenſis probibet Decimatoribus ſuis, ne decimas Epiſcopales a Monaſterii Brzewnovienſis hominibus ſecundum eorum privilegium antiquum exigant. dd. Pragæ XI. Kalendas Martii anno 1285. Ex Autographo Archivi Brewnovienſis.

Thobias Dei Gracia *Pragenſis* Epiſcopus, Univerſis Decimatoribus ſuis, ad quos preſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino. Scire debetis, quod Venerabile Monaſterium *Brewnovienſe* tali gaudet privilegio ab antiquo, quod univerſi & ſinguli ejusdem Monaſterii homines Epi-

Epiſcopales decimas noſtras exhibere nobis, aut nobis aliqualiter non tenentur. Igitur diſcretioni veſtre in virtute obediencie, & ſub pena excommunicationis mandamus firmiter, & diſtricte, quatenus ſentencias, ſi quas contra eosdem homines, aut eorum aliquem ex cauſa decimarum ipſarum tuliſtis, per vos ſine mora viſis preſentibus revocare nullatenus differatis, alioquin indignationem noſtram, & prefatam excommunicationis penam, quilibet veſtrum, qui mandatis noſtris non obediverit in hac parte, ipſo facto ſe noverit incurſurum, & nihilominus ſententias ipſas per nos relaxatas eſſe ſciatis, ſi hoc veſtra exegerit contumacia, teſtimonio hujus ſcripti. Datum *Prage* XI. Kalendas Marcii, Pontificatus anno tercio. (*s*)

LXI.

Chriſtannus Abbas & conventus Brewnovienſis ad petitionem Regis Wenceslai donat Ordini Eremitarum S. Auguſtini juxta muros civitatis Minoris Pragenſis eccleſiam S. Thomæ cum cœmeterio & fundo atque jure Patronatus. dd. in Brzewnov anno 1286. *quinto Idus Auguſti.* (*t*) Ex autographo Archivi S. Thomæ.

Nos *Chriſtannus* miſeratione Divina Abbas, totusque Conventus *Brzewnovienſis* Ord. S. *Benedicti*, Univerſis hanc paginam inſpecturis ſalutem in Domino *Jeſu Chriſto*. Ne geſtarum rerum memoria proceſſu temporis evaneſcat & pereat, diſcretorum Virorum prudentia ſolet eas per literas æternare. Vobis igitur univerſis ac ſingulis viris innoteſcat, quod Nos e conſenſu Venerabilis Patris Domini Noſtri *Tobiæ Pragenſis* Epiſcopi, Eccleſiam beati *Thomæ* juxta Muros Civitatis Novæ ſub caſtro *Pragenſi* ſitam, ac jus patronatus ipſius cum fundo & Cæmiterio ejus tantum, honeſtis, & Religioſis Viris Fratribus *Eremitis* Ordinis S. *Auguſtini* apud prædictam Eccleſiam beati *Thomæ*, Deo perpetuo famulari volentibus tam præſentibus quam futuris, & eorum ordini ſupradicto, ob reverentiam Dei omnipotentis ac Religionis honeſtatem, attendentes nihilominus ſereniſſimi Principis Domini Noſtri *Wenceslai* Inclyti Hæredis, & Domini Regni *Bohemiæ*, ac Marchionatus *Moraviæ*, piam & humilem petitionem concedimus, transferentes in eos plenum ejusdem Eccleſiæ, & præfati Juris Patronatus & prætacti fundi, & prædicti

(*s*) Ex anno III. hic prodito ſedis epiſcopalis reformabitur in Annalibus annus occupati epiſcoparus. Ceterum ſigillum mutilum appenſum Num. II. ſcalpro excuſum exhibemus. (*t*) Hem novum documentum Martinum I. Abbatem non perduraſſe uſque ad annum 1287. ut vult Ziegelbauerus p. 64.

dicti Cæmiterii dominium libera & ſpontanea voluntate ab ipſis fratribus & Succeſſoribus eorum quibuslibet hujus rationabilis ac juſtæ donationis titulo poſſidendum, tenendum, & habendum libere, pacifice, ac quiete, objectione Juris cujuslibet impoſterum quieſcente, & contradictione qualibet non obſtante. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuo valiturum præſens Privilegium fieri, & ſigillis noſtris fecimus communiri. Datum in *Brewnow* Anno Domini milleſimo, ducenteſimo octuageſimo ſexto. V. Idus *Auguſti* quartæ decimæ Indictionis.

LXII.

Tranſactio litis facta per arbitros inter Abbatem & Conventum Brzewnovienſem; ac inter Nicolaum & Jacobum filios Franclini Cives Pragenſes ratione bonorum in Syep. dd. Pragæ in die S. S. Coſmæ & Damiani A. 1287. Ex Archivo. Brewnow.

In nomine Domini, Amen. Cum olim inter Honorabilem Virum Dominum Abbatem C. (*a*) & Conventum Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* ex una; & diſcretos Viros *Nicholaum* & *Jacobum* fratres, filios *Franclini* felicis memorie Honorabiles Cives Pragenſes ex parte altera ſuper quibusdam bonis in *Syep* ad predictos Abbatem & Conventum ſpectantibus gravis, & grandis exorta fuiſſet materia litis, vel eciam queſtionis, tandem propter bonum pacis, & utriusque partis commodum iidem Abbas, & Conventus pro parte ſui, & eciam *Nicholaus* & *Jacobus* predicti pro parte ſua, & omnium ſuorum heredum, ac etiam pro parte Domine *Hyſalde* & puerorum, & eciam amicorum ipſius in nos ſubſcriptos, videlicet *Symonem* dictum *Stutonis*, *Detricum* filium *Welwlini*, *Lutoldum* de *turri lambini*, *Nicholaum* dictum *Popiez* Cives Pragenſes, & *Bozthrechonem* de *Chunraticz*, tanquam in arbitros & amicabiles compoſitores, ſeu arbitratores legitimos compromiſerunt, predictarum litis & queſtionis materiam ſiinpliciter, & de plano Nos vero preſcripti quinque arbitri conſideratis diverſis circumſtantiis materie predicte propter utriusque partis pacis commodum, & precipue ad ſopiendam litis occaſionem inter ipſas, prout noſtre videbatur conſciencie expedire, invocata ſancti ſpiritus gracia in cauſa eadem arbitramur, diffinimus, & procedimus tali modo; ita videlicet, quod Dominus *Abbas*, & Conventus predicti quindecim marcas argenti puri prius dictis *Nicholao* & *Jacobo* debeant aſſignare; & occaſione felicis recordacionis fra-

(*a*) Veroſimillime *Chriſtinum*, qui jam ab anno 1279. Abbas fuit, ut ſupra Num. 49. oſtendimus.

fratrum dictorum *Nicolay* & *Jacobi* maritum quondam prefate Domine *Hyſalde* in ſuam fraternitatem recipere, & in ſuas oraciones ſedulas & devotas; & hec omnia iidem Dominus Abbas & Conventus antequam preſens arbitrium reciperent, impleverunt; ſepe dicti vero *Jacobus* & *Nicholaus* de eisdem bonis in *Syep* juxta noſtrum arbitrium ſeu ſentenciam ceſſerunt libere Domino Abbati & Conventui ſupradictis. Inſuper nos antedicti arbitratores, poteſtate nobis ab utraque parte tradita, & conceſſa, obligamus nominatos *Nicolaum & Jacobum* ſerie hujus ſcripti, quod nec ipſis, nec eorum heredibus, nec dicte Domine *Hyſalde*, nec ipſius pueris, vel amicis inpoſterum liceat preſentem noſtram ſentenciam ſeu arbitrium infirmare. Si autem elapſo termino ſepedicti *Nycholaus* & *Jacobus*, vel eorum heredes, ſeu predicta *Hyſalda* Domina, vel ſui pueri, ſeu amici non egerint, ex tunc pronunciamus ipſos preſentibus, & arbitramur incidiſſe in penam ducentarum marcarum argenti, quantum contra noſtram preſentem diffinitionem procedere attemptaverit quoquo modo nobis arbitris centum, & prius dictis Domino Abbati alias centum marcas & Conventui ſolvendas. In cujus rei teſtimonium preſentem literam nos prefati arbitri *Symon*, *Decritus*, (*x*) *Lutoldus*, *Nicolaus*, & *Boztgech* conſcribi decrevimus, & ad robur perpetue valiturum Pragenſis civitatis ſigillo patrocinio roborari. Actum & datum Prage anno Domini MCCLXXXVII. in die ſanctorum *Cozme* & *Damiani*, preſentibus hys teſtibus.

LXIII.

Bolko Dux Sileſiæ emit a Tschaska Abbate Oppatovicenſi ejusque conventu locum Griſſove cum omnibus appertinentiis pretio ducentarum quadraginta marcarum ponderis Polonicalis. dd. Lignitz feria ſexta proxima poſt feſtum S. Jacobi anno 1289. (*y*) Excuſum eſt apud Ludevigium T. VI. Reliquiarum p. 489.

LXIV.

Juanus Epiſcopus Lacedemonienſis confert eccleſiæ Brewnovienſi XL. dierum Indulgentias in IV feſtivitatibus Domini &c. *dd. V. Kalend. Octobris anno* 1294. Apud Pitter p. 77. (*z*)

LXV.

(*x*) Verosimillime error tranſumtoris eſt, legendumque ut ante *Detricus*. (*y*) Hoc pacto ceſſavit monaſterium Griſſovienſe Ordinis S. Benedicti, in quod inductus Ordo Ciſtercienſis hodie iſthic florens. Ex hac vero venditione haud aliud conjici poteſt, quam paupertas monaſterii Oppatovicenſis, cujus ubique in diplomatibus ſuperſunt veſtigia, ut illæ divitiæ ſub Carolo IV. jactitatæ meram fabulam convincant. (*z*) Autographum adhuc ſervatur in Archivo Brewnow.

LXV.

Wenceslaus Rex Bob. concedit Policzio ad monaſterium Brewnovienſe ſpectanti judicium ſanguinis ad petitionem Bawari (a) Abbatis. dd. Pragæ VII. Idus Decemb. anno. 1295. Apud Ziegelbauer p. 284.

LXVI.

Compoſitio amicabilis inter Theodericum Epiſcopum & Capitulum Olomucenſe, ac Bavarum Abbatem Brzewnovienſem ſuper adminiſtratione Curæ animarum, & Libertate Eccleſiæ Reygradenſis. dd. Medicæ VI. Kalendas Februarii anno. 1296. Ex Archivo Brewnov.

Theodericus Dei Gracia *Olomucenſis* Epiſcopus, Omnibus in perpetuum. Equitas racionis, & approbata conſvetudo requirunt, ut jurgancium queſtiones, que grate pacis limite terminantur, ad cautelam preſentium, & memoriam poſterorum redigi debeant in ſcripturam, ne lites dampnoſas certo fine deciſas incertitudo ſuccedens quandoque reſuſcitet, quas intercedens concordia ſepelivit. Eapropter nos *Theodericus* (b) Dei gracia *Olomucenſis* Epiſcopus conſtare cupimus univerſis; quod nuper inter nos ex una, & Venerabilem Abbatem, & Conventum *Brewnovinſem*, Ordinis ſancti *Benedicti Pragenſis* Dyoceſis & Monaſterium *Raygradenſe*, noſtre *Olomucenſis* Dyoceſis, Ordinis ejusdem ſancti *Benedicti* ex parte altera orta materia queſtionis, pro eo, quod nos in eodem *Raygradenſi* Monaſterio predicto Abbati in ſpiritualibus & temporalibus ſubjecto inſtitutionem, & deſtitutionem, & alia Jura Epiſcopalia ad legem Jurisdiccionis & Dyoceſanam ſpectancia, cum populum habeat, petebamus, ex quibus plurima dictus Abbas nobis non deberi, ea ſe, & predeceſſotes ſuos, a tempore quo non extat memoria poſſediſſe, & preſcripſiſſe aſſerens allegabat, petens, ut ea ſibi in Monaſterio *Raygradenſi* pio, ac paterno affectu abſque contencione recognoſcere dignaremur. Nos igitur ejus Juri, & ſupplicacionibus religionis obtentu, pro qua ſumma faciat racio, favorabiliter annuentes, de conſilio Juris peritorum, ac aliorum Honorabilium Virorum, ipſam que-

(a) Ziegelbauerus p. 65. hunc Abbatem aliter *Paulum II.* appellat, atque illum ex *Bawarcorum* illuſtri & nominato ſanguine, qui Grandem Prioratum *Strakoniczii* fundarunt, oriundum fuiſſe, quod optaſſem, ut veteriori & certiori teſtimonio quam Crugerii roboraſſet. Ego hunc Abbatem etiam in autographis ubivis *Bawarum* nuſpiam *Bawerum* aut *Bawr* (quo nomine hæc illuſtris familia tum veniebat;) ſcriptum invenio. (b) Is numero XVIII. Moraviæ Epiſcopus Annoque 1302 mortuus perhibetur ab Auguſtino Olomucenſi in Epiſc. Olomuc. p. 282.

queſtionem taliter duximus de conſenſu, & connivencia noſtri Capituli decidendam, videlicet ut ipſe Abbas, & ſui ſucceſſores deinceps inquiſitionem exceſſuum, Inſtitucionem quoque & deſtitucionem Prepoſiti habeat ſine nobis, nec non omnia alia Jura, & omnimodam ſubjeccionem, & diſpoſitionem dicti Monaſterii *Raygradenſis* in omnibus ejus facultatibus, & perſonis, quia conſtat dictum Abbatem, & ſuos predeceſſores, easdem ſubjeccionem, & diſpoſicionem in dicto *Raygradenſi* Monaſterio hactenus habuiſſe; Nos autem in dicto Monaſterio habere debemus viſitacionem, correccionem, procuracionem racione viſitacionis, auxilii imponendi pro varia neceſſitate, contribucionem, ſecundum *Lateranenſe* Concilium, moderatam, Jurisdiccionem quoque cauſarum omnium ad forum Eccleſiaſticum ſpectancium, & Cenſuram Eccleſiaſticam, ſacramentorum omnium collacionem, & altarium conſecracionem, & Ordinum collacionem, penitenciam, reverenciam debitam & honorem, ipſe quoque Abbas Priorem, qui curam animarum gerere debet Prepoſiti Monachorum, & plebis, nobis, ut idem Prior curam eandem recipiat, preſentabit, qui eciam ad ſynodum noſtram venire more tenebitur aliorum, ipſum quoque Prepoſitum, qui ſub predicto Abbate & ſuis ſucceſoribus curam habet gerere tantum temporalium, ac Priorem, & alios fratres ibidem ponet ipſe Abbas, quos voluerit, & libere removebit eosdem, quando ſue conſciencie, & ſaluti fratrum, ac utilitati monaſterii viderit expedire, cum dictum monaſterium in *Raygrad* Abbati *Brewnovienſi* in ſpiritualibus & temporalibus a longe retroactis temporibus conſtet eſſe ſubjectum. Viſitacionis autem officium ſecundum formam Canonum cum duxerimus exercendum, ſi contra aliquos orta fuerit infamia, ſepe dicto Abbati denuncciabimus, ut ſuper hys ſollempniter inquirat, & delinquentes puniat juxta Regularis exigenciam diſcipline. Notoria autem crimina, que examinacione non indigent, cum ſuper hys merito notari poſſit Abbatis negligencia, libere corrigemus, dicto Abbati denunciantes, ut eos ab officiis, & amminiſtracionibus amoveat, & debeat amovere, & de aliis ipſi Monaſterio non differat providere. Supradictis igitur contenti predictum Abbatem & Conventum Brewnovienſem, & ſuos ſucceſſores & Monaſterium *Raygradenſe* in ceteris duximus abſolvendos. Quod autem premiſſa omnia tam predicto Abbati & Monaſterio *Brewnovienſi*, quam ſucceſſoribus ejus rata ſerventur, & ſtabilia, ſemperque maneant inconvulſa, nec ullius temporis evo aliquatenus immutentur, ſed perpetuum irrevocabiliter ſorciantur effectum, hanc paginam ad rei memoriam ſempiternam in-

inde confectam ſigilli noſtri juſſimus munimine roborari. Et nos *Olomucenſe* Capitulum predictam ceſſionem, & recognitionem Jurium predictorum, nec non abſolucionem in ceteris dicto Venerabili Viro Domino *Bawaro* Abbati & Monaſterio ſuo *Brewnovienſi*, & ſucceſſoribus ſuis factam in perpetuum per Reverendum Patrem Dominum noſtrum *Theodoricum Olomucenſem* Epiſcopum ratam habemus & gratam, & conſenſum noſtrum unanimiter adhibemus. Et quod ſuper hoc nullus futuris temporibus dubietatis, vel calumpnie poſſit oriri ſcrupulus hanc eciam paginam ad firmiorem rei ſtabilitatem, ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri. Ego *Budizlaus* Decanus, Ego *Cyrus* Prepoſitus, Ego *Fridericus* Archidiaconus, & Nos ceteri Olomucenſis Eccleſie Canonici premiſſis omnibus, pro nobis & noſtris ſucceſſoribus Canonicis *Olomucenſibus* voluntarie & favorabiliter conſentimus. Actum & datum *Medricz* VI. Kalendas Februarii, anno Domini MCCLXXXXVI.

LXVII.

Bonifacius VIII. delegat Cuſtodi Eccleſiæ Pragenſis examen teſtium, ſuper lite inter Abbatem Brzewnovienſem, & Clericum quendam Pragenſem in cauſa Eccleſiæ Parochialis in Czepus. dd. V. Nonas Julii. Pontif. anno II. (*c*) Ex archivo Brewnow.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio, Cuſtodi Eccleſie *Pragenſis* ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dudum cauſam appellationis & negocii principalis, que vertitur inter Dilectos filios *Petrum Machonis* de *Antiqua ſella* Presbiterum *Pragenſis* Dioceſis ex parte una, & Abbatem, (*d*) & Conventum Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* dicte Dioceſis ſuper Parrochiali Eccleſia in *Czepus* ejusdem Dioceſis, de qua tunc per obitum quondam *Johannis* dicti *Hukal* ipſius Eccleſie Rectoris vacante, *Petrus* ſibi per Venerabilem Fratrem noſtrum *Philippum* Epiſcopum *Oſtienſem*, tunc in illis partibus Apoſtolice ſedis legatum proviſum fuiſſe canonice, dictosque Abbatem & Conventum ſe proviſioni hujusmodi contra juſtitiam oppoſuiſſe, & opponere, ac feciſſe, & facere, quo minus dicta proviſio debitum ſortita fuerit, & ſortiatur effectum, Abbas vero & Conventus predicti dictam Eccleſiam ejus & eorum Monaſterio predicto canonice incorporatam, unitam, & annexam fore aſſerebant, prout aſſerunt, ex altera, & nonnulis aliis articulis pro parte dictorum Abbatis & Conventus ad ſedem Apoſtolicam interjecte, Venerabili Fratri noſtro *Bertrando* Epi-

(*c*) Anno 1296. (*d*) Bawarum.

Episcopo *Eugubinensi* tunc Capellano nostro, & Auditori causarum Palacii Apostolici ad instantiam dictorum Abbatis & Conventus audiendam commisimus, & fine debito terminandam. Non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam Curiam legitime devoluta, & apud eam tractanda, & finienda non esset, qui ad instantiam Magistri *Johannis Scrivani* substituti per *Johannem* de *Przedborzyce* sacristam dicti Monasterii Procuratorem predictorum Abbatis & Conventus, prout ad hoc idem sacrista ab eisdem Abbate & Conventu sufficiens mandatum habebat, coram eo in Judicio comparentis, Magistrum *Nicolaum Lubech* Procuratorem Præfati *Petri*; prout eidem Episcopo tunc Auditori apud acta cause hujusmodi legitime constabat, ad dandum & recipiendum libellum, & ad prestandum, & per alteram parte prestari videndum Juramentum de calumpnia, & de veritate dicenda in causa hujusmodi per quosdam Cursores nostros successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus dictus *Johannes Scrivani* coram eodem Episcopo tunc Auditore in Judicio comparens, dicti *Nicolai* non comparentis contumaciam accusavit, & in ejus contumaciam quendam pro parte sua in hujusmodi causa dedit libellum, & predictum in ipsius Episcopi tunc Auditoris presentia prestitit juramentum in prefatis terminis ad hoc prefixis; deinde vero predictis *Nicolao* & *Joanne Scrivani* coram eodem Episcopo tunc Auditore in judicio comparentibus, & traditis per eos nonnullis positionibus & articulis in causa hujusmodi, & contra eosdem positiones & articulos quibusdam exceptionibus hinc inde datis, in terminis eis ad hec per dictum Episcopum tunc Auditorem successive, & peremptorie assignatis. Verum quia per ea, que coram dicto Episcopo tunc Auditore apud eandem sedem in hujusmodi causa sunt habita, non potest de ipsius cause meritis plene liquere, Discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus testes, literas, instrumenta, que pars predictorum Abbatis & Conventus super dictis suis articulis, quos idem Episcopus tunc Auditor sub sigillo suo tibi transmittit inclusos, coram te duxerit producenda, infra duos menses post receptionem presencium, cum pars dicti *Petri* super dictis suis articulis remissionem ad te habere non curet, prudenter recipere, ac testes ipsos secundum discretionis tue arbitrium, cum dictus *Nicolaus* de mandato ejusdem Episcopi tunc Auditoris ad ipsius *Joannis* instantiam per quendam Cursorem nostrum ad certum terminum peremptorium competentem, ad dandum interrogatoria, si

que dare vellet, in cauſa hujusmodi citatus in eodem termino aliqua interrogatoria non curaverunt exhibere, diligenter examinare procures, literas, teſtes, & inſtrumenta predicta tranſcribi fideliter faciendo; ſi vero alterutra partium predictarum teſtes alterius partis voluerit reprobare, tu teſtes ſuper reprobatione hujuſmodi coram te producendos infra unius menſis ſpatium, predictos duos menſes immediate ſequentes ſapienter recipias, eosque ſecundum interrogatoria a partibus ipſis exhibenda, ſi ea exhibere voluerint, alioquin juxta datam tibi a Deo prudentiam examines diligentur, depoſitiones omnium teſtium predictorum fideliter in ſcriptis redactas, una cum articulis, & interrogatoriis ſupradictis, ac tranſumptis literarum, inſtrumentorum predictorum ſub ſigillo tuo incluſos ad noſtram preſenciam quantocius tranſmiſſurus, ac ſignificaturus nobis, que & quanta ſit fides eisdem inſtrumentis, & literis adhibenda, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo per ſe, vel procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus, & munimentis ſuis causam hujusmodi contingentibus, ſe Apoſtolico conſpectui repreſentet, juſtam dante Domino ſententiam recepture; Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota compellas, preterquam ſuper criminibus veritati teſtimonium perhibere, diem vero prefixionis hujusmodi, & formam, & quicquid ſuper his duxeris faciendum, nobis per tuas patentes literas, harum ſeriem continentes, fideliter intimare procures. Datum *Rome* apud ſanctum *Petrum*, V. Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

LXVIII.

Wenceslaus Rex Bob. confirmat literas Margarethæ Reginæ ſuper villa Craſicz. dd. Pragæ X. Kalendas April. 1301. Apud Ziegelbauer p. 279. (*e*)

LXIX.

Gregorii Epiſcopi Pragenſis Privilegium, concernens decimas ſubditorum Monaſterii Brzewnovienſis, ut illas Abbas & Succeſſores ejus recipere & colligere poſſint. dd. Pragæ VIII. Idus Julii anno 1301. Ex autographo Archivi Brewnov. (*f*)

Gre-

(*e*) Autographum illæſo ſigillo habetur in Archivo Brewn. (*f*) Membrana partim carioſa, partim humore aliquo putrefacta, quo ſimul plurimæ literæ evanuere.

Gregorius (*g*) Dei Gracia *Pragenſis* Epiſcopus, univerſis preſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. De ore ſedentis in throno procedit gladius biſacutus, cujus etiam aſpectu terribili proprie voluntatis diſſipatur arbitrium, reproborumque noxius appetitus - -

- - - - - - - - - - - - -

hec enim - - - eterni providencia Judicis de cujus vultu recta judicia prodeunt, ut recti Principes - - - - - - -

- - - - - - - - & eorum - -

reſpiciant equitatem. Hec profecto, per que fedus humani generis in tranquilltate conſiſtit - - - - - - - -

- - - - - - - - - firma - - ſervanda, que pacem pariunt, modeſtiam nutriunt, lites perimunt, - -

- - - - - - - - - - - - -

imminuunt. alterum ledi ab altero non permittunt. Sane in noſtra conſtitutus preſentia - - - - - - - -

- - - - - - - - noſtre dioceſis, nobis expoſuit, quod cum decimationes Epiſcopales - - - - - - -

- - - - - - - - tam in poſſeſſionibus veteribus cultis, quam in novalibus inpoſterum - - - - -

- - - - - - - - - - - - -

pertinuerint ab antiquo, & predeceſſores ſui - - - - -

- - - - - - - - - - per Dominum tamen *Thobiam* (*h*) predeceſſorem noſtrum immediatum - -

percipiendi decimas - - - - - - - -

- - - - - ut decimas antedictarum Provinciarum ſibi & Monaſterio ſuo exigeret - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - -

hec tamen Jura noſtra, & Eccleſie noſtre negligere non - -

- - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - -

comprobaret. Nos igitur viſis & auditis privilegiis, rationibus, & probationibus - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - -

habita diligenti, decimas ſepedictarum provinciarum ad monaſterium predictum - - - - - - - - - -

con-

(*g*) Hoc eodem anno Idibus Septembris mortuum perhibet Pulkava. (*h*) Thobiæ circa has decimus diploma præmiſſum eſt.

- - - - - - - - - - - - -

contra conſcienciam detinendo, alienum furtum quodammodo committere, vel rapinam - - - - - - - - -

- - - - - - - - - indempnitati predicti monaſterii modis quibuscunque poſſumus precavere cupientes, eidem -

- - - - - - - - - - - - - - -

reſtituimus integraliter & ex toto, per ipſum Abbatem, & ſucceſſores ſuos Abbates - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - confirmantes ipſum Abbatem & Monaſterium *Brzewnovienſe* decimas omnium hominum & bonorum predicti Monaſterii juſte & racionabiliter poſſidere, dantes eidem Abbati, & ſucceſſoribus ſuis plenariam poteſtatem ipſas decimas colligendi, ac recipiendi per ſuos nunccios, quos ad hoc delegaverit, nec non contradictores, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendi, auctoritate ſibi ſuper hoc preſentibus a nobis tradita, & conceſſa. Si quis autem contra predicta aliquid attemptare preſumpſerit, indignationem Domini Dei Omnipotentis, atque ſanctorum Martyrum *Viti*, *Wenceslai*, atque *Adalberti* ſe noverit incurſurum. Ne igitur de predictis decimis poſſit inpoſterum aliquod dubium ſuboriri, ad eternam rei memoriam ſibi preſentes literas dedimus, ſigilli noſtri (*i*) munimine roboratas. Actum & datum Prage anno Domini milleſimo tercenteſimo primo, VIII. Idus Julii, Indictione XIV. Pontificatus vero noſtri anno ſexto.

LXX.

Bavarus Abbas & Conventus monaſterii Brewnovienſis concedit Beneſſio ſeniori de Wartenberch ad tempus vitæ villam Probodow. dd. Pragæ 1305. *die Quinto Idus Aprilis.* Ex archivo Brewnov.

Nos *Beneſſius* ſenior de *Wartenberch* Burcravius *Glacenſis*. Notum fieri volumus Univerſis tam præſentibus quam futuris, ad quorum notitiam pervenerit præſens ſcriptum, quod Venerabiles Viri Domini *Bavarus* Abbas, (*k*) *Johannes* Prior, *Mathæus* ſupprior, Totusque Con-

(*i*) Sigillum hoc integrum hodie appenſum eſt, quod Num. IV. æri inciſum damus.
(*k*) Petrus Abbas Aulæ Regiæ in Chronico ſuo ad annum 1310. Tomo. V. Monum. meorum p. 208. narrat hunc Abbatem præ cæteris omnibus maxime faviſſe Henrico Duci Carinthiæ in Regnum Bohemiæ evecto, adeo ut die electionis illius, abſente corona regia, ille ejus loco infulam ſuam capiti illius inpoſuerit, ſed eum poſtea peſſimam mercedem, & præmium ab hoc ipſo Henrico retuliſſe.

Conventus *Brewnovienſis* Monaſterii, reſpectis & penſatis noſtris promotionibus & obſequiis, ipſis & eorum Monaſterio per nos exhibitis ab antiquo & impoſterum exhibendis, noſtrisque precibus favorabiliter inclinati Villam dictam *Probodow* cum Curia ibidem, ſitam in *Gracenſi* Provincia, in retributionem noſtrarum promotionum & ſervitiorum, cum omnibus ſuis juribus, uſufructu, agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, nemoribus, rubetis, venationibus, piſcationibus, lacubus, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, ac aliis omnibus pertinentiis ſuis quæſitis & inquirendis, eo jure, quo dicti Abbas & Couventus ac Monaſterium prædictum, Villam eandem & Curiam cum univerſis ſuis pertinenciis ſupradictis, hactenus poſſederunt, nobis ex deliberato & communi conſilio & conſenſu ipſorum, ad dies & annos vitæ noſtra rite ac rationabiliter contulerunt, per nos ab eisdem Abbate Conventu & Monaſterio prædictis perdurationem temporis vitæ noſtræ quiete ac libere poſſidendam; ita tamen, quod nobis non liceat dictam villam vel Curiam vendere, aut alicui alteri homini exponere, vel *Theuthonico* jure locare. Promittimus Eccleſiæ, quod ſingulis annis vitæ noſtræ, Abbati Conventui & Monaſterio ſupradictis, etiam de grano ſiliginis, quod ex araturis ad dictam Curiam in *Probodow* pertinentibus proveniet, plenam decimam perſolvemus. Volumus quoque, quod nullus heredum ſeu ſucceſorum noſtrorum de dicta villa *Probodow* & Curia ibidem poſt mortem noſtram aliquod jus habeat, vel ſibi vendicare poſſit, aut debeat in eisdem: ſed quod villa ipſa & curia cum omnibus ædificiis per nos ibidem ædificatis, ſupellectilibus, rebus mobilibus & immobilibus, equis, bobus, pecoribus, ovibus, & cunctis aliis animalibus parvis, & majoribus, quocunque vocentur nomine, poſt obitum noſtrum in dicta Curia relictis, exiſtentibus & inventis, heredum vel ſucceſſorum noſtrorum contradictione aut impedimento aliquo non obſtante, ad dictos Abbatem & Conventum, ac prædictum Monaſterium *Brewnovienſe* libere devehantur. In cuius rei teſtimonium præſentes literas fieri, & noſtro ſigillo juſſimus communiri. Actum & datum *Pragæ* anno Domini milleſimo trecenteſimo quinto. Quinto Idus Aprilis.

LXXI.

Wenceslaus Rex Bohemiæ & Poloniæ declarat monaſterium Brewnovienſe non teneri ad reparationes & ſtructuras pontium caſtri Pragenſis. dd. Pragæ XVII. Kal. Maji anno 1305. Apud Ziegelbauer p. 273.

LXXII.

LXXII.

Joannes Epiſcopus Pragenſis donat omnes fructus & proventus Eccleſiarum Parochialium in Brzieſt, Lubocz, & Swyrkin Bawaro Abbati, & Conventui Brzewnovienſi, & eis adminiſtrationem harum Eccleſiarum cum cura animarum tradit. dd. Prægæ XII. Kalendas Maji anno 1318. Ex autographo Archivi Brewnovienſis.

In nomine Domini, Amen. Nos *Joannes* (*l*) Dei gracia *Pragenſis* Epiſcopus, omnibus in perpetuum. Nihil a nobis adeo firme ſtatuitur, conceditur, aut donatur, quin ad hoc laboret calumpnia diſſolvendum, artifex eſt enim etas malignandi, & ſtudet calumpniaciones inſerere, ubi deberet ſimpliciter ambulare. Ut igitur impoſterum omnis calumpniandi, & cavillandi materia amputetur, que geruntur noſtris temporibus, preſertim intuitu pietatis, literarum ea convenit teſtimonio perhennari. Notum igitur eſſe volumus tam preſentibus quam futuris, quod nos ob reverenciam & amorem Dei omnipotentis, & ſancti Martyris *Adalberti* noſtri, & Eccleſie noſtre Patroni Glorioſiſſimi, *Brewnovienſe* Monaſterium noſtre Dioceſis, Ordinis ſancti *Benedicti*, quod idem Martyr priſtinis temporibus fundavit dum viveret, & dotavit favore benivolo, quantum poſſumus proſequentes, omnes fructus, & obventiones Eccleſiarum Parrochialium in *Brzieſt*, in *Lubocz*, & in *Swyrkin* ad menſam Honeſtorum & Religioſorum Virorum Abbatis & Conventus dicti Monaſterii pro pitanciis ſeu piſcibus, quorum frequenter non modicam habent penuriam, duximus deputandos, & in perpetuum applicandos, Honorabili Viro & Provido *Bawaro* Abbati hujus clauſtri, & omnibus ejus ſucceſſoribus, auctoritate preſencium indulgentes, ut in eisdem Eccleſiis Monachos aut Vicarios quoscunque voluerint inſtituant & deſtituant, quandocunque ei vel eis viſum fuerit expedire, pro ſue beneplacito voluntatis, & Monachi vel Vicarii, qui in eisdem fuerint Eccleſiis, Abbati predicto, vel ejus ſucceſſoribus in ſpiritualibus, & temporalibus tenebuntur reddere racionem, & ab eis vice noſtri curam recipient animarum, quam eis Abbates ipſi auctoritate noſtra, quam in eos in hac parte transferimus, prout voluerint, poterunt impertiri. Nos enim dicto *Bawaro* Abbati bone accionis ejus meritis exigentibus, & per eum univerſis ſucceſſoribus ejus in premiſſis omnibus, & ſingulis premiſſorum plenam & integram concedimus poteſtatem. In cujus rei teſtimonium, & eviden-

(*l*) Is fuit hujus nominis IV. poſtremusque inter epiſcopos Pragenſes.

denciam manifeſtum ſcriptum preſens ſigilli (*m*) noſtri Karactere fecimus inſigniri. Actum & datum *Prage* anno Domini MCCCXVIII. XII. Kalendas Maji.

LXXIII.

Bavarus Abbas & Conventus Brzewnovienſis vendunt Nicolao balneatori ſtubam balnearem in Porſietz ad Wltavam ſitam pro ſex marcis. dd. in die S. Galli anno 1320. Ex autographo Archivi Brewnov.

In nomine Domini Amen. Multis precavetur incommodis, cum negocia ſecundum quod acta fuerint, teſtibus, & literarum memoriæ commendantur. Inde eſt, quod nos frater *Bavarus* Divina miſeracione Abbas, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* notum facimus univerſis, preſentes literas inſpecturis, quod nos diſcreto Viro *Nicolao* balneatori de *Meluik* ſtubam noſtram balnearem, que fuit olim *Sipote* in *Porſietz* apud aquam *Wltavam* ſitam, non remote a balneo filiorum *Theoderici* cum ſartagine ſeu patella (*n*) vendidimus pro ſex marcis, marcam quamlibet pro ſexaginta quatuor groſſis (*o*) computando, quam pecuniam ab ipſo *Nicolao* nos recepiſſe fatemur, eidem eciam *Nicolao* cum ſuis heredibus aream ſive fundum balnei tali pacto locavimus, ita quod Nicolaus idem depoſito balneo veteri, locataque ſtuba nova balnearí, ac edificiis, & hoc ſuis ſumptibus propriis, & laboribus, conſtructis, ſex marcas groſſorum Pragenſium, marcam quamlibet, per ſexaginta quatuor groſſos computando, vel valorem eorum, in feſtivitatibus Beatorum *Georgii* & *Galli* equaliter in duas partes diviſas preſentare nobis in omnem eventum tenebitur annuatim. Ad hec *Nicolaus* & heredes ſui Nos, fratres noſtros, & familiam noſtram infra quindenam quamlibet tenebuntur radere, ſanguinem etiam nobis & fratribus noſtris tenebuntur minuere, quotienscunque nobis & fratribus noſtris eſſe videbitur oportunum. Ordinavimus eciam cum *Nicolao* jam dicto, quod ſingulis ebdomadis apto die duodecim pauperes in dicto balneo ob remedium animarum fundatorum, benefactorum, & familiarium noſtrorum per eum balneabuntur, radentur, mundabuntur, & caritative

(*m*) Sigillum quod hodie illæſum in hoc diplomate conſervatum eſt, Num. V. excuſum damus. (*n*) Dufreſnius in Gloſſario ſartaginem & patellam explicat pro ſalina, ſeu loco, quo ſal conficitur. At quandoquidem hic ſalem uſualem, nunquam confectum auditum, veroſimillime de ſale nitri accipiendum, qui iſthic hodie etiam ad Moldavæ ripam conficitur. (*o*) Hem ſexagenam Bohemicam Joannis tempore ob pluris cupri admixtionem jam ad 64. Groſios excreviſſe!

tractabuntur, ut per hoc & alia pietatis opera, quicquid ex contagione labis contraxerunt; per ipſum largitionis noſtre beneficium abluatur; quia dubii ſunt rerum eventus, proviſum eſt, quod ſi balneum jam dictum per guerram communem, negligenciam, ſeu quocunque caſu alio fortuito contingeret, ignis incendio concremari, nihilominus non obſtantibus his, vel aliis fortuitis caſibus quibuscunque, idem *Nicolaus*, & ſui heredes cenſum jam dictum & alia jura ſine diminutione qualibet nobis nihilominus ſolvere tenebuntur, & in quocunque terminorum ſupra dictorum, idem *Nicolaus*, & ſui heredes cenſum dare neglexerint, poſt unamque ſeptimanam in una ſexagena groſſorum Pragenſium habebuntur pene nomine condempnati. Si autem in quarta ſeptimana cenſum & penas non ſolverent, recipiendi pignus ab eis, & occupandi eos, & res eorum, ubicunque fuerint, tam in balneo, quam alias, per nos & nuncios noſtros licitum erit nobis. Si vero pignus pro cenſu & penis in dicto balneo haberi non poſſet ſufficiens, ammovendi dictum *Nicolaum*, & ſucceſſores ſuos a locacione & jure ſuo, quod eis competit, & intromittendi nos de balneo, & ſartagine, & aliis utenſilibus, ac ea ſibi ſolvendi de noſtra pecunia, quod reſiduum fuerit, ad taxandum duorum proborum Virorum ex parte utraque electorum, ac tandem locandi alteri ipſum balneum plenam nobis & noſtris ſucceſſoribus reſervavimus poteſtatem. Item, ut nihil omittatur de contingentibus, decretum eſt a parte utraque, ſi cremato balneo, quocunque caſu adverſo, quod abſit, predictus *Nicolaus*, aut ſui heredes dictum balneum propter inopiam rerum ſuarum iterato conſtruere non valerent decenter, extunc nos aream & fundum alteri balneatori locare poterimus licite, dicti *Nicolai*, heredum, aut ſucceſſorum ſuorum contradiccione qualibet non obſtante. Preterea ad eliminandam diſſenſionis materiam non immerito eſt proviſum, ſi *Nicolaus*, heredes, aut ſucceſſores ſui novi, & ipſum balneum forte impoſterum alicui vellent vendere vel locare, nobis ante omnia nunciabunt. Quodſi nos ſtubam balnearem ac ipſa edificia redimere nollemus, tunc ipſe *Nicolaus*, & heredes ſui de noſtro conſenſu ipſum balneum ſalvo fundo, & area noſtra tali perſone locare, & vendere poterunt, que nobis videbitur ydonea, & in ſolucione cenſus, & jurium habilis. Quodſi *Nicolaus*, aut heredes ſui ſecus fecerint, erit vendicio talis irrita, & inanis. Et quemadmodum ordinacionem rite factam nobis immutare non licet, ſic etiam idem *Nicolaus* & heredes ſui a predicta ordinacione & pactis, que voluntarie ſubiit, non proterit impoſterum

rum reſilire. Demum eciam, ut *Nicolaus* idem, & heredes ſui de locatione eis facta ſint & certiores, & libentius ſumptus ſuos in conſtructione balnei imponere non formident, promittimus eis ex certa noſtra ſciencia, quod eos, quamdiu in ſolucione cenſus, & pactorum, ſeu promiſſorum ſuorum ſtabiles, prompti, & obſequioſi nobis & noſtro monaſterio exſtiterint, a juribus eorum, & locacione non amovebimus, nec per alium quempiam balneatorem ſupplantari aliquatenus permittemus, ſed eos in juribus eorum fovebimus, & tanquam fideles noſtros ſpeciali favoris gracia proſequemur. In quorum omnium teſtimonium & noticiam pleniorem preſentes literas fieri & ſigillis noſtris fecimus communiri. Actum & datum anno Domini milleſimo trecentiſimo viceſimo, in die Beati *Galli* Confeſſoris. (*p*)

LXXIV.

Bawarus Abbas Brewnov. locat Petro de Radek villam Hol ad XV. annorum ſpatium. dd. anno 1320. *die S. Georgii.* Ex Archivo Brzewnov.

Ego *Petrus* de *Radek* dictus de *Roſſik* notum eſſe cupio univerſis præſentes literas inſpecturis, quod ab honorabili viro Domino *Bawaro* Venerabili Abbate Monaſterii *Brewnovienſis*, & ejus Conventu villam ipſorum, & Monaſterii prædicti in *Hol* cum utilitatibus, proventibus, ac pertinentiis ſuis univerſis a feſto ſancti *Georgii* nunc proxime præterito ad ſpatium, & revolutionem quindecim annorum pro annuo cenſu jure locationis ſuſcepi ſub pactis, & conditionibus infra ſcriptis, videlicet taliter: quod primis quatuor annis Domino Abbati, & ſuo monaſterio nihil dare, nec ſolvere debeo propter ipſius villæ deſolationem, reſiduis vero undecim annis immediate ſequentibus duas ſexagenas groſſorum denariorum *Pragenſium* bonorum anno quolibet in feſto ſancti *Galli* tunc proxime venturo incipiendo, nomine cenſus prædictis Domino Abbati, & ſuo Conventui ſolvere debeo, & tenebor in omnem eventum, & eundem cenſum in eorum Monaſterio *Brewnov* reponere, & præſentare, non diviſim, ſed ſimul, omni dolo, & occaſione procul motis. Si autem ex Divina permiſſione ipſa locatione durante Gwerra generalis in regno *Boemiæ* ſuboriretur, aut ſata in prædicta villa per grandinem, vel anni ſterilitatem deſtruerentur, ex tunc penſato, ac conſiderato per Dominum Abbatem meo dampno de cenſu ejusdem anni gratiam mihi tenebitur facere, prout ſibi videbitur expedire. Ut autem prædictus cenſus per me certius ac diligentius exſolvatur diſcretos

(*p*) Sigillum utrumque, quod contractui iſti appenſum eſt Num. VI excuſum damus.

viros *Marawizium* civem de *Praga*, & *Wankonem* de *Waſcz* Domino Abbati, & ſuo Monaſterio pro me fidejuſſores poſui, ac conſtitui, vel eis non exiſtentibus duos alios tam bonos, & fide dignos debeo ponere, qui Domino Abbati, & ſuo Monaſterio cenſum prætatum annis ſingulis in dictis terminis infallibiliter mecum, & pro me ſolvent, & ordinabunt, quotiescunque vero ipſi Domino Abbati, aut cui mandaverit, cenſum non ſolverint memoratum, tunc ſtatim octo diebus tranſactis a termino ipſi fidejuſſores pro cenſu non ſoluto Domino Abbati, & ſuo Conventui pignus dare tenebuntur, & debebunt: ſi autem pignus ſufficiens in eorum poſſeſſionibus vel domibus inveniri non poſſet, ex tunc prædicti Dominus Abbas, & ſuus Conventus præfatos fidejuſſores per jus Eccleſiaſticum, & per quemcunque modum alium impetendi pro cenſu ſuo plenam poteſtatem habebunt, cui pænæ jam dicti fidejuſſores ſe voluntarie ſubjecerunt. Et præterea omnia ædificia, quæ per me in villa prædicta conſtructa, & erecta fuerint, ipſe Dominus Abbas eadem ædificia mihi, vel cui mandavero, ſolvere debebit, & tenebitur juxta taxationem, & æſtimationem duorum virorum idoneorum ex parte ipſius uno, & ex parte mea, aut ſucceſſoris mei altero, tunc electorum in arbitros in expiratione quindecim annorum prædictorum. Inſuper ipſe Dominus Abbas, & ſuus conventus villam ipſorum *Vgyezdez*, cum ſylvis ad ipſam villam pertinentibus mihi commiſerunt, ut eas pro meo poſſe ſollicite, ac fideliter cuſtodiam durante ipſa locatione, & defendam, de quibus tamen ſilvis mihi nulla robora, vel virgulta ſuccidere, abducere, vel quoquo modo alienare licebit: adjungunt adhuc, & concedunt gratioſe: quod ego pro mei melioratione ſæpe dictam villam ipſorum ad annos, quos adhuc perſonaliter tenere deberem in vita mea, aut poſt mortem fratri meo, vel alteri viro probo, & bonæ famæ, donare, locare, & concedere poſſim, hoc adjecto: quod prædictus cenſus Domino Abbati, & Monaſterio ſuo exſolvatur, annis ſingulis in terminis præſcriptis: & quod prælibata bona, & Monaſterium ex hoc dampnum ac vituperium aliquod non patiantur. Et ut hæc omnia, quæ præſcripta ſunt, rata & firma permaneant, honorabilis viri Domini *Hynchonis Pragenſis* Eccleſiæ Præpoſiti, & nobilis viri Domini *Bercæ de Zduba* diſpoſui ſigillorum munimine roborari. Actum, & datum anno Domini 1320. In die S. *Georgii* Martyris Chriſti.

LXXV.

LXXV.

Literæ Bawari Abbatis Brewnov. quibus fundat Miſſam in aurora in Capella B. M. V. item anniverſarium diem pro fundatoribus, parentibus, denique anima ſua, cum obierit. dd. in die Purificationis B. M. V. an. 1321. Habetur apud Pitter p. 79.

LXXVI.

Bochuſius de Starkſtat profitetur ſe debere monaſterio Polizenſi ſex marcas pro anima conjugis ſuæ. dd. in Starkow. anno 1321. *XVI. Kal. Septembris.* Ex Archivo Brzewnov.

Nos *Bochuſius de Starkſtat* fatemur, ac publice, profitemur teneri, & obligatum fore domui, ac Coenobio ſanctæ *Mariæ* Ordinis ſancti *Benedicti* in *Policz* in ſex marcis pro anima Dominæ meæ felicis memoriæ. Committo igitur firmiter, ac ſolerter, ut quicunque bonorum poſſeſſor meorum poſt meam mortem extiterit: eis prædictam, ac præfatam pecuniam ſolvere debeat bona fide. In cujus rei teſtimonium eis literam noſtram damus ſigilli noſtri munimine ſubappenſo. Data in *Starkow.* XVI. Kal. *Septemb.* anno Domini. 1321.

LXXVII.

Recognitio ſenatus Pragenſis, ſuper locatione quatuor arearum in Porſyetz facta a Domino Bavaro Abbate & Conventu Brzewnovienſi, Henrico Glas Civi Pragenſi pro triginta tribus groſſis denar. Pragens. ſolutionis annuæ. dd. Pragæ tertio Idus Maji anno 1322. Ex autographo Archivi Brewnov.

Nos *Conradus* dictus *Gynochſel* Judex, & *Pillungus*, *Jacobus Frenklini*, *Martinus* de *Egra*, *Johannes Wolflini*, *Albertus*, *Stukonis*, *Menhardus* de *Rockezan*, *Hemicus Theodrici*, *Peſoldus* de *Egra*, *Hermannus Glas*, *Albertus* de *Gurim*, *Otho* de *Anazo*, *Bohuslaus Wolframi*, *Bartholomeus* de *Gallis*, *Nicolaus Roterine*, *Frenclinus Mathei*, *Nicolaus* frater *Bohuslai*, & *Joblinus Jacobi*, Jurati Civitatis Pragenſis, Recognoſcimus proteſtantes, quod diſcretus Vir *Heinricus* dictus *Glas* Concivis noſter ſuſcepit conductionis titulo a Venerabili Viro Domino *Bawaro* Abbate, & Conventu fratrum Monaſterii *Brewnovienſis* areas (*q*) quatuor in *Porſyetz* Domini *Wanconis* Piſcatoris ex oppoſito adjacentes, Jure conduccionis poſſidendas, ita videlicet, quod ipſe *Henricus*, heredes, & ſucceſſores ſui, tam anno preſenti, quam in futurum ſingulis annis perpetuo, triginta tres groſſos denarios *Pragenſium* de ipſis areis in

(*q*) Hæ areæ veroſimillime fuerint ſimiles prioris diplomatis ſcilicet ſalinarum ad conficiendum nitrum.

in omnem eventum Domino Abbati & Conventui predictis ſimul & ſemel in feſto ſancti *Galli*, aut mediam marcam argenti puri cum valore unius groſſi, ſi moneta dictorum groſſorum deperierit, dare debeant, & ſolvere teneantur. Ad hec omnia juvamina exacciones, & ſingula ſubſidia, quocunque nomine cenſeantur, & omnia jura, que vicini eorum ibidem reſidentes ſolvunt nunc, vel ſolvent imposterum, equa lance cum dictis vicinis ejusdem Monaſterii hominibus explere, & integraliter perſolvere debent, & tenebuntur. Judicio eciam Domini Abbatis aut Prepoſiti ſui, cum aliis vicinis aſtabunt, & in depoſicione culparum ipſi Domino Abbati ſubjecti eſſe tenebuntur, & aſtricti. Si autem ipſe *Henricus*, heredes, vel ſucceſſores ſui domus in areis Abbacie locatas, aut ortos vendere ullo unquam tempore voluerint, debent ipſas domos Abbati, & Conventui predictis ad redimendum pre aliis exhibere, & dare, & ſi emere voluerint, non carius, quam alteri perſone ſeculari, ſed remiſſius vendere tenebuntur, & debebunt eosdem, quod ſic promiſerunt, quas ſi Dominus Abbas & Conventus predicti redimere noluerint, ex tunc alteri vendere, & dare poterunt ſub cenſus onere & Juribus memoratis. In cujus proteſtationis perpetuam memoriam preſentes literas ſcribi, & ſigillo Civitatis predicte fecimus roborari ad peticionem parcium predictarum. Actum & datum *Prage* anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo ſecundo, tercio Idus Maji. (r)

LXXVIII.

Bulla Joannis XXII. qua inter ceteros Abbati Brewnovienſi notum facit a ſe Joanni Regi Bohemiæ ad triennium conceſſam fuiſſe decimam eccleſiaſticorum proventuum. dd. Avinione Kal. Junii Pontificatus anno nono (s) Excuſum apud me T. V. Monum. p. 403.

LXXIX.

Joannes Rex Bohemiæ eximit quasdam villas monaſterii Brewnovienſis ab omnibus oneribus & exactionibus. dd. Pragæ in die S. Mariæ Magdalenæ anno 1328. Excuſum eſt apud Ziegelbauer p. 274.

LXXX.

Elizabetha Bohemiæ & Poloniæ Regina concedit, ut Strabofienſis Abbas vineam Strabovienſi monaſterio multo ante in Moravia in Huſtopecz donatam vendere poſſit Abbati Brewnovienſi. dd. Brunæ anno 1328. *Kal. Novembris.* Ex Archivo Brewnov.

Nos

(r) Sigillum ſenatus Pragenſis, quod appenſum eſt, damus excuſum Num. VII. (s) Ideſt anno 1326. Abbas vero erat Paulus Bavarus.

Nos *Eliſabeth* Dei gratia Regina Domini *Wenczeslai* Bohemiæ, & Poloniæ olim Regis relicta ad univerſorum notitiam tam præſentium, quam futurorum tenore præſentium volumus pervenire; quod ad laudem omnipotentis Dei, ob reventiamquè glorioſæ Genitricis ejus Virginis *Mariæ*, vineam quandam in *Huſtopetcz* ſitam in antiquo monte Monaſterio ſive Domui beatæ Virginis prædictæ in Monte *Syon*, ſive *Strahow* Ordinis *Præmonſtratenſis Pragenſis* Diœceſis, ut de ipſa vinea Fratribus ſive Conventui prædictæ domus ſingulis annis fieret ſolacium, ſive pitancia ſpecialis, dedimus, & donavimus, liberam omni jure, & libertate, quibus libertari liberæ vineæ conſveverunt, quam pro noſtra parata comparavimus pecunia, in noſtrorum remiſſionem peccaminum, noſtrorumque Prædeceſſorum remedium ſalutare. Cumque vero Abbas & Conventus prædictæ domus dictam vineam multis tenuiſſent temporibus pacifice, & quiete, viſum fuit in oculis omnium, quod propter loci diſtantiam gravemque vecturam, multaque alia legitima impedimenta matura habita deliberatione, de conſenſu omnium, votoque unanimi dictam vineam vendere deberent, & alia bona æquivalentia ipſis accomoda pro eadem pecunia comparare. Attendentes itaque ad noſtram præſentiam, dicti Monaſterii Abbas, & Conventus nobis humiliter ſupplicarunt, ut huic venditioni noſtrum daremus conſenſum, & favorem, quatenus Abbati & Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti Benedicti dictæ Pragenſis Diœceſis poſſint vendere, & titulo venditionis tradere, omni jure, & libertate quibus nos ipſis dictam vineam dederamus. Nos vero ipſam venditionem juſtam & neceſſariam decernentes eam approbavimus, & præſentibus approbamus, de noſtri conſenſus plenitudine & favore volentes, ut Abbas & Conventus prædicti Monaſterii *Brewnovienſis* memoratam vineam teneant libere, liberam omni jure & libertate, quibus poſſet aliqua vinea libertari jure hereditario ſive proprietario temporibus profuturis. Et ut præſentibus, & prædictis tam venditioni, quam libertati majoris firmitatis robur accedat, præſentem literam noſtro majori, & Abbatiſſæ & Conventus noſtræ Fundationis Monaſterii *Aulæ ſanctæ Mariæ* Ordinis *Ciſtercienſis Olomucenſis* Diœceſis ſigillis dedimus in teſtimonium ſuper eo. Actum & datum in prædicto Monaſterio *Aulæ ſanctæ Mariæ* Kalend. *Novemb.* anno Domini MCCCXXVIII.

LXXXI.

LXXXI.

Joannes Rex Bohemiæ decernit, ut Civitas Braunovienſis cum territorio duobus fratribus Nobilibus de Panowicz de conſenſu Regis conceſſa, poſt mortem dictorum fratrum Nobilium denuo in poteſtatem Abbatis Brewnovienſis recidat. dd. IV. Idus Junii Anno 1331. Ex autographo Archivi Brewnov.

Johannes Dei gracia *Boemie* & *Polonie Rex*, ac *Lucemburgenſis* Comes; Univerſis in perpetuum. Decet Majeſtatem Regiam ſubditorum ſuorum commodis intendere, noxia ſubmovere, & in eos potiſſime, quos devotos & benivolos ſibi fore noverit, dexteram ſuam extendere liberalem. Cum igitur ex parte devotorum noſtrorum *Bavari* Abbatis, & Conventus Monaſterii *Brunovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis noſtre fuerit Celſitudini ſupplicatum, quatenus articulum quendam ſubnotatum in literis ſeu inſtrumentis locationis ſuper (*t*) & Conventus Monaſterii antedicti in *Brunow*, Civitate ſcilicet, & territorio ejusdem, fidelibus noſtris *Wolframo* & *Mathie* fratribus dictis de *Panowitz* - - - ſub certis conditionibus & pactis per eosdem Abbatem & Conventum predictum de conſenſu & voluntate noſtris expreſſis expoſitis, in ipſorum Abbatis, Conventus, & Monaſterii predictorum prejudicium, imo diſpendium grave nimis, & irrecuperabile interpoſitum & incluſum, quod videlicet de bonis ſupraſcriptis Civitate *Brunow*, & ipſius territorio - - - pertinenciis omnibus poſt dictorum fratrum *Wolframi* & *Mathie* deceſſum absque mandato noſtro, heredum aut ſucceſſorum noſtrorum ſpeciali nihil facere - - - valeant, neque poſſint, retractare, caſſare, irritare, & annullare, quin imo retractatum, caſſum, irritum & nullum decernere, ſeu definire de benignitate Regia dignaremur. Nos ipſorum Abbatis, & Conventus precibus juſtis ac rationabilibus gracioſius inclinati, articulum ſupradictum, in quantum per eum *Wolframo* & *Mathia* fratribus de *Panowitz* prefatis non extantibus, Nos heredes, aut ſucceſſores noſtri predicti, aut alius quicunque noſtro nomine vel mandato, ſeu jure, bona ſepe dicta poſſumus, poſſent, aut poſſet impetere, aut aliquomodo vendicare, preſentibus omnino, & totaliter adimentes, & de munificentia Regia penitus ſuffocantes retractamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, quin imo retractatum caſſum, & irritum, atque nullum diffiniendo, auctoritate Regia decernimus, auferentes

(*t*) Hoc & ſequentibus locis, quibus hiatus ſunt, carioſa eſt membrana.

tes ab eodem data preſencium in antea quamlibet roboris firmitatem: Volentes, mandantes, & nihilominus noſtro heredum, & ſucceſſorum noſtrorum antedictorum nomine irrefragabiliter ſtatuentes, quod bona ſupradicta, Civitas ſcilicet *Brunow* cum ſuo territorio ad ipſorum Abbatis & Conventus Monaſterii *Brunovienſis* predictorum, decedentibus, aut non extantibus fratribus *Wolframo* & *Mathia* de *Panowitz* ſepedictis, abſque noſtro, heredum aut ſucceſſorum noſtrorum, vel aliorum quorumcunque Officiatorum noſtrorum requiſitione, impedimento, ſeu contradiccione ad ipſorum Abbatis & Conventus Monaſterii *Breunovienſis* ſepedictorum diſpoſitionem, & ordinationem plenariam libere devolvantur. In cujus rei teſtimonium preſentes fieri, & ſigilli noſtri (*u*) majoris appenſione mandavimus roborari. Datum *Papie* anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo primo quarto Idus Junii. (*x*)

Nos vero *Wolfiamus* & *Matheus* Fratres de *Panowicz*, & nos Scabini, & Univerſitas Civium in *Brunow* preſentis Regii mandati fideles & gratuiti receptores, ipſum mandatum benignum & juſtum exequi, & adimplere prompte ac fideliter promittimus noſtra bona fide, cum teſtimonio noſtrorum ſigillorum, preſenti litere appenſorum. (*y*)

LXXXII.

Joannes Rex Boemiæ teſtatur bona Nezamislitz, Hayna, Domoraſi, Zitbowitz, &c. *jure proprietatis ad monaſterium Brzewnowienſe pertinere, ideoque literas ſuper bis bonis Wilhelmo de Landſtein datas caſſat, & irritas eſſe profitetur. dd. Tuſt XIV. Kalendas Septembris anno* 1331. Ex authographo Archivi Brewnov.

Nos *Joannes* Dei gracia *Boemie* & *Polonie* Rex ac *Lucemburgenſis* Comes recognoſcimus coram omnibus, quorum intereſt publice pre-

(*u*) Sigillum Regis Joannis hodie, pene illæſum, appenſum, ſervamus vero id, ut & alia Ducum Regumque noſtrorum ſigilla Annalibus noſtris, in quibus illa exeudentur. Ceterum Abbas hic principio vocatur *Bawarus*, recte proinde habet Ziegelbauerus p. 66. dum errorem Crugerii emendat, qui eum jam anno 1327. die 10. Julii mortuum venditavit. An vero hoc ipſo anno, quo poſtremo illius in diplomatibus memoria, aut ſequente obierit, intererat Ziegelbaueri aliquo teſtimonio veteri roborare. Non erravit autem Crugerius, cum Bavarum hunc *numero vigeſimum Abbatem* appellavit, oſtendimus ſupra *Sdenonem* a Ziegelbauero prætermiſſum fuiſſe. (*x*) Hoc inſtrumentum in duplo ſcriptum eſt, in altero addita eſt obligatio Nobilium de Panowitz de reſtituta civitate ſub eodem dato. (*y*) Sigilla duo Nobilium de Panowitz, & tertium ſigillum Civitatis appenſa ſunt hodie, quæ Num. VII. excuſa damus.

ſentibus proteſtantes, quod bona infra ſcripta, *Nezameslitz*, videlicet, *Hayna*, *Domoraſi*, *Zitchowitz*, *Hintzitz* major, *Hintzitz* minor, *Stankow*, *Woliſchowitz*, Theloneum in *Hartmanitz* ſpectans ad villas predictas, ac omnia alia & ſingula ad predicta bona pertinencia ab antiquo, ad devotos noſtros dilectos Abbatem, & Conventum Monaſterii *Brunovienſis* & ad ipſum duntaxat monaſterium jure proprietatis, nec ad aliquem alium pertinent, ſeu pertinere jure aliquo dinoſcuntur, propter quod literas, quas fideli noſtro *Wilhelmo* de *Landſtein*, & ſuis heredibus ſuper bonis eisdem minus docte dediſſe referimus, caſſamus, irritamus, & annullamus, quin ymo caſſas, irritas, & nullas fore pronuncciamus, ac decernentes easdem in judicio, vel extra judicium nullius habere in antea roboris firmitatem. In cujus rei teſtimonium preſentes literas fieri, & ſigillo noſtro majori (z) fecimus communiri. Datum *Tuſt* anno a Nativitate Domini milleſimo, trecenteſimo triceſimo primo XIV. Kalendas Septembris.

LXXXII.

Hinco Epiſcopus Olomucenſis (a) *fatetur a ſe viſam Bullam Urbani Papæ cui inſertum erat diploma Przemyslai Ottocari & Bulla Joannis XV. Papæ, quæ utraque inſtrumenta hic denuo ad petitionem Theodrici Abbatis Brewnov. per Miroslaum Notarium publicum tranſumi juſſit. dd. Pragæ VIII. Idus Novembris.* (b) Habetur apud Ziegelbauer c. l. p. 261.

LXXXIII.

Benedictus XII. Papa committit Præpoſito, Archidiacono, & ſcholaſtico Eccleſiæ Pragenſis, ut aſſiſtat Diviſſio (c) *Abbati Monaſterii Brzewnovienſis contra Commendatorem de pede pontis Ordinis S. Joban. Hieroſolimitani infeſtantem bona Monaſterii. dd. Avinion. Idibus Februarii. Pontificatus anno primo.* (d) Ex Archivo Brewnov.

Be-

(z) Sigillum integrum hodie appenſum eſt. (a) Henricum hunc ex vetuſta Berkianorum familia, vigeſimumque ſecundum Numero epiſcopum facit Auguſtinus in Epiſc. Olom. p. 283. (b) Nota Chronologica anni abeſt. At quandoquidem idem Auguſtinus anno 1333. IV. Kal. Januarii Hinconem mortuum ſcribit, Theodoricus vero Abbas ex calculo Ziegelbaueri primum anno 1332. Abbatialem Inſulam conſecutus eſt, merito inter diplomata anni 1331 & 1334 hic reponendum duximus. (c) Ita quidem habetur in Apographo Archivi Brewnovienſis, ſed error tranſumtoris eſt, illiusque, qui multo poſterius, hoc argumentum præjecit. In Bulla ipſa nomen Abbatis expreſſum non eſt. Perperam *Diviſſius* in Pontificatum Benedicti XII (ſeu qui plane quibusdam numero XI. eſt) rejectus eſt, qui annis 26. poſterius primum Abbatialem Inſulam conſecutus. (d) Anno. 1334.

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis, Prepoſito, & Archidiacono, ac ſcolaſtico Eccleſie *Pragenſis* Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Conqueſti ſunt nobis dilecti filii Abbas & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti Pragenſis* Dioceſis, quod Commendator & fratres domus ſancte *Marie* hoſpitalis ſancti *Joannis Jeroſolimitani* in pede pontis *Pragenſis*, ſuper certis debitis, poſſeſſionibus, & rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis cauſam, & appellatione remota fine debito decidatis, facientes, quod decreveritis, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante compellatis veritati teſtimonium perhibere. Quodſi non omnes hys exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum *Avinion.* Idibus Februarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Jo. N.

LXXXIV.

Benedictus XII. Papa confirmat omnia privilegia, conceſſiones, exemptiones indulta tam a ſummis Pontificibus quam Imperatoribus & Regibus monaſterio Brewnovienſi conceſſa. dd. Avinione II. Idus Decemb. Pontif. anno I. (*e*) Habetur apud Ziegelbauer p. 272.

LXXXV.

Joannes Rex Bohemiæ confirmat Jura Abbatis Theodrici & Monaſterii Brzewnovienſis, & facultatem dat agendi contra quemlibet immunitatum ſuarum infeſtatorem, aut moleſtatorem. dd. Pragæ II. Septembris anno 1335 Ex autographo Archivi Brewnov.

Joannes Dei gracia *Boemie* Rex *Lucemburgenſis* Comes, ad univerſorum notitiam tenore preſencium volumus publice devenire, quod conſtitutus in preſencia noſtra devotus noſter dilectus Frater *Theodricus* (*f*) gratus Deo & hominibus (*g*) Abbas Monaſterii noſtri *Brzewnovienſis* plures immunitates, libertates & gracias coram nobis monſtravit, ſibi & ſuo monaſterio a felicis recordacionis Boemie Regibus & Principibus Predeceſſoribus noſtris Chriſtianiſſimis conceſſas, quas vidimus,

(*e*) Anno ut ſupra 1334. (*f*) Ziegelbauerus numero XX. Abbatem facit, quem ab anno 1332 uſque 1336. quo mortuus, præfuiſſe ſcribit. (*g*) Peculiare hoc elogium eſt Theodorico a Rege datum.

mus, auſcultavimus diligenter, verum quia idem bonus Abbas adverſus nonnullos moleſtatores ſuos apud nos depoſuit querelam, qui ignari fortaſſe libertatum, & Jurium ſuorum & dicti monaſterii, eos auſu temerario in eorum juribus aggravant indebite & moleſtant. Nos autem animadvertentes, quod perſonas Eccleſiaſticas, Religioſas preſertim in eorum confovere juribus opus eſt pietatis, ipſam Abbatem, & ſuum monaſterium in predictis juribus & graciis volumus penitus conſervare, ipſosque manutenere debemus regaliter, in eisdem contra quamlibet Eccleſiaſticam vel ſecularem perſonam cujuscunque ſtatus, condicionis, aut eminencie exiſtant, eciamſi Pontificali fulgeant dignitate, concedentes, & indulgentes jam dictis Abbati, & Monaſterio *Brzewnovienſi* plenam & liberam facultatem quatenus ſuper omnibus eorum juribus & libertatibus eis competentibus, ac in ipſorum contentis privilegiis agere, facere, experiri, & acciones intentare poſſint libere, & debeant adverſus quemlibet hominem vel perſonam Eccleſiaſticam, Religioſam & prelacione fungentem, ſeu eciam ſecularem nobilem, vel plebejum, divitem, & pauperem, cujuscunque profeſſionis, vel cenſure exiſtant, & ſigillatim adverſus Prepoſitum Monaſterii *Dochzanenſis* (*b*) ſuper villa *Hrdel* cum hoſpitibus & ſilva adjacente cum paludibus & flumine *Egre* uſque ad flumen *Albee* in diſtrictu *Luthomericenſi* in foro Eccleſiaſtico, vel eciam Civili, tamdiu donec dictis Abbati & Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* debite exhibeatur juſticie complementum. Mandamus itaque univerſis & ſingulis Epiſcopis, Prelatis, Baronibus, nobilibus, Judicibus, Juſticiariis, & Officialibus noſtris, quibuscunque fidelibus dilectis preſentibus, & qui per tempora fuerint, quatenus ſæpe dictis Abbati, & Conventui monaſterii *Brewnovienſis* ſub obtentu Divini Judicii in accionibus eorum ſuper juribus ipſorum ſimiliter, & de plano ſine mora & expenſarum diſpendiis faciant, & fieri jubeant juſticiam expeditam, ipſosque ſuper predictis eorum juribus, & libertatibus quibuscunque non moleſtent, inquietent, vel perturbent, vel inquietari, moleſtari per quempiam permittant, predictas autem omnes & ſingulas libertates immunitates, & gracias dictorum Abbatis & monaſterii *Brewnovienſis* ratificamus, gratiamus & confirmamus, ac gratas & firmas edicto Regio volumus, ac decernimus perpetuo irrefraga-

(*b*) Secundum hiſtoriam Doxanenſem Reverendiſſimi Joſephi Mika p. 107. & Annales Præmonſtratenſes ejusdem nominis (cujus Abbas Brewnovienſis) *Theodoricus* fuit.

gabiliter permanere. Si quis autem in tantam temeritatis audaciam fortaſſis, quod non credimus, preſumpſerit introire, quod in contrarium premiſſorum aliquid attemptaverit, indignationem Regiam, & penas graviſſimas pro motu dignitatis Regie infligendas ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, harum ſerie literarum. Datum *Prage* anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo quinto, ſabbato die ſecundo menſis Septembris. (*i*)

LXXXVI.

Bulla Benedicti XII. Papæ data ad Abbates Brzewnovienſem & Trebecenſem Ordinis S. Benedicti ſuper Capitulorum Celebratione. dd. Avinion. Idib. Decembris, Pontificatus anno ſecundo. Ex autographo Archivi Brewnov.

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis *Brewnovienſis & Trebecenſis* (*k*) Ordinis ſancti *Benedicti* Pragenſis & *Olomucenſis* Dyoceſis Monaſteriorum Abbatibus, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Paternæ conſiderationis aciem ad ſalubrem ſtatum Ordinis, ſeu Religionis Monachorum nigrorum attentius dirigentes pro ſalute & proſperitate ipſorum prehabita deliberatione matura nonnulla ſtatuta edidimus, & ordinationes fecimus, que voluimus, & mandavimus in eodem ordine ac Religione perpetuis futuris temporibus obſervari, & quia in eisdem ſtatutis & ordinationibus inter alia duximus ſtatuendum, quod in ordine, ſeu Religione prefata in ſingulis provinciis per nos in ipſis ordinationibus noviter ſtatutis, & etiam deſignatis fiat de triennio in triennium *Provinciale Capitulum* Abbatum & Priorum, Monaſteriorum Abbates non habentium proprios, & etiam Priorum Cathedralium Eccleſiarum Ordinis ſeu Religionis ipſius, (*l*) ſeu aliorum in ipſis Eccleſiis exiſtentium poſt Antiſtites earundem apud unum de Monaſteriis ejusdem Ordinis ad hoc aptum, vel ſi hoc fieri non poſſet, apud alium locum ad hoc congruum vel ſecurum, de quo monaſterio ſeu loco & die primi Capituli hujusmodi celebrandi, & aliis ad id oportune facientibus providere habent, qui ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam ſunt deputati, prout in dictis ordinationibus plenius continetur, ut hec executio-

(*i*) Sigillum integrum hodie appenſum eſt. (*k*) Hujus monaſterii rariſſimæ ſunt memoriæ, reperi tamen quasdam inter diplomata Wilemovienſia, quæ ſuo tempore excudentur. Fundatum id fuiſſe Anno 1109. ab Ulrico & Leopoldo Principibus Moraviæ perhibet Peſſina. (*l*) Hem adhuc hoc tempore Ordinem S. Benedict. Cathedrales eccleſias obtinuiſſe.

tioni debite demandentur; Vos, de quorum circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinemus ad exequendum premiſſa & alia infra ſcripta in Regno *Bohemie*, quod pro una, quo ad celebrandum nunc & inpoſterum hujusmodi *provinciale Capitulum* voluimus, & ſtatuimus reputari provincia, tenore preſentium deputantes, diſcretioni veſtre auctoritate Apoſtolica committimus, & diſtinctius injungimus, ut pro celebrando hac prima vice hujusmodi Capitulo in dicto Regno, per vos, ut premittitur, deſignato, aliquod Monaſterium ejusdem ordinis, ſeu Religionis ad hoc aptum, ſi in eo valeat reperiri, alioquin locum alium ad hoc congruum, & ſecurum, in diem ad id etiam congruam cum continuatione dierum ſequentium eligentes, Abbates, Priores, & alios prenominatos ad hujusmodi Capitulum convocare curetis, diem & locum predictis eis per veſtras literas nichilominus intimantes, per quem in ipſo primo inſtanti die pridie Miſſa ſolemniter celebrari, ſermoque convenientibus ad dictum Capitulum fieri debeat, pro nunc ordinando, eodemque Capitulo congregato faciatis aliquas perſonas ydoneas per ipſum Capitulum eligi, que dicto primo Capitulo preſideant, eaque faciant, & adimpleant, que juxta hujusmodi veſtras ordinationes, vel alias ſunt per preſidentes hujusmodi provincialibus capitulis facienda. Statuta quoque & ordinationes hujusmodi, que vobis & dicto Capitulo ſub bulla noſtra tranſmittimus, in eodem capitulo publicetis, ac legi, & auſcultari integraliter faciatis, omnes Abbates, Priores, & alios predictos convenientes ad Capitulum memoratum, nec non Procuratores abſentium monendo, & ſi neceſſe fuerit, compellendo, ut ipſorum ſtatutorum, ſeu ordinationum copiam ſub autentica ſcriptura recipiant, illa ad Eccleſias, Monaſteria, ſeu loca ipſorum fideliter delaturi, que etiam in dictis Eccleſiis, Monaſteriis, atque locis legi faciant, & diligentius cuſtodiri, & etiam obſervari. Volumus etiam per dictum Capitulum provideri de loco ad hoc accomodo & ſecuro ejusdem provincie, ubi liber ordinationum, ſeu ſtatutorum noſtrorum hujusmodi bulla noſtra munitus perpetuis futuris temporibus diligenter debeat conſervari; Statuta etiam in Provincialibus, ſeu communibus Abbatum, & Priorum predictorum dicti Regni *Boemie* Capitulis olim facta portari per eos, qui illa habuerint, ad prefatum primum Capitulum, & ipſa per aliquos ab eodem Capitulo deputandos examinari cum diligentia faciatis, & que de illis, que tamen noſtris predictis ordinationibus non obvient, in ipſo Regno obſervari debeant, in ſequenti ejusdem Regni

Ca-

Capitulo ordinetur, deinde ad Eccleſias Cathedraies, monaſteria, & alia loca Conventualia ejusdem Ordinis ſive Religionis infra idem Regnum exiſtentia conjunctim vel diviſim per diverſas partes, prout adinvicem Conventus perſonaliter accedentes, de ipſorum, nec non Monachorum ſuorum facultatibus, ac quot Monachi eſſe conſveverunt in eisdem; quot etiam de dictis facultatibus incumbentibus eis ſupportatis oneribus commode valeant ſuſtentari, diligenter inquirere, nosque de premiſſis per diligentem & fidelem relationem plenarie informare curetis, ut de cenſibus & facultatibus, & oneribus ſupradictis, certum in eis Monachorum numerum ſtatuere valeamus. Inſuper certos, & perpetuos redditus pro penſionibus, Magiſtris, ſeu Inſtructoribus, ac Monachis mittendis ad ſtudia, nec non pro ſuppletione Officiorum, & adminiſtrationum inſufficientium aſſignanda ſecundum formam & modum, qui in eorum ordinationibus exprimuntur, nec non ut in exequendis premiſſis vos non contingat expenſis propriis pregravari pro diebus ſingulis, quibus poſt predictum Capitulum celebratum in predicte executionis proſecutione fueritis eundo, morando & redeundo, cuilibet veſtrum exigendi congruum octuaginta *Thuronenſes (m)* argenti duntaxat ab Eccleſiis, Monaſteriis aliisque locis, predictis conventualibus, & membris eorum congrua per vos, vel veſtrum alterum de illis inter Eccleſias, monaſteria, loca, & membra predicta diſtributione facta, ita quod nichilominus ultra predictos octuaginta *Thuronenſes* argenti vos, aut familiares veſtri ab Eccleſiis, monaſteriis, locis, vel membris predictis, vel a Prelatis, ſeu quibuſvis perſonis ipſorum petere, exigere, vel etiam a volentibus ſolvere, ſeu dare, recipere preſumatis, alioquin pejus contra deſtructores in Provincialibus Capitulis deputandos, ac familiares eorum preter expenſas eis in victualibus miniſtrandas pecuniam, aut munera recipientes, in dictis conſtitutionibus & ordinationibus noſtris inflictis, vos & familiares veſtros predictos volumus ſubjacere, contradictores quoque in premiſſis, vel aliquo premiſſorum per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia oportuna remedia compeſcendi, non obſtantibus quibuscunque ſtatutis, & conſvetudinibus Cathedralium Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum locorum ejusdem Ordinis, ſeu Religionis Regni predicti contrariis, juramentis, confirmatiouibus Apoſtolicis, aut qui-

(*m*) Turonenſes 57 unam marcam ponderaſſe diſcimus ex Charta Jacobi Regis Aragon. de Anno 1309. *Quorum Turonenſium LVII. minus tertia parte unius ponderant unam marcham.*

quibuscunque firmitatibus aliis roboratis, ſeu ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de beneficiis Monachalibus ejusdem ordinis in eodem Regno ſpeciales vel generales Apoſtolice Sedis, vel ejus legatorum literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per easdem ad beneficia, que per vos pro premiſſis juxta easdem ordinationes aſſignata fuerint, volumus non extendi. Aut ſi Abbatibus, Capitulis, ſeu Prioribus ſupradictis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede conceſſum, quod eis, ſeu ipſorum Monaſteriis aut locis alique penſiones imponi, vel in illis conſtitui, ſeu quod ad conteſtationem vel ſolutionem quarumlibet procurationum, ſeu talliarum (*n*) vel impoſitionum hujuſmodi minime teneantur, & ad id compelli, ſeu ſi ipſis conjunctim vel ſeparatim a prefata Sede indultum exiſtat, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non habentes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de conceſſionibus & indultis hujuſmodi mentionem, aut quibuſcunque conſtitutionibus, ordinationibus, vel ſtatutis, privilegiis, indulgentiis, vel literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus contrariis, quorumcunque tenorum extiterint, per que preſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta earum effectus impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit noſtris literis mentio ſpecialis, plenam atque liberam tenore preſentium concedimus facultatem, poteſtatem. Volumus autem, quod etiam de his, que circa aſſignationem dictorum reddituum pro penſionibus Magiſtros, ſeu inſtructores Clauſtralium Monachorum, ac Monachis mittendis ad predicta ſtudia impendendis, nec non de redditibus, ſeu penſionibus, officiis, ſeu adminiſtrationibus inſufficientibus ſupradictis applicandis, ſeu etiam uniendis duxeritis ordinanda, & de aliis circumſtantiis eorundem nos per veſtras literas curetis ſimiliter plenarie informare. Quodſi non ambo premiſſis exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Ceterum quia pro dictorum ſtatutorum ſeu ordinationum expeditione dilectos filios *Bernardum* de *Genebreda* de *Longavilla*, & *Johannem* de *Fiſa*, ſancti *Pauli* de *Cadaronis Cluniacenſis*, & ſancti *Benedicti* Ordinum *Rothomagenſis* & *Vallenſis* Dyoceſis Prioratuum Priores in Romana Curia Profecutores per ali-

as

(*n*) Id eſt: *præſtationum*

as noſtras literas duximus deputandos, & eis inter alia exigendi ab Abbatibus, Capitulis, Prioribus, & aliis Adminiſtratoribus ejusdem Ordinis, ſeu Religionis, de quibus videretur eisdem pro premiſſorum expedientia certas pecuniarum ſummas & taxandi, ac diſtribuendi inter dictas provincias, quantum videlicet quelibet provincia per nos diſtincta de expenſis per eos in ſcriptura, aut alias premiſſorum occaſione factis ſolvere tencantur, liberam dedimus poteſtatem, volumus & mandamus, ut tam vos, quam preſidentes primo provinciali Capitulo, ceteriique Abbates ejusdem provincie taxationem per eos in ipſa veſtra provincia impoſitam ſolvere, & alias circa hoc eorum mandatis devote & efficaciter parere curetis. Datum *Avinione* Idibus Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo. (o)

LXXXVII.

Benedictus XII. adverſus Przedborium (p) *Abbatem Brewnovienſem Viſitatorem ordinis declarat ſtatuta & conſtitutiones a ſe datas Ordini S. Benedicti (de quibus ſuperiore diplomate) ſpectare ad ſolos Religioſos Viros, minime Moniales. dd. Avinione VI. Kal. Novemb. Pontificatus anno IV.* (q) Habetur apud Hammerſchmid in hiſtoria S. Georgii, p. 74.

LXXXVIII.

Commiſſio Benedicti Papæ XII. Abbati Gradicenſi delata ſuper lite inter Joannem Epiſcopum Pragenſem & Abbatem Brzewnovienſem orta. dd. Avinion. III. Idus Januarii, Pontificatus anno VII. (r) Ex Archivo Brewnov.

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio, Abbati Monaſterii *Gradicenſis* (s) prope *Olomuz* ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Conqueſti ſunt nobis Abbas (t) & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti*, quod Venerabilis Frater noſter *Joannes* Epiſcopus *Pragenſis*, ſuper terris, debitis, poſſeſſionibus, & rebus aliis injuriatur eisdem. Ideoque diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias

(o) In membranæ extrinſeca parte multo poſteriore charactere ſcriptum eſt: *Benedicti omnino XII, ultimi hujus nominis, & ſic bulla data eſſet anno 1336.* (p) Hunc Abbatem Aliter Strachoborium appellari ait Zigilbauer p. 66. quem ab anno 1336 uſque 1360. præfuiſſe & ex Illuſtriſſima gente Sternbergica prognatum ſcribit. (q) Anno 1337. (r) Anno 134[illegible]. (s) Is ſecundum Annales Præmonſtratenſes P. I. p. 75[illegible]. Auguſtinus erat, ſed veroſimillime ibidem erronee Benedictus XI. pro XII. poſitus. (t) Przedborius.

dias cauſam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, auctoritate noſtra firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum *Avinion.* III. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

LXXXIX.

Benedictus XII. Papa Commiſſionem defert Abbati Gradicenſi, (u) *ad revocandas res a Monaſterio Brzewnovienſi violenter ablatas. dd. III. Idus Januarii, Pontificatus anno ſeptimo.* (x) Ex Archivo Brewnov.

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Abbati Monaſterii *Gradicenſis*, prope *Olomucz* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectorum Filiorum (y) Abbatis & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam*, Ordinis ſancti *Benedicti* precibus inclinati, preſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, que de bonis ipſius Monaſterii alienata inveneris illicite, vel diſtracta, ad jus & proprietatem ejusdem Monaſterii legitime revocare procures. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſic ſe gracia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum *Avinion.* III. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

LXXXIX.

Joannes IV. Epiſcopus Pragenſis incorporat monaſterio Brewnovienſi eccleſias Parochiales Nezamislicz, Chozebus prope Melnicb. Item fatetur id jus habere perceptionis denariorum fumalium (z) *in Lutomericenſi, Belinenſi, & Lipenſi provinciis. dd. Pragæ V. Kal. Octob.* 1341. (a) Habetur apud Ziegelbauer p. 267.

LXXXX.

Joannes Rex Bohemiæ conſentit, ut Abbas & Conventus Monaſterii Brewnovienſis bona ſua in remotioribus a monaſterio locis poſita vendere, vel

(u) Auguſtino. (x) Anno 1340. (y) Przedborii. (z) Id eſt *ex ſingulis focis* ut explicat Dufreſnius in Gloſſario. (a) Præcipua animadverſione dignum eſt hoc diploma, in quo *Arneſtus Decanus* (qui paulo poſterius factus primus Archiepiſcopus Pragenſis) cum Archidiacono, Scholaſtico totoque Capitulo Pragenſi eadem confirmat.

vel pro aliis bonis commutare, denique alia bona viciniora emere, item bona hactenus Jure Boemicali locata, imposterum Jure emphytevtico, aut Theotonico elocare possint. dd. Pragæ feria quinta ante Dominicam, Domine, ne longe &c. *anno* 1341. Ex autographo Archivi Brewnov.

Nos *Johannes* Dei gracia *Bohemie* Rex, ac *Lucemburgensis* Comes, Ad universorum noticiam, hanc literam intuencium, volumus pervenire. Svadet hoc nobis munificencie Regalis sublimitas, quod hy, qui se nobis suorum reddunt actuum probacione placabiles, favoris nostri in se pariter & in suis fructuose compensacionis impendia consequantur. Cum igitur Venerabilis (*b*) Abbas Monasterii *Brevnovienſis* Ordinis sancti *Benedicti*, devotus noster dilectus humili & devota supplicacione oblata petiverit, ut bona ejusdem Monasterii a remotis in Regno nostro ab ipso monasterio jacencia, & eciam situata pro aliis bonis cambire, vel vendere, pecuniam illam vicinius in alia bona, seu possessiones convertere, nec non bona quecunque ejusdem monasterii locata hactenus Jure *Boemicali*, in antea Jure *Emphytevtico*, seu *Theutonico* locare possit, pecuniamque, quam nomine arre exinde perciperet, in usus, seu suffocacionem debitorum sepe dicti Monasterii similiter convertere, de solita benignitatis Clemencia dignaremur admittere, & concedere. Nos igitur Abbatis & Conventus antedicti Monasterii presentem & preteritum, quem ad nos semper gesserunt, & gerunt animum, censentes, considerantesque, quod ipsi sic se nobis devocione semper, & serviciorum exhibuerunt promptitudine studiosos, quod in eis nunquam invenimus, nec invenire potuimus aliud, quam quod vera fides, & sincere requirit affectus; ad exaudiendum in hoc preces antedicti Abbatis, ex quodam gratitudinis debito credimus nos teneri. Eapropter sæpe dicti Abbatis & Monasterii *Brewnovienſis*, ut premittitur, nobis oblatas ad exaudicionis nostre januam volumus devenire, sic quod prefatis concambio, vendicioni, seu locacioni finaliter consentimus, ratum, & gratum ex nunc, prout ex tunc habituri, quidquid ipse Abbas, seu Conventus nunc vel in antea in premissis duxerint faciendum, ipsaque nostri presentis scripti patrocinio confirmamus. Sub harum, quas sigillo nostro Majori (*c*) sigillari fecimus testimonio literarum. Datum *Prage* anno Domini 1341. feria quinta ante Dominicam; *Domine ne longe. &c. p.* (*d*)

(*b*) Przedborius. (*c*) Sigillum integrum hodie appensum est. (*d*) Ex hac, jamque aliis prioribus dierum consignationibus, haurimus sub Joannes Rege coepisse, ut abro-

XCI.

Hinco Berka de Duba concedit Predborio Abbati Brewnovienſi villam in ſilva Tyrnowi locandi. dd. in Caſtro Pragenſi anno 1342. *Nonis Junii.* Ex Archivo Brewnov.

Nos *Hinko* dictus *Berka* de *Duba* Purcravius *Pragenſis* notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod nos ad inſtantiam honorablium virorum: Domini *Predborii* Abbatis, totiuſque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* prope *Pragam*, cupientium villam locare in ſilva dicta *Tyrnowy* contra villam *Stochovicz* ad ipſos, & ipſorum Monaſterium pertinente, ob eorum ſpecialem devotionem noſtrum benevolum aſſenſum ipſis, ac ipſorum Monaſterio *Brewnovienſi* prædicto, quantum noſtrum intereſt, præſentibus concedimus, & donamus permittentes ipſos ac volentes, quantum ad nos ſpectare dinoſcitur, contra quoslibet, quos poſſumus, manu tenere, defendere, ac tueri locationem eandem, quam ratam habere volumus, atque gratam, harum ſerie noſtrarum literarum, quibus ſigillum noſtrum duximus appendendum. Datum in Caſtro *Pragenſi* anno Domini 1342. Nonis *Menſis* Junii.

XCII.

Przedborius Abbas Brewnovienſis vendit certis conditionibus fratribus Peskoni & Ulrico de Koſſors ſilvam Tyrnowa pro inſtruenda villa. dd. Brewnov. 1342. *die S. Barbaræ.* Ex Archivo Brewnov.

In nomine Domini, Amen. Quoniam prudentum ſanxit auctoritas, ut ea quæ geruntur in tempore, ne ſimul labantur cum tempore, ſcriptis & teſtibus ydoneis roborentur, ad perpetuam memoriam futurorum. Notum igitur facimus univerſis tam præſentibus, quam futuris præſentes literas inſpecturis, quod nos *Pesko* & *Ulricus* fratres germani, dicti *Koſſors*, ac heredes noſtri, ab Honorabilibus & Religioſis viris. Domino *Przedborio* Abbate, *Petro* priore, & *Petro* ſuppriore; *Svatomiro* Burſario *Mathæo* Cantore, *Martino*, *Andrea*, *Onſone*, *Gregorio*, *Zwieſtone*, *Petro*, *Mathæo infirmario*, totoque Conventu Monaſterii *Brzewnovien.* Ordinis S. *Benedicti Pragenſis* Diæceſis prope *Pragam.* Volentes noſtram conditionem facere meliorem rubeta prædicti Monaſterii *Brezwnovienſis* ſive ſilvam dictam vulgariter *Tyrnowa*, ſi-

rogata conſignatione Kalendarum, Iduum & Nonarum, dies ſeu a confinio feſti ſeu dominicæ coeperint notari, qui mos poſtea adeo increbuit præſertim ſæculo XV & XVI, ut vix aliter dies notati reperiantur.

ſitam ſupra villam ipſorum *Scobcowiz* ad extirpandum & villam collocandam in eisdem recipimus & conduximus in perpetuum. Sub pactis & conditionibus infra ſcriptis, ſane videlicet quod de dictis rubetis prædicti Abbas & Conventus nobis *Peskoni* & *Ulrico* prædictis ac heredibus noſtris, dimidium tantum laneum libere & ſine omni emptione donarunt ſpecialiter & dederunt, ad extirpandum agroſque informandum & quolibet modo fruendum, ita tamen, quod quilibet laneus habere debet ſeptuaginta duas menſuras de menſura funiculi, quo hereditates majoris Civitatis *Pragenſis* menſurantur; Unum vero laneum toti Communitati, pro communibus paſcuis, in loco ad hoc apto donarunt pariter & dederunt, imo & tres virgas, pro via communi, quæ vulgariter dicitur *Draby*, pellendorum pecorum atque gregum quem quidem laneum & tres virgas, tota communitas ſolvere debent, & tenentur, prout alii lanei exſolventur, ita tamen quod nullum cenſum deinceps, neque Bernam, ſive alia quæque jura ab eo laneo & tribus virgis, de cetero exquirere tenebuntur, Alios autem laneos, qui inventi fuerint in loco dictorum rubetorum ſive ſilvæ, ibidem habebunt homines perpetuo jure Emphitevtico in futurum tali ſub forma, quod pro arra pro uno quoque laneo, duas ſexagenas groſſorum denariorum *Pragenſium* tenebuntur ſolvere atque dare, videlicet mediam in feſto *Pentecoſten* nunc venturo, & mediam in feſto ſancti *Wenceslai* eodem anno ſubſequenti, Item mediam ſexagenam in feſto *Pentecoſtes*, & ultimam mediam in feſto ſancti *Wenceslai*. Eodem anno mox ſequenti libertatem habere debent ab anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio, a feſto ſancti *Georgii* nunc venturo, ſex annis continuis numerando, quibus annis libertatis Bernam ſolvere debent, & tenentur, eo modo homines qui *Morzynam* ſuſceperunt. Completo vero ſexto anno libertatis, ſtatim de uno quoque laneo per unam marcam per ſexaginta quatuor groſſos computando, diviſim tamen, In feſto S. *Georgii* mediam marcam, & in feſto S. *Wenceslai* mediam, in perpetuum ſimili viciſſitudine perſolvendo, duos etiam pullos, de unoquoque laneo ad feſtivitatem S. *Margarethæ*, & per tres groſſos pro juvamine, ad diem S. *Benedicti*, omni anno Monaſterio *Brzewnovienſi* pro menſa Domini Abbatis & Conventus præſentabunt, & ſic ab omnibus aliis exactionibus, quocunque nomine cenſeantur, erunt liberi & ſoluti, præter communem Bernam Regiam, quam perſolvent prout alii homines Monaſterii prædicti ſolvere conſveverunt, & quia Divino ſervitio ſive officio pro-

propter ſalutem animarum carere non poſſumus nec debemus, præfati Abbas ſcilicet & Conventus, unum liberum laneum ab omni onere ſolutionis pro Eccleſia & plebano aſſignarunt, ita tamen, quod plebanus jura Epiſcopalia Archidiaconalia & Decani teneatur exſolvere ut eſt moris; *Fumales* vero ad prætactum Monaſterium pertinebunt, videlicet de unoquoque laneo per ſex parwos ſolvere tenebuntur, eo tempore quo homines ſæpedicti Monaſterii de *Scochowicz* ſolvere conſveverunt, præterea cum homines judiciis carere non poſſint, ut indiſciplinati ſua recipiant incommoda, interim ipſum judicium nobis prædictis fratribus *Peskoni* videlicet & *Ulrico*, ac heredibus noſtris villa in eadem contulerunt, & dederunt, quam de novo noſtris ſumptibus informare tenebimur & debemus, quæ quidem judicia nos ipſi per anni circulum judicabimus, etiam ſi neceſſe fuerit prædictorum Abbatis & Conventus nuntio nobis juncto, præter tria judicia quæ majora appellantur. Unum poſt feſtum ſancti *Wenceslai*, ſecundum poſt *Nativitatem Chriſti*, tertium vero poſt *Paſcha*, in quibus quidem tribus judiciis Dominum Abbatem cum duodecim perſonis & totidem equis honeſte tenebimur procurare, aut quoſcunque Dominus Abbas ad eadem judicia loco ſui duxerit deſtinandos numero prænotato. Si autem Dominus Abbas aut ejus vices gerens venire commode non poſſent ad dicta judicia diſcutienda, extunc tota Communitas ad Monaſterium venire debet, quando eis mandabitur, judicia ad eadem. Sed expenſæ illorum tum judiciorum uno tantum die & non amplius miniſtrabuntur, quibus etiam judiciis hoc quoque adjunctum eſt: quod vulgariter *Unos* dicitur Judicium ignis, furti, homicidii, atque ſtupri, de quibus omnibus judiciis atque culpis, tam majoribus quam minoribus nos *Pesko* & *Ulricus* prætacti ac heredes noſtri tantum denarium pro nobis retinebimus duo vero in utilitatem præfati Monaſterii convertentur; Conceſſerunt etiam nobis ac heredibus noſtris, ſæpe dicti Abbas & Conventus Monaſterii prænotati villa in eadem Tabernam liberam, Carnificem, Piſtorem, Sutorem, Fabrum, & Balneatorem, quæ ſingula debemus & tenemur libere poſſidere. Inſuper de ipſorum bona voluntate nobis *Peskoni* & *Ulrico* propter noſtram devotam exhibitionem conceſſerunt venationes, Ancupia, piſcationeſque in flumine *Wltawa* a metis uſque ad metas ad terminum vitæ noſtræ tantum. Heredes vero noſtri, ſi eadem habere voluerint, hoc obtinere debebunt de gratia ſpeciali. Adjunctum eſt etiam & hoc, quod ſi aliqua Aurifodina, vel minera ibidem in quibuſcunque agris inveniretur, quod

quod ad Monaſterium & non ad alium pertinet, & ipſi agri cuiuſcunque eſſent, more agrorum ſolvi debent, prout per duos homines ibidem taxati fuerint fide dignos, inſuper montes qui arari non poſſunt præcipitia, ſive rupes ubi virgulta curralia non excreſcunt, menſurari non debent. Sed omnia pro communi utilitate noſtra benevole aſſignarunt. Specificatum eſt etiam ac declaratum, quodſi unquam, quod abſit, per gwerram generalem, vel exercitum extranei Principis terram ſubintrantis, aut etiam per ignem ſæpe dicta bona ipſius *Tyrnowa* devaſtarentur, vel ex permiſſione divina fruges in campis grandine lederentur, ex tunc ſtatim Domino Abbati & ſuo Conventui ac ſucceſſoribus ipſorum intimare tenebimur, & debemus, ipſique ad conſpectionem duorum ſervitorum Monaſterii prædicti nobiſcum graciam facere debent, prout eis videbitur expedire, hoc quoque adjunctum eſt ſpecialiter & expreſſe, quod ſi nos ſæpius dicti fratres *Pesko* & *Ulricus* ac heredes noſtri, prætacta bona non poſſemus conſervare commode & tenere, ex tunc nulli hominum licebit nobis, dicta bona vendere ſeu ſubloçare ſine prædictorum Dominorum Abbatis & Conventus, ac ſucceſſorum ipſorum ſpeciali beneplacito & aſſenſu, & hoc talibus hominibus, qui Monaſterio competant & Abbati; poſtremo ſtatutum eſt etiam & ordinatum, quod unus ex nobis aut heredum noſtrorum, ſingulis annis, Monaſterio ſive Abbati cum ſuo proprio apparatu ad tres vias tenebitur deſervire, videlicet unam in *Policz*, aliam in *Raygrad*, tertiam vero in *Nezamislicz* vel *Coſtelecz*; ut ei fuerit imperatum, in quibus quidem viis, ſi ei, qui ex nobis cum Domino Abbate fuerit, quod abſit, dampnum aliquod ſive infortunium eveniret, nec proinde Monaſterium impetere, nec Abbatem ſollicitare poterit, nec tenetur, niſi quod ei de ſpeciali gratia Domini Abbatis poterit elargiri. In quorum omnium teſtimonium & evidentiam pleniorem atque robur præſentem literam fieri Nobiliſque viri ac ſtrenui militis Domini *Bobunkonis* dicti *Haykonis* de *Cyſmycz* noſtrorumque ſigillorum *Peskonis* videlicet & *Ulrici* appenſione volumus communiri. Actum & datum in prædicto Monaſterio *Brezwnov.* anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, in die ſanctæ Barbaræ glorioſæ.

XCIII.

XCIII.

Commiſſio Clementis Papæ VI. delata Abbati Brzewnovienſi, ut revocari procuret bona Eccleſiæ Wiſſebradenſi illicite ablata. dd. Avinion. Idibus Junii, Pontificatus anno primo. Ex Archivo Monaſterii Brewnovienſis.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto Filio (*e*) Abbati Monaſterii *Brewnovienſis Pragenſis* Dioceſis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dilectorum filiorum, Capituli Eccleſie *Wiſſegradenſis* prope *Pragam* precibus inclinati, preſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, que de bonis ipſius Eccleſie alienata inveneris illicite, vel diſtracta, ad jus & proprietatem ejusdem Eccleſie legitime revocare procures, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gracia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum *Avinion.* Idibus Junii, Pontificatus noſtri anno primo. (*f*)

XCIV.

Wilhelmus de Straconitz liberat gratuito omnibus exactionibus & oneribus ſibi debitis bona monaſterii Brewnovienſis in Prachinenſi provincia ſita. dd. Straconitz anno 1346. *die S. Martini.* Ex Archivo Brewnov.

In Nomine Domini Amen. Cum principales deceat dignitates venerari, & promovere in omnibus Matrem ſanctam Eccleſiam & præcipue viros Religioſos, qui die noctuque mundiale calcantes familiarius Domino obſequuntur, congruum nobis viſum fuit, id imitari, & exequi, quod nobis & ſucceſſoribus noſtris cederet ad meritum, & S. Matris Eccleſiæ tranſiret ad profectum. Ibi enim recte locantur beneficia, ubi donorum creſcunt merita, ibi decenter impartitur gratia, ubi cum præmiis gloria cumulatur. Noſcat igitur tam præſens hominum ætas, quam in *Chriſto* ſucceſſura poſteritas futurorum, quod nos *Wilhelmus* dictus de *Straconicz*, olim magni Domini *Bawari* filius, conſiderantes quod in hoc mundi tramite univerſæ carnis inſtabilis eſt propago, ob remedium animarum progenitorum noſtrorum, & noſtræ ferventius cupientes piam Dei clementiam per Religioſorum Virorum ſuffragia promereri, omnia bona Monaſterii *Brzewnovienſis* Ordinis S. *Benedicti Pragenſis* Diœceſis in *Prachinenſi* Provincia ſita, videlicet *Nezamiſslicz*, *Domoraz*, *Zychonicz*, *Hryna*, in utraque villa *Hydczicz*, *Podmok*, *Stran-*

(*e*) Przedborio, (*f*) Anno 1342.

Strankow, *Woleſſonicz*, & exactiones molendinorum, quæ nobis & Prædeceſſoribus noſtris in certis oneribus fuerunt tributaria. Primo ſcilicet *Symeales* denarios, qui vulgariter *Opiczne* dicuntur; (*g*) Item *falcaſtrales*, qui vulgariter *Coſſne* dicuntur; (*h*) Item *fumales* denarios; (*i*) ſpecialiter etiam pecunialem ſolutionem; Inſuper ova, caſeos, & pullos, & alia quam plura, quæ ſingulis annis exſolvebant, nimiumque per noſtros Procuratores ſeu Officiales ad ſolvendum diverſimode artabantur, unde prædicta bona, ſeu ſolutiones ac exactiones, quocunque nomine cenſeantur, ob divinam remunerationem miſericorditer relaxamus, & eos perpetue liberamus, & volumus eſſe liberos & abſolutos, nulli omnino hominum quidpiam, quamvis modicum, perſolventes, pietatis ſtudio adhortante, ſpecialiter etiam adjicientes, quod abſit, ſi unquam ex prædictis hominibus, diabolo inſtigante quempiam contigerit vulnerari, aut interfici, vel in quocumque alio excedere, proinde bona prædicta non debent, nec poterunt per nos, aut ſucceſſores noſtros, vel per officiales noſtros, aut ſucceſſorum noſtrorum ſpoliari, ſeu captivari, vel quomodolibet perturbari, ſed omnem juſtitiam ab Abbate Monaſterii *Brzewnovienſis* ſupradicti expetere tenebuntur, ut in omnibus aliis bonis Monaſterii eſt conſvetum; cæterum, omne jus quod nobis vel ſucceſſoribus noſtris in prædictis bonis, quomodolibet competebat, aut competere dinoſcebatur, quibuſcunque ex cauſſis, in jus ſeu proprietatem prætacti Monaſterii *Brewnovienſis* transfundimus totaliter & in toto pro nobis & ſucceſſoribus noſtris quibuſcunque nihil penitus reſervantes. In cujus rei teſtimonium, atque robur præſentem literam fieri volumus, & ſigillo noſtro nec non ſigillo Domini *Buſſconis de Sczeknie* militis noſtri fecimus communiri. Datum & actum in *Straconiz* caſtro noſtro anno Domini milleſimo, trecenteſimo quadrageſimo ſexto, die Dominica in die S. *Martini* Confeſſoris atque Pontificis glorioſi.

XCV.

Abbas & Conventus monaſterii Brzewnovienſis Ord. S. Benedicti vendunt Præpoſito Zderaſienſi rubeta ſeu agros inter ſylvam villæ Chodow, & ſylvam villæ Cundratitz. dd. quinto Kalendas Junii anno 1348. Ex autographo Archivi Zderaſienſis.

(*g*) Symeales, ſeu ſimiales denarii a voce ſimia Bohemice Opice, qua ratione ita appellati fuerint, nullus ſcio. (*h*) Scilicet tempore meſſis pendi ſoliti, ſi meſſores ſeu falcatores non mitterentur. (*i*) Fumales pro ratione domorum ſeu caminorum ſeu laneorum pendi ſoliti.

Nos *Prziedborius* (*k*) Abbas *Radslaus* Prior, Totusque Conventus fratrum Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* notumfacimus univerſis preſentes literas inſpecturis, quod nos condicionem monaſterii noſtri volentes facere meliorem, bona deliberacione, & maturo conſilio inter nos prehabitis, rubeta noſtra ad villam noſtram *Michel* pertinentia, que jacent inter ſilvam Prepoſiti, & Conventus Monaſterii *Sderaſienſis* Ordinis ſacro ſancti *Dominici ſepulchri Jeroſolimitani* in villa *Chodow*, & ſilvam ville *Cunratitz*, que rubeta continent in ſe ad quadraginta quinque menſuras, ſive ſtrichones de agris, de quibus Rubetis nullam penitus habere potuimus utilitatem, dictis Prepoſito, & Conventui monaſterii Sderaſienſis rite & racionabiliter vendidimus pro certa quantitate pecunie in emphiteoſim, ſive jure *theotonico* per ipſos Prepoſitum, & Conventum Monaſterii predicti, ac ſucceſſores eorum, perpetuo poſſidenda, & de eisdem rubetis libere diſponendum tanquam de re propria, prout ipſorum placuerit voluntati, tali tamen condicione adhibita, quod Prepoſitus predicti, & Conventus Monaſteri jam dicti, & ſucceſſores eorum nobis & noſtris ſucceſſoribus de predictis rubetis ſive agris, ſi ipſos contingat, ibidem impoſterum facere, mediam ſexagenam groſſorum denariorum *Pragenſium*, videlicet XXX. groſſos nomine cenſus, in omnem eventum dabunt, & perſolvent in feſto Beati *Galli* XV. groſſos, & in feſto Beati *Georgii* totidem, qua; vis occaſione non obſtante. Si autem in aliquo termino predictorum dictam pecuniam non ſolverent, vel infra quatuordecim dies poſt, ex tunc, monicione premiſſa, incident penam octo groſſorum, & ſi poſt alios quatuordecim dies cenſum cum pena non ſolverent, ex tunc alios octo groſſos nobis dare & ſolvere tenebuntur, & inſuper in dictis agris ſive rubetis tam pro cenſu, quam pro penis nobis per ipſos non ſolutis, per quos, ſive pecora; ac annonas in dictis agris, ſive rubetis recipiendi, occupandi, & arreſtandi, habebimus, & habere debemus liberam poteſtatem, & tamdiu retinendi, donec nobis plenarie de premiſſis omnibus fuerit ſatisfactum. Et quia pro nunc modicam de predictis rubetis poſſunt habere utilitatem, ideo ipſis damus a feſto ſancti *Georgii* proxime preterito ad duos annos a ſolucione dicti cenſus plenam libertatem. Elapſis vero dictis duobus annis, dictum cenſum nobis, ut pre-

(*k*) Ita ſe Abbatem hunc *Prziedborium* nominaſſe & ſcripſiſſe in omnibus Diplomatibus reperio, ut unde Ziegelbauerus nomen *Strzcboborii* hauſerit, nullus ſciam.

predictum eſt, ſolvere tenebuntur & debebunt. In cujus rei teſtimonium preſentes literas fieri, & ſigillis Abbatis & Conventus (*l*) fecimus appenſione communiri. Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo in *Vigilia Aſcenſionis noſtri Salvatoris*, ſive quinto Kalendas Junii.

XCVI.

Carolus Romanorum & Bohemiæ Rex indulget Abbati Predborio & Conventui Monaſterii Brunovienſis, ut in oppido Brunow, in limitibus Poloniæ conſtituto, duos Judæos patresfamilias cum uxoribus, & familiis habere poſſint, qui exempti ſint ab omni cenſu, collecta & aliis ſolutionibus ad Cameram Regiam dari ſolitis. dd. Sytaviæ XVII. Kalendas Septembris anno 1348 (*m*) Ex autographo Monaſterii Brewnov.

Karolus Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & *Boemie* Rex. Notum facimus univerſis, quod ad Religioſorum *Predborii* Abbatis & Conventus Monaſterii Brunovienſis ſupplicationis inſtanciam, ipſorum eciam devocionis affectum, quo noſtram Celſitudinem ſunt actenus proſecuti, & quotidianis affectibus venerantur, ſpecialius intuentes, ipſis, & ſucceſſoribus ipſorum infra ſcriptam graciam de Regie liberalitatis munificencia duximus faciendam, quatenus duos Judeos Patresfamilias cum uxoribus, pueris, & familiis ſexus utriusque in oppido ipſorum *Brunow* in metis *Polonie* (*n*) conſtituto tenere valeant, ipſisque in loco predicto concedere manſiones, quos eciam ab omni cenſu, angaria, impoſicione, collecta & ceteris datiis ſive ſteuris, quibus alii Judei Regni noſtri *Boemie* Camere noſtre ſervi, a nobis, Officialibus noſtris nomine Regalis Camere, aut aliis quibuſcun-

 que

(*l*) Utrumque ſigillum illæſum ſuperſtiti membranæ hodie appenſum eſt. Utrumque Num. VIII. æri inciſum ſiſtimus. Gratulandum vero maxime hæc duo ſigilla in Archivo Zderaſienſi ſub Num. 162. conſervata eſſe, ut ſciatur, quæ forma veteris ſigni tam Abbatis quam monaſterii fuerit, præſertim cum Balbinus vetuſtatem hodierno more menſus in Epitome ſua pag. 141. alibique Lectori perſuadere conatus ſit: roſas illas *rubras in albo campo* quæ hodie in ſigillo monaſterii ſpectantur ex gentilitio clypeo S. Adalberti derivari, ab eoque tempore conſervatas eſſe. Cum ea ætas gentilitiorum clypeorum præſertim hereditariorum penitus ignara fuerit. In hoc utroque ſigillo nec rami decuſſati cum damarum cornibus, nec roſæ uſpiam comparent. In Abbatis ſigillo ſola ſpectatur Abbatis ſtantis effigies dextra pedum ſiniſtra librum tenentis. In monaſterii ſigillo e dextro latere eſt S. Adalberti, e ſiniſtro S. Benedicti ſedentium imago, quæ poſterior etiam literas S. B. ſcil. *ſanctus Benedictus* adjectas habet. (*m*) Hoc diploma deſideratur in Cl. Pelzelii Vita Caroli IV. P. I. p. 224, (*n*) Id eſt *Sileſiæ*, quæ hoc ſæculo adhuc iſto nomine veniebat.

que modis, & nominatim Judeis *Pragenſibus* conſveverunt artari, liberi ſint penitus, & exempti. Nulli ergo hominum futuro tempore, niſi tantum Abbati & Conventui Monaſterii *Brunovienſis* predicti ad ſolutionem Cenſuum, Collectarum, Contribucionum, exaccionum, talliarum, honoracionum, ſeu quorumlibet munerum teneantur. Preſentibus duntaxat ad noſtrum beneplacitum valituris, preſencium ſub noſtre Majeſtatis ſigillo (*o*) teſtimonio literarum. Datum *Sytavie* anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo, Indiccione prima, XVII. Kalendas Septembris, Regnorum noſtrorum anno *Romani* tercio, *Boemie* vero ſecundo.

XCVII.

Hinko de Duba Dominus de Nachod abſolvit Predborium Abbatem Brewnovienſem hominesque Præpoſiturarum ejus Policz, Brunov & Raygrad ab omni onere Teloniario in ſua civitate Nachod. dd. Nachod II. Non. Februarii 1349. Paprocius in Diadocho p. 149.

XCIIX.

Joannes Dux Carinthiæ Frater Caroli Rom. Imperatoris & Bohemiæ Regis, auctoritate ejusdem, conſentit, ut Radslaus Prior, & Conventus Monaſterii Brzewnovienſis villam Maſslnicz a monaſterio valde remotam vendere, & aliam propinquiorem nomine Palcz emere poſſint. dd. Pragæ in die S. Benedicti, anno 1349. Ex autographo Monaſteri Brewnovienſis.

Joannes Dei gracia Dux *Karinthie*, Comes *Choricie* & *Tirolis* Honorabilibus & Religioſis Viris *Radslao* Priori, & Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti Pragenſis* Diæceſis devotis noſtris dilectis graciam ſuam, & omne bonum. Oblata nobis pro parte veſtra peticio continebat, quod cum vos in Civitate *Pragenſi* duarum marcarum, & in villa *Maſslnicz* decem marcarum redditus, qui duntaxat vobis, nullo penitus alio cum eisdem quidquam diſponente, & diſponere habente, a fidelibus Chriſti pro animarum predeceſſorum ſuorum perpetua memoria ſunt in elemoſinam elargiti, habeatis, & eosdem propter jam dicte ville remotam a monaſterio veſtro diſtanciam, ad veſtram convertere utilitatem, commodoſe regere, & gubernare non poſſitis, de ſolita clemencia admittere dignaremur, ut venditis & alienatis eisdem redditibus, appoſitis quoque aliis pecuniis, quas habetis, alia bona, & redditus, veſtro monaſterio propinguiora, & utiliora com-

(*o*) Sigillum hodie integrum appenſum eſt.

comparare, & emere valeatis. Veſtris itaque hys petitionibus racionabilibus, atque juſtis annuere, & ſatisfacere cupientes, precipue eciam, ut bonorum operum, que favente Domino laudabiliter cumulatis, participes fieri mereamur, devocioni veſtre Auctoritate Invictiſſimi Domini noſtri Domini *Karoli Romanorum* Regis, & ſemper Auguſti, & *Bohemie* Regis, fratris noſtri Kariſſimi, qua plenarie fungimur, & virtute propria favemus, gracioſe admittentes, ut juxta modum preſcriptum prefatos redditus vendatis, & adjunctis aliis pecuniis, quas habetis, alia bona, videlicet in villa *Palez minori* ematis, & comparetis, veſtris uſibus applicandis, ratum, & gratum habentes, & perpetue firmitatis robur obtinere, virtute preſencium decernentes, quidquid per vos tam in vendicione, quam empcione premiſſis actum fuerit, ſive factum & ut eadem bona pacifice, quiete, & ſine impedimentis poſſideatis, & eciam teneatis omnibus temporibus ſecuturis, vos, una cum eisdem, nec non & aliis, que ſuccedente tempore habebitis, bonis, ubicunque fuerint, in noſtram tuicionem, & proteccionem recipimus ſpecialem. Inhibentes univerſis & ſingulis, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, cujuſcunque ſtatus, vel dignitatis, ſeu conditionis fuerint, prefati Domini noſtri & noſtre gracie ſub obtentu, vos in predictis bonis, vel aliis quibuſcunque nullatenus preſumant impedire, vel inquietare, ſeu quavis occaſione alia moleſtare, ſi quis autem contrarium attemptaverit, memorati Domini noſtri, & noſtram irremiſſibilem indignacionem noverit ſuper ſe graviter irritaſſe. In cujus rei teſtimonium preſentes fieri, & noſtri ſigilli (p) appenſione juſſimus communiri. Actum & datum in Civitate *Pragenſi* majori, anno Domini milleſimo trecenteſſimo quadrageſimo nono, in die ſanctiſſimi *Benedicti* Abbatis, Confeſſoris Domini Glorioſi.

Per Dominum Ducem.

XCIX.

Carolus IV. Romanorum & Bohemiæ Rex confirmat privilegia a Regibus & Ducibus Bohemiæ Abbati & monaſterio Brewnovienſi conceſſa, eaque integra diplomati ſuo inſerit. ſcil. Wenceslai Regis, Joannis Regis, Ducis Brzetislai, & Friderici Ducis Olomucenſis. dd. Pragæ XIX. Kal. Febr. anno 1351. Habetur apud Ziegelbauer p. 273.

C.

(p) Sigillum, quod integrum hodie membranæ appenſum eſt. Num. IX. excuſum damus.

C.

Carolus IV. confirmat monaſterio Brewnovienſi privilegia Ottocari, Wenceslai Junioris, Przemyslai Junioris item alterius Wenceslai Regum Bohemiæ, quæ integra tranſumit. dd. Pragæ XIX. Kal. Febr. 1351. Habetur apud Ziegelbauer p. 273. & ſeq.

CI.

Carolus IV. confirmat jura, libertates & donationes a Prædeceſſoribus ſuis Abbati & monaſterio Brewnovienſi conceſſas, præſertim privilegium duplex Ottocari, Wenceslai Regis, & Margarethæ reginæ, quæ integra tranſumit. dd. Pragæ XIX. Kal. Febr. anno 1351. (*q*) Habetur apud Ziegelbauer p. 273 & ſeqq.

CII.

Indulgentiæ a Nicolao Premiſlienſi Epiſcopo pro Braunovienſi Eccleſia conceſſæ. Datum in Tremeſna feria ſexta Aſcenſionis Domini anno 1359. Ex autographo Archivi Brewnov.

Univerſis ſancte Matris Eccleſie Filiis, ad quos preſentes litere pervenerint, Nos *Nicolaus* Divina & Apoſtolice ſedis providentia *Premiſlienſis* (*r*) Eccleſie Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Splendor paterni luminis, qui ſua mundum ineffabili claritate illuminat, pia vota fidelium de clementia Majeſtatis ſue ſperancium, tunc precipue, cum devota ipſorum humilitas ſanctorum meritis & precibus adjuvatur. Cupientes igitur, ut Eccleſia Beati *Adalberti* & ſancti *Wenceslai* in *Brunow* Ordinis ſancti *Benedicti Pragenſis* Dyoceſis congruis honoribus frequentetur, & a Chriſti fidelibus jugiter veneretur; omnibus vere penitentibus, & confeſſis, qui ad dictam Eccleſiam in ſingulis ſuis Patronorum feſtivitatibus, & in omnibus aliis infra ſcriptis; videlicet, *Natalis Domini*, *Circumciſionis*, *Epiphanie*, *Paraſceve*, *Paſche*, *Aſcenſionis*, & *Exaltationis ſancte Crucis*, *ſancti Michaelis Archangeli*, in feſto Beati *Johannis Baptiſte*, Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, & Omnium aliorum Apoſtolorum, in omnibus feſtivitatibus Beate *Marie* Virginis, ſanctarum *Marie Magdalene*, *Margarethe*, *Katharine*, *Anne*, *Lucie*, *Agnetis*, & *Agathe*, in feſto Omnium ſanctorum, & in Commemoratione Animarum, ac in dicte Eccleſie Dedicatione, aurum, argentum, libros,

(*q*) Hæc tria diplomata ſejuncta ſuisque ſigillis munita ſervantur hodie in Archivo Brewnovienſi. Ziegelbauerus vero tria hæc contraxit in unum p. 273. non alia ratione, quam quod eodem die & anno data ſint, denique ingreſſus & clauſula in omnibus tribus ad verbum reſpondeant. (*r*) In Polonia.

bros, calices, ornamenta, ſeu quevis alia neceſſaria veſtimenta, aut qui Cimiterium dicte Eccleſie circuierint exorando pro defunctis, ſeu qui aurum vel argentum, vel aliquid ſuarum facultatum donaverint, legaverint, ſeu donaverint, vel procurayerint, quocieſcunque devote fecerint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtoloruin auctoritate confiſi, quadraginta dies indulgentie de injunctis eis penitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, dummodo Dyeceſani voluntas ad id acceſſerit, & conſenſus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum (*s*) preſentibus eſt appenſum. Datum in *Tremeſna* feria ſexta in craſtinum *Aſcenſionis Domini*, anno Domini 1359.

CIII.

Carolus IV. quatuor Præpoſituras monaſterii Brewnovienſis ſcil. Branow, Policz, Koſtelecz, & Nezamislicz penitus eximit a ſuppeditandis curribus in expeditiones bellicas. Inſuper inhibet, ne oppidani Brunovienſes locum muris aut foſſatis cingant citra Abbatis conſenſum. dd. in Alba aqua III. Nonas Novembris 1359. (*t*) Apud Ziegelbauer p. 286.

CIV.

Innocentius VI. demandat ut Brewnovienſi monaſterio debita penſio annuarum 120. *librarum ſolvatur a Floriano Plebano eccleſiæ Chrudimenſis. dd. Avinion. XVI. Kalendas Junii, Pontificatus anno decimo.* (*u*) Ex Archivo Monaſterii Brewnov.

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Pragenſi, & ſancti *Agricoli Avinionenſis* Eccleſiarum Decano ac Officiali *Pragenſis* Eccleſie, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Petitio dilectorum filiorum (*x*) Abbatis & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti* nobis exhibita continebat, quod olim ipſi *Florianum* Rectorem Plebanum nuncupatum Parochialis Eccleſiæ in *Chrudim Lutbouislenſis* Dioceſis, qui ſibi communiter in quadam penſione annua centum & viginti librarum cere ex cauſa tunc expreſſa legitima tenebatur, quique in ſolutione penſionis hujusmodi per certum tempus tunc expreſſum ceſſaverat, eosdem Abbatem & Conventum, & eorum Monaſterium penſione hujusmodi contra juſtitiam ſpoliando, eundem

(*s*) Sigillum aliqua parte mutilum excuſum damus Num. X. (*t*) Et iſtud diploma prætermiſſum eſt in Vita Caroli IV. P. II. p. 614. Cl. Pelzelii. (*u*) Anno 1362. (*x*) Is juxta Ziegelbauerum fuit Dionyſius I. qui anno 1360. Brzedborio ſucceſſit.

dem *Florianum* ſuper hoc coram Officiali *Litomiſlenſi*, non ex delegatione Apoſtolica traxerunt in cauſam, Idemque officialis cognitis hujusmodi cauſe meritis, & juris ordine obſervato per ſuam diffinitivam ſententiam pronunciavit, decrevit, & declaravit, prout hec omnia in libello pro parte dictorum Abbatis & Conventus coram ipſo Officiali in cauſa hujusmodi exhibito petita fuerant, predictos Abbatem & Conventum, ac Monaſterium ipſorum *Brewnovienſe* ad poſſeſſionem vel quaſi perceptionis annue penſionis centum & viginti librarum cere in dicto libello petite, fuiſſe & eſſe reſtituendos, reddendos, & reintegrandos, ipſosque reſtituit, reduxit, & reintegravit, ac reſtitutos, reductos, & reintegratos libere, plenarie, & integraliter & cum effectu, nec non dictum *Florianum* ad ſolvendum penſionem prefatam, in libello petitam & retentam, & non ſolutam a tempore mote litis condempnavit ſententialiter, & diffinitive in ſcriptis. A qua quidem ſententia pro parte dicti *Floriani* fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum, cui quidem appellationi prefatus Officialis detulit reverenter, ipſisque partibus ad preſentandum ſe Apoſtolico conſpectui certum duxit terminum peremptorium prefigendum. Nosque cauſam appellationis hujusmodi infra dictum terminum quondam *Petro* majoris Precentori Eccleſie *Valentin*: Capellano noſtro, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, coram quo, quondam *Johanne* de *Harawicz* Abbatis & Conventus, & *Johanne* de *Lubek Floriani* predictorum procuratoribus, quolibet eorum procuratorio nomine partis ſue in judicio comparentibus, & per quemlibet eorum quodam in hac cauſa pro parte ſua dato libello, ac per eos lite in cauſa hujusmodi legitime conteſtata, & in ipſius Auditoris preſentia de calumpnia, & veritate dicenda preſtitis juramentis, ac traditis quibusdam poſitionibus & articulis, & contra easdem poſitiones & articulos nonnullis exceptionibus utrinque datis, ac productis quibusdam juribus & munimentis, quibus partes ipſe volebant in cauſa hujusmodi uti, & contra eadem producta nonnullis exceptionibus hinc inde datis in terminis eis ad ſingulos actus hujusmodi per dictum Auditorem peremptorie, & ſucceſſive aſſignatis, tandem predictis Procuratoribus coram eodem Auditore in judicio comparentibus, & voluntarie in cauſa hujuſmodi concludentibus, memoratus Auditor cum dictis Procuratoribus in cauſa ipſa concludentibus concluſit, & habuit pro concluſo, & ad ipſius *Johanis* de *Harawicz* Procuratoris inſtantiam Magiſtrum *Petrum*

trum Lutbomus; (*y*) Procuratorem, & procuratorio nomine dicti *Floriani*, prout eidem Auditori apud acta cauſe legitime conſtabat, ad ſuam in cauſa hujusmodi diffinitivam ſententiam audiendam per quendam Curſorem noſtrum citari fecit ad certam peremtoriam diem competentem. In qua dictis *Johanne* de *Harawicz*, & *Petro* coram memorato Auditore in judicio comparentibus, & ſententiam hujusmodi ferri petentibus, ſæpe fatus Auditor viſis, & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis actis actitatis, habitis, & productis in cauſa hujusmodi coram eo, ipſisque cum diligentia recenſitis & examinatis, & facta ſuper hys omnibus Coauditoribus ſuis dicti Palatii relatione plenaria, & fideli, de ipſorum Coauditorum conſilio & aſſenſu per ſuam diffinitivam ſententiam pronuntiavit, decrevit, & declaravit, prout hec omnia in libello pro parte dictorum Abbatis & Conventus in hac cauſa exhibito petita fuerant, per Officialem predictum bene fuiſſe proceſſum, ſentenciatum, & diffinitum, ejusque ſententiam confirmavit, & condempnavit nichilominus dictum *Florianum* in penſionem dicte cere - - retente per ipſum *Florianum*, a tempore ſententie late per dictum Officialem, & in expenſis in hujusmodi cauſa factis coram eo, ipſarum expenſarum taxatione ſibi impoſterum reſervata. A qua quidem ſententia pro parte dicti *Floriani* fuit ad Sedem appellatum predictam, nosque cauſam appellationis hujusmodi a dicta ſententia ipſius *Petri* interjecte Venerabili Fratri noſtro *Symoni* Epiſcopo *Londonienſi* tunc Capellano noſtro, & cauſarum Palatii predicti Auditori audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, qui ad inſtantiam dicti *Petri* coram eo in judicio comparentis prefatum *Joannem* de *Harawicz* ad dandum, & recipiendum libellum in cauſa hujusmodi per quendam curſorem noſtrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo prelibatus *Johannes* de *Harawicz* coram *Symone* tunc Auditore in judicio comparens, prelibati *Petri* - - non comparentis contumaciam accuſavit, & in ejus contumaciam quendam pro parte ſua in hac cauſa dedit libellum, ac deinde ſupradictis *Joanne* de *Harawicz*, & *Petro* - - coram prefato *Symone* tunc Auditore in judicio comparentibus, & per eos lite in cauſa hujusmodi legitime conteſtata, & in ipſius *Symonis* tunc Auditoris preſentia de calumpnia, ac veritate dicenda preſtitis juramentis in cauſa ſupradicta, in termino ad hoc dato. Tandem prenominatus *Symon* tunc Auditor ad

(*y*) Litomiſlienſem.

inſtantiam ejusdem *Johannis* de *Harawicz* ſepefatum *Petrum* - - - ad dandum, & per partem alteram dari videndum poſitiones & articulos, ſi quos dare vellent in cauſa hujusmodi per quendam curſorem noſtrum citari fecit ad peremptorium terminum certum competentem, in quo dictus *Johannes* de *Harawicz* coram memorato *Symone* tunc Auditore in judicio comparens, ſepedicti *Petri* non comparentis contumaciam accuſavit, & in ejus contumaciam nonnullas poſitiones, & articulos tradidit in cauſa prelibata, ſupradictusque *Symon* tunc Auditor prefatum *Petrum* ad reſpondendum dictis poſſitionibus, & dicendum contra eosdem articulos quidquid vellet, nec non ad producendum, & per partem alteram produci videndum omnia jura, & munimenta, quibus partes ipſe vellent in hac cauſa uti, per quosdam curſores noſtros ſucceſſive citari fecit ad certos terminos peremtorios competentes, in quibus dictus *Johannes* de *Harawicz* coram prelibato *Symone* tunc Auditore in judicio comparens ſæpe fati *Petri* non comparentis contumaciam accuſavit, & in ejus contumaciam nonnulla jura & munimenta, alias per eum in prima inſtantia predicta exhibita, produxit, memoratusque *Symon* tunc Auditor ad predicti *Johannis* de *Harawicz* inſtantiam eundem *Petrum* - - ad dicendum contra eadem producta quidquid vellet, nec non ad concludendum, & concludi videndum in cauſa hujusmodi, vel dicendum cauſam rationabilem, quare in ea concludi non deberet per quosdam curſores noſtros ſucceſſive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dicto *Joanne* de *Harawicz* coram eodem *Symone* tunc Auditore in judicio comparente, ac ejusdem *Petri* non comparentis contumaciam accuſante, & in ejus contumaciam concludi petente in cauſa ſupra dicta, prefatus *Symon* tunc Auditor, reputans eundem *Petrum*, quoad hoc, prout erat, merito contumacem, in ejus contumaciam in cauſa hujusmodi cum dicto *Johanne* de *Harawicz* in ea concludente, concluſit, & habuit pro concluſo. Ac ſubſequenter nos cauſam hujusmodi Dilecto Filio Magiſtro *Hugoni Fabri* Precentori Eccleſie *Montisregalis Carcaſſonenſis* dioceſis Capellano noſtro, & cauſarum Palatii predicti Auditori ex certis cauſis audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, qui ad inſtantiam Magiſtri *Cunſſonis* de *Weſſel* Procuratoris, & procuratorio nomine dictorum Abbatis & Conventus una cum eodem *Johanne* de *Harawicz* in ſolidum conſtituto, ita quod non eſſet melior conditio occupantis, ipſo *Johanne* tunc vita functo, Magiſtrum *Paulum* de *Cotzna* Procuratorem dicti *Floria-*

riani ab eo de novo conſtitutum, prout eidem *Hugoni* Auditori apud acta cauſe legitime conſtabat, ad ſuam in cauſa hujusmodi diffinitivam ſententiam audiendam, per quendam curſorem noſtrum citari fecit ad peremptoriam certam diem competentem, in qua dictis *Cunſone* & *Paulo* coram eodem *Hugone* Auditore in judicio comparentibus, & ſententiam hujusmodi ferri petentibus, memoratus *Hugo* Auditor viſis, & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis actis actitatis, habitis, & productis in cauſa hujusmodi, ipſisque cum diligencia recenſitis, & examinatis, & facta ſuper his omnibus Coauditoribus ſuis dicti Palatii relatione plenaria & fideli, de ipſorum Coauditorum conſilio & aſſenſu per ſuam diffinitivam ſententiam pronuncciavit, decrevit, & declaravit per *Petrum* Auditorem predictum bene & legitime fuiſſe, & eſſe proceſſum in hac cauſa, & ſententiatum, ejusque ſententiam confirmavit, condempnans nihilominus predictum *Florianum* in penſione dicta dicte cere retente per ipſum *Florianum* a tempore late ſententie per dictum *Petrum* Auditorem, & in expenſis legitimis, in cauſa hujusmodi factis, tam coram eo, ipſarum expenſarum taxatione ſibi impoſterum reſervata. Et ſubſequenter prelibatus *Hugo* Auditor, cui nos commiſimus, ut etiam expenſas coram eodem *Petro* Auditore in hujusmodi cauſa factas taxaret ad inſtantiam dicti *Cunſonis* prefatum *Paulum* ad videndum taxari expenſas hujusmodi per quendam Curſorem noſtrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo dicto *Cunſſone* coram eodem *Hugone* Auditore in Judicio comparente, & dicti *Pauli* non comparentis contumaciam accuſante, & in ejus contumaciam expenſas ipſas taxari petente; predictus *Hugo* Auditor reputans eundem *Paulum* quo ad hoc, prout erat, merito contumacem, in ejus contumaciam predictas expenſas in octuaginta uno florenis auri provida moderatione taxavit, ipſius *Cunſſonis* ſuper eisdem expenſis juramento ſecuto, prout in inſtrumentis publicis inde confectis ipſorum *Petri* & *Hugonis* Auditorum ſigillis munitis dicitur plenius contineri. Nos itaque ipſorum Abbatis & Conventus ſupplicationibus inclinati, que ſuper hys ab eisdem *Petro* & *Hugone* Auditoribus provide facta ſunt, rata habentes & grata, diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum *Petri* & *Hugonis* Auditorum executioni debite demandantes, easque ubi & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicantes faciatis eisdem Abbati & Conventui de dicta penſione retente cere hujusmodi, lite coram ipſis *Petro Symone* tunc & *Hu-*

gone Auditoribus pendente, & florenorum ſummis predictis pro dictis expenſis juxta predictorum inſtrumentorum, earundem condempnationum & taxationis tenores plenam & debitam ſatisfactionem impendi. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum *Avinion.* XVI. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno decimo.

G. Xendeti.

CV.

Urbanus Papa V. approbat & confirmat ſententiam ab Anteceſſore ſuo Innocentio Papa VI. latam pro Abbate monaſterii Brewnovienſis adverſus Plebanum Chrudimenſem ratione centum viginti librarum ceræ pendi intermiſſarum & Octoginta unius floreni in expenſas aſſignatorum. dd. Avinione IV. Nonas Februarii Pontificatus anno I. (z) Habetur in Archivo monaſterii Brewnov. (*a*)

CVI.

Recognitio ſenatus Vetero-Pragenſis, quod Ulricus Abbas, & Monaſterium Brzewnovienſe vendant Peſconi Albo domum & Curiam cum braſiatorio prope monaſterium ſancte Crucis Vetero-Pragæ ſitam. dd. feria tercia poſt Dominicam Oculi anno 1361. Ex autographo Archivi Brewnovienſis.

Nos *Hana Beneſchower* Judex, *Meinlinus Dubcz*, *Frana Johannes*, *Nicolaus Geunher*, *Peſslinus Bobuslai*, *Hamlinus Stach*, *Ulricus Weſſeler*, *Nicolaus* de *Nova Domo*, *Martinus* Inſtitor, *Frana Negel*, *Henslinus Freiberger*, *Friczko Neugruner*, *Henslinus Jurryntin*, *Johannes de Ach*, *Henslinus Harer*, *Wolflinus Clementer*, *Nicolaus Ortlini*, & *Jaxo Payer*, Jurati Cives Majoris Civitatis *Pragenſis*, recognoſcimus tenore preſencium univerſis, quod Honorabiles, & Religioſi Viri (*b*) *Ulricus* Abbas, *Johannes* Prior, Totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis*, Ordinis ſancti *Benedicti* prope Pragam maturo accedente conſilio, ſana pariter animorum deliberacione omnium, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, quomodolibet in futurum, prefati Monaſterii condi-

(z) Anno 1363. (*a*) Bullam hanc merito prætermittimus, quod in ſimillima forma imo iisdem paſſim verbis uti prior data ſit, niſi quod Pontifex ſe ſe ad Præceſſoris ſui Innocentii VI. ſententiam revocet. (*b*) Hunc Ulricum Ziegelbauerus numero XXIII. Abbatem facit, interque eum & Przicdborium crebro ſupra nominatum, Dionyſium I. interceſſiſſe ſtatuit. Huic Udalrico vero ab anno 1366 uſque 1380 Inſulam Brewnovienſem concedit.

dicionem cupientes facere meliorem, domum, & Curiam cum braſiatorio, cum domo, que nunc eſt facta braſiatorium, quam *Joannes* dictus *Piczenka*, & uxor ſua, nomine *Machna* ad tempus vite poſſident, ſolummodo cum ſolucione quatuor librarum cere, annis ſingulis *Peſconi Albo*, poſt quorum, ſcilicet *Johannis* & *Machne* mortem, ſub modo melioracionis, & non deterioracionis ad predictum *Peſconem Album* jure hereditario devolvitur, ipſorum in uno muro circumferenciali comprehenſi, ſitis, prope monaſterium ſancte *Crucis*, in curia, que in vulgari dicitur na *Budyni*, cum ipſius area, cum omnibus Juribus ad ipſam Curiam ſpectantibus, appendiciis, utilitatibus, fructibus, & proventibus, ac emolumentis, ſponte ſuo & Conventus ſui nomine vendiderunt, & in publico dicte Civitatis Judicio coram nobis more ſolito reſignarunt Prudenti Viro *Peſconi Albo* ſepefato, noſtro Concivi, & nobis conjurato ementi, & recipienti pro ſe, heredibus, & ſuis ſucceſſoribus, pro quadam certa quantitate pecunie, rite & racionabiliter dicto *Ulrico* Abbati, *Johanni* Priori, totique Conventui jam plene, & integre perſoluta. Idcirco ipſe *Peſco*, heredes, & ipſius ſucceſſores habebunt, & habere debebunt cum domo, curia, braſiatoriis, & cum eorum areis ſupradictis plenam licenciam, & liberam poteſtatem agendi, & faciendi de cetero, tanquam de rebus, & hereditate ipſorum propria, quidquid eorum voluntati placuerit, contradiccione qualibet non obſtante, quia ipſe *Peſco* executus eſt, & fecit plene cum domo, curia, braſiatoriis predictis, & ejus areis, quod de jure Civitatis noſtre premiſſe fuerat faciendum, ſalvo tamen cenſu trium ſexagenarum groſſorum annuo, qui predictis, ſcilicet Abbati, Priori, ac Conventui de ipſis domo, Curia, braſiatoriis, & eorum areis, abs omni berna, ſeu exaccione vel collecta Civitatis, ſed libere & perpetue ſolvi debet per medium in feſto ſancti *Jacobi*, & per medium in feſto *Purificacionis* Beate *Marie* Virginis affuturo proximo, quandocunque autem in aliquo predictorum feſtorum feſto, cenſus, ut premittitur debitus, & infra unam ſeptimanam ipſis Abbati, Priori, & Conventui non fuerit perſolutus, ex tunc ipſi poterunt cum nunccio eorum, & ſcabinorum, qui pro tempore fuerint, pro cenſu non perſoluto, & inſuper pro ſex groſſis, qui eo ipſo pene nomine accreverint, ſingulis ſeptimanis in premiſſis, domo Curia, braſiatoriis, & eorum areis pignorare, contradiccione qualibet non juvante. In cujus rei teſtimonium preſentes dedimus literas

ſi-

ſigillo (c) Civitatis noſtre premiſſe ad predictarum parcium communitas. Datum tercia feria poſt Dominicam, qua canitur, *Oculi*, anno Domini milleſimo trecenteſio ſexageſimo ſeptimo.

CVII.

Ulricus Abbas Joannes Prior totusque Conventus monaſterii Brewnovienſis elocant in emphytevſin villam Trnova noviter a ſe plantatam Wenceslao Alberti civi Pragenſi. dd. 7. Februarii anno 1367. Ex Archivo eccleſiæ Metrop. Prag.

Nos *Ulricus* Divina miſeratione Abbas, *Johannes* Prior, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam*, Ordinis ſancti Benedicti notas facimus univerſis tam præſentibus quam futuris præſentes literas inſpecturis, quod nos conſiderantes noſtram, & Monaſterii noſtri jam dicti conditionem & utilitatem facere meliorem, matura & diligenti capitulariter inter nos prius deliberatione præhabita, villam noſtram & Monaſterii noſtri prædicti dictam *Trnova* de novo plantatam & incolis ejusdem villæ ſub annuo cenſu jure Emphytevtico locatam cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, agris, cultis & incultis, rubetis, pratis, montibus, paſcuis, venationibus, & cum incolis ejusdem villæ cenſualibus ſalvo tamen jure Emphytevtico eorundem incolarum, jure Patronatus tamen ibidem excepto, & pro nobis reſervato, provido viro *Wenceslao Alberti Civi Pragenſi* ejuſque hæredibus & ſucceſſoribus legitimis, in jus Emphytevticum ſeu jure Emphitevtico, quod vulgariter Purgfrecht dicitur, locavimus, donavimus, & tradidimus, ac præſentibus locamus, donamus, & tradimus pro triginta tribus ſexagenis groſſorum Pragenſium denariorum nobis & Monaſterio plene & integraliter perſolutis pecunia in parata, tenendam, habendam, utifruendam, & perpetuis temporibus poſſidendam ſub pactis tamen & conditionibus infra ſcriptis videlicet: quod prædictus *Wenceslaus*, hæredes & ſucceſſores ipſius de prædicta villa nobis & Monaſterio noſtro prædicto ſingulis annis, & in perpetuum dabunt, & ſolvent, ac dare & ſolvere tenebuntur nomine veri cenſus annui in dicto Monaſterio noſtro decem ſexagenas groſſorum ſupradictorum in omnem eventum in terminis infra ſcriptis, videlicet in die ſancti *Georgii* quinque ſexagenas & in die ſancti *Galli* ſimiliter quinque ſexagenas groſſorum antedictorum occaſione qualibet procul mota. Si autem quatuordecim diebus continuis poſt quem-

(c) Sigillum integrum hodie appenſum eſt.

quemlibet terminum prædictorum elapſis dictus cenſus nobis & Monaſterio noſtro non fuerit aſſignatus, ex tunc ipſe *Wenceslaus*, hæredes & ſucceſſores ipſius pænam quindecim groſſorum nobis ſolvendorum incurrent ipſo facto. Si autem in aliis quatuordecim diebus in ſolutione cenſus prædicti neglientes exiſtent, ex tunc ſimiliter in pænam quindecim groſſorum incident, prout prius; & ſi tertia vice infra quatuordecim dies dictum cenſum nobis dare negligent, ex tunc omne jus in dicta villa ipſis *Wenceslao* hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis competens ad nos & ad Monaſterium noſtrum devolvetur, excuſatione qualibet ceſſante. Verum ſi Berna generalis in toto diſtrictu *Bohemiæ* per Dominum Imperatorem, aut per Regem Bohemiæ pro tempore nobis & Monaſterio noſtro quotieſcunque impoſita fuerit, & nos cum prædicto Domino Imperatore vel Domino Rege *Bohemiæ*, pro hujusmodi Berna concordare poterimus, ex tunc ſæpe dictus *Wenceslaus*, hæredes & ſucceſſores ipſius hujusmodi Bernam de dicta villa nobis & Monaſterio noſtro prædicto dare tenebuntur ſecundum conſvetudinem aliarum villarum noſtrarum. Item eſt ſufficienter expreſſum, quod prædictus *Wenceslaus*, hæredes & ſucceſſores ipſius aurifodinam in bonis dictæ villæ inſtaurare, ſeu facere non poſſunt, ſine requiſitione noſtra & conſenſu ſpeciali. Si autem de conſenſu noſtro aurifodinam in bonis dictæ villæ fecerint, ex tunc media pars de proventibus omnibus hujusmodi aurifodinarum nobis & Monaſterio noſtro debebitur, noſtris tamen pro media parte ſumptibus & expenſis pro laboratoribus expeditis. Si autem mediam partem proventuum aurifodinarum prædictarum habere nollemus, tunc decima videlicet de quolibet laboratore ſeptimanatim duo denarii parvi nobis & Monaſterio noſtro ſolvi debebunt. Si vero prædicta villa per incendium ignis in totum deſolaretur, aut per hoſtium incurſus in generali Gverra devaſtaretur, ex tunc prædicto *Wenceslao*, hæredibus & ſuis ſucceſſoribus gratiam in prædicto cenſu faciemus, prout nobis videbitur expedire. Præterea eſt adjectum, quod *Wenceslaus* prædictus, hæredes & ſucceſſores ipſius jus in dicta villa ipſis competens vendere ſeu aliis] ſublocare quomodolibet non poſſunt, niſi noſtro conſenſu adhibito ſpeciali. Et ſi hujusmodi jus ipſorum vendere voluerint nobis ante omnia venditionem hujusmodi juris offerre & exhibere tenebuntur: & ſi nos hujusmodi ipſorum jus emere nollemus, ex tunc alteri bono viro nobis competenti vendere poſſunt, noſtro ut præmittitur de conſenſu. Eſt etiam ſufficientur expreſſum, quod ſæpe

dic-

dictus *Wenceslaus*, hæredes & ſucceſſores ipſius in agris dictæ villæ truncos fodere non teneantur, in quibus ſeminari non poteſt, & qui fructum dare non poſſunt. In cujus rei teſtimonium & evidentiam pleniorem, ſigilla noſtra videlicet Abbatis & Conventus præſentibus literis duximus appendenda. Datum & actum in prædicto Monaſterio noſtro Brewnovienſi anno Domini MCCCLXVII. die XXVII. menſis Februarii.

CVIII.

Jenczo Officialis Pragenſis arbiter requiſitus componit litem inter Abbatem Brevnov, & Nicolaum Comarovecz. dd. in Eccleſia Pragenſi anno 1368. *die* 1. *Auguſti.* Ex Archivo eccleſiæ Metrop. Prag.

In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXVIII. indictione VI. die prima menſis *Auguſti* hora quaſi ſexta: Pontificatus Sanctiſſimi in *Chriſto* Patris, & Domini noſtri Domini *Vrbani* divina providentia Papæ quinti anno ſexto: in Eccleſia *Pragenſi* ante Majus altare ſancti *Viti* in novo Choro foris Cancellum in mei Notarii publici infra ſcripti & teſtium præſentia ſubſcriptorum conſtitutus perſonaliter honorabilis vir Dominus *Jenczo* Præpoſitus Eccleſiæ ſanctæ *Crucis Wratislavienſis*, Curiæ Archiepiſcopalis *Pragenſis*, & Apoſtolicæ ſedis Legati Officialis arbiter, arbitrator, & amicabilis compoſitor inter honorabiles, & religioſos, ac diſcretos viros Dominos Abbatem, & Conventum Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis S. *Benedicti*, & ſpecialiter Fratrem *Martinum* Profeſſum ejusdem Monaſterii ex una: & *Nicolaum* dictum *Comarowecz* vicarium Decani dictæ *Pragenſis* Eccleſiæ parte ex altera ſuper omnibus, & ſingulis litibus, & controverſiis in judicio & extra inter ipſas partes occaſione cujusdam cenſus annui perpetui in & ſuper domo *Nicolai* dicti *Sarka* dudum mortui in minore civitate *Pragenſi* ſita & locata vertentibus, communiter electus & aſſumptus ipſis partibus videlicet: *Jo. Priore*, & *Ulrico* ſindico, ſeu Procuratore dicti Monaſterii generali profeſſis ejusdem Monaſterii ex una, & Domino *Nicolao* dicto *Comarowecz* parte ex alia coram ipſo perſonaliter compromittentibus, & laudum ſeu pronunciationem cum inſtantia fieri poſtulantibus, primum easdem partes interrogavit, ſi compromiſſum per ipſas prius in eum factum ratum & gratum haberent, quæ reſponderunt & dixerunt ſe ratum habere, & gratum: ibidem etiam in ipſum Dominum *Jenczonem* Officialem tanquam in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem Compoſitorem, ſuper hujusmodi litibus, & controverſiis, ut prius, de alto & baſſo ſub pœna per ipſum arbitrum eis imponenda

compromiſerunt, & ipſe Dominus *Jenczo* ad preces earum inſtantivas quandam pronunciationem in papiro ſcriptam vigore hujusmodi compromiſſi, legit, pronunciavit, & publicavit. Cujus tenor de verbo ad verbum ſequitur in hæc verba: In Dei nomine Amen. Nos *Jenczo* Præpoſitus ſanctæ *Crucis Wratisl.* Curiæ Archi-Epiſcopalis *Pragenſis*, & Apoſtolicæ ſedis Legati Officialis, arbiter, arbitrator, & amicabilis Compoſitor, inter honorabiles viros Dominos Abbatem, totumque Conventum, & ſpecialiter Fratem *Martinum* quondam *Nicolai* dicti *Scharka* profeſſum Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. Benedicti ex una, ac Dominum *Nicolaum* dictum *Comarowecz* vicarium Decani in Eccleſia *Pragenſi* parte ex altera univerſis litibus, & controverſiis in judicio, & extra inter prædictas partes vertentibus communiter electus & aſſumptus primo mandamus, arbitramur, & laudamus, ut cenſus & redditus annui, & perpetui, in, & ſuper domo prædicti *Nicolai* dicti *Sarka* in minori Civitate *Pragenſi* duarum marcarum gravium, prout in litera ejusdem Civitatis plenius continetur, amodo ſpectent jure veri dominii, & proprietatis ad prædictum Monaſterium *Brewnovienſe* præfati Domini *Nicolai* impedimento omnino ceſſante: Item arbitramur, & laudamus, quod præfatus Frater *Martinus* dictus duas marcas percipere debeat, & habere ad tempora vitæ ſuæ, & hoc de licentia Abbatis ſui, quam ipſe Abbas concedere debet gratioſe, qui Frater *Martinus*, quamdiu vivet, octo groſſos in anniverſariis prædicti *Nicolai*, & *Dyewyczе* parentum ſuorum, expendere teneatur reſiduum prout permittitur, pro ſe retinendo. Item arbitramur, pronuntiamus, & laudamus, quod quando prædictus Frater *Martinus*, rebus humanis exemptus fuerit, tunc præfatus Abbas, una cum Conventu ſuo de prædictis duabus marcis quatuor faciet anniverſaria in perpetuum duratura, in quolibet triginta duos groſſos pro Pitancia Conventus prædicti expendendo: Primo in anniverſario *Nicolai* dicti *Scharczæ* triginta duos groſſos. Item in anniverſario *Dyewyczе* triginta duos groſſos. Item in anniverſario *Claræ* triginta duos groſſos. Item in anniverſario præfati Fratris *Martini* triginta duos groſſos. Item mandamus, arbitramur, pronunciamus, & laudamus: ut præfatus Dominus *Nicolaus*, ſi quos cenſus prædictarum duarum marcarum retinuit, aut partem ipſarum, præfato Fratri *Martino* reddat infra menſem a data præſentium incluſive: impenſas vero in lite hinc inde factas tollimus, prædictas partes ab his abſolventes. Item arbitramur, laudamus, pronunciamus, & mandamus, ut

præfati Abbas, & Conventus ſuas patentes literas dent, & aſſignent præfato Domino *Nicolao*, recognitionis videlicet, & obligationis ad obſervandum omnia prædicta a die præſenti infra menſem. Item arbitramur, laudamus, pronunciamus, & mandamus, ut præfatæ partes omnia, & ſingula præmiſſa obſervare teneantur, & obſervent cum effectu ſub pœna triginta Marcarum ſolvendarum, medietatem parti ſervanti per partem non ſervantem arbitrium noſtrum, aliam medietatem ad Cameram Domini Archi-Epiſcopi *Pragenſis*, & hanc pœnam totiens volumus incurrere, quotiens fuerit per ipſas partes contraventum. Latum, & pronunciatum eſt hoc præſens arbitrium Anno, indictione, die, menſe, hora, loco, & Pontifice quibus ſupra præſentibus honorabilibus, & diſcretis viris Dominis, *Paulo* Abbate *Slaworum* Monaſterii Sanctorum *Coſmæ*, & *Damiani* in Nova civitate Pragenſi, Cunſſone plebano Eccleſiæ S. *Joannis* in *Obora* ſub caſtro *Pragenſi*, *Johanne* dicto *Koſſilka* notario publico jurato Capituli *Pragenſis*. *Chriſtano Icunchonis*. *Andrea* dicto *Kotlik*. *Buſconis* duorum Canonicorum Vicariis in dicta *Pragenſi* Eccleſia, & aliis multis teſtibus fide dignis ad præmiſſa. Nosque *Jenczo* arbiter, arbitrator, & amicabilis Compoſitor prædictus ab ipſis communis electus, & aſſumptus præſenti publico inſtrumento per *Symonem* Notarium publicum infra ſcriptum confecto ad majorem cautelam, & robur firmius ſigillum Officiatus Curiæ Archi-Epiſcopalis *Pragenſis* prædictæ, quo ad præſens utimur, duximus appendendum.

Et ego *Symon* natus *Jacobi* de *Slawyetícz* publicus authoritate Imperiali notarius prædictis interrogationi, reſponſioni, compromiſſo, pronunciationi, diffinitioni, & ordinationi in præfata pronunciatione expreſſis, nec non omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis, dum ſic fierent, & agerentur, una cum prænominatis præſens interfui teſtibus, eaque omnia, & ſingula ſupradicta ſic fieri vidi, & audivi, & manu propria conſcripſi, nil addens vel minuens, quod ſenſum mutet aut variet intellectum, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis conſignavi per dictas partes requiſitus in teſtimonium præmiſſorum.

CIX.

Potho de Czaſtalovicz requiſitus ab Henrico Notario fatetur eidem in omnibus gratioſe ab Ulrico Abbate Brewnov. ſatisfactum. dd. Glatzii anno 1386, *die B. Andreæ Apoſt.* Ex Archivo eccleſiæ Metrop. Prag.

Nos

Nos *Potho* Senior de *Czaſtolowicz* recognoſcimus tenore præſentium univerſis, quod *Henricus* Notarius noſter in noſtra provincia conſtitutus non per errorem nec compulſus, aut coactus, ſed ſpontanee, ſana mente, maturo præhabito conſilio & deliberatione confeſſus eſt, ſe de omnibus debitis, litibus, controverſiis, fatigiis, & occupationibus, quæ inter reverendum Dominum Dominum *Ulricum* Abbatem *Brunowienſem*, reverendum *Petrum* Præpoſitum *Brunnowienſem* ex una, & ipſum *Henricum* parte vertebantur ex altera, ſubdidiſſe, ac per omnia commiſiſſe Dominorum gratiæ prædictorum: qui ipſum ad ipſorum recipientes gratiam, conſulti, & bene deliberati, ſibi pro omnibus, & univerſis prænominatis debitis, dampnis pro & inde contractis, litibus, controverſiis, fatigiis, ſeu quibuscunque aliis occupationibus favorabiliter ſatisfecerunt, ſic, quod præfatus *Henricus* de hujusmodi gratioſa, & favorabili, ac ſufficienti ſatistactione bene ſtetit, & ſtat contentus, ac ipſis prædictis Dominis immenſas retulit, & refert gratiarum actiones: & promittit bona ſua fide Chriſtiana ſincere, præfatos Dominos, & bona ipſorum nullo unquam tempore, quocunque jure, irruitione, judicio, vel facto impetere, inquietare, nec aliquo modo impedire. Si vero ipſum contra præmiſſa aliquid, quod abſit, attemptare, præſumere continget, præſentibus ſe fidefragum profitetur, & profitebitur ipſo facto. In cujus rei teſtimonium rogati per præfatum *Henricum* præſentibus noſtrum ſigillum duximus appendendum. Nos vero *Knoblauthsdorff*, *Tuzo de Panwicz*. *Otto* dictus *Katoldi*, de *Zdamz* & *Jeſcon*, dictus *Horczizic* prædictis, dum ſic agerentur, interfuimus, & per dictum etiam rogati *Henricum* ad majorem hujus rei evidentiam, & claritatem præſentes noſtrorum munimine ſigillorum duximus communiri. Datum *Glatz* die Beati Andreæ Apoſtoli anno Domini. MCCCLXVIII.

CX.

Gotthardus de Zlyw cum filio ſuo promittit ſe disbrigaturum Quatuor ſexagenas denariorum Pragenſium, quas debet Ulrico Abbati & monaſterio Brewnov. dd. in Zlyw anno 1372 in Translatione S. Wenceslai. Ex Archivo Brzewnov.

Nos *Gotthardus* de *Zlyw*, *Henricus* ejus primogenitus ibidem, & *Mutina* de *Loputz* promittimus manu conjuncta, & in ſolidum Religioſis viris Domino *Ulrico*, Abbati, *Johanni* Priori, totique Conventui Monaſterii *Brewnovienſis*, & *Peſſoni* de *Dubrawan* quatuor ſexagenas

redituum denariorum groſſorum *Pragenſium* in feſto S. *Georgii* duas, & in feſto S. *Galli* totidem: quas *Buczko* de *Zlyw* ibidem in *Zlyw* denavit Monaſterio ſupradicto, promittimus a quolibet homine jure terreſtri disbrigare. Quas quatuor ſexagenas ſupra dictas, ſi disbrigare non poſſemus, ex tunc in noſtris hæreditatibus liberalibus ipſas quatuor ſexagenas ſupra dictas una parte amplius condeſcendere, & aſſignare promittimus, & ſpondemus. In cujus rei teſtimonium, & robur præſentes fieri, & ſigillorum noſtrorum munimine juſſimus roborari. Datum in *Zlyw*, feria quinta, die *Translationis S. Wenceslai.* anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

CXI.

Ulricus Abbas Brewnovienſis & conventus vendunt Paulo clienti ſuo duas hæreditates ſub jure emphyteutico. dd. Brewnov anno 1373. die S. Leonardi. Ex Archivo Brzewnov.

Nos *Ulricus* Divina miſeratione Abbas, *Joannes* Prior, *Wenceslaus* Subprior, *Nicolaus* Præpoſitus, *Paulus* Sacriſtanus, totusque Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* Ord. S. *Benedicti.* Notum facimus Univerſis præſentes literas inſpecturis. Quod conſiderantes ex contractu locationis infra ſcripto conditionem nobis & noſtro Monaſterio prædicto evenire meliorem diligenti & matura inter nos prius deliberatione capitulariter præhabita: Diſcreto Viro *Paulo* Clienti de villa noſtra dicta *Swerkinie* & ſuis hæredibus legitimis duas hæreditates in agricultura in villa noſtra prædicta in jus Emphiteuticum ſive jure Emphiteutico quod vulgariter *Burgrecht* dicitur, ſub annui Cenſus penſione vendidimus, locavimus & expoſuimus & præſentibus locamus & exponimus ſub pactis & conditionibus infra ſcriptis videlicet: quod præfatus *Paulus* hæredes & ſucceſſores ſui de dictis agriculturis nomine veri cenſus ſingulis annis duas ſexagenas groſſorum cum quadraginta groſſis diviſim in terminis infra ſcriptis videl. In die *Georgii* octuaginta groſſos & in die S. *Galli* ſimiliter octuaginta groſſos in perpetuum dare & perſolvere nobis & noſtro Monaſterio tenebuntur, & debebunt in omnem eventum. Eſt etiam expreſſum ſufficienter quod ſi Berna generalis per Dominum Imperatorem, qui nunc eſt, ſeu Regem toti terræ *Bohemicæ* imponeretur & nos cum Domino Imperatore ſeu Rege *Bohemiæ* aut eorum Bernariis de omnibus bonis noſtris ſcil. Monaſterii noſtri prædicti pro certa ſumma pecuniæ Pactum ſeu Ordinationem faceremus, ex tunc prædictus *Paulus* hæredes & ſucceſſores ſui de prædictis agriculturis hujusmodi bernam generalem nobis

bis & noſtro Monaſterio videl. triginta tres groſſos dare & perſolvere tenebuntur & debebunt. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra videl. Abbatis & Conventus præſentibus literis duximus appendenda. Datum in Monaſterio noſtro antedicto anno Domini 1373. in die S. *Leonhardi* Confeſſoris glorioſi.

CXII.

Ulricus Abbas Brewnovienſis emit a Nicolao Plebano in Zwolynawes cenſum annuum ſex ſexagenarum groſſorum in bonis monaſterii Brewnovienſis. dd. anno 1378. Habetur in eodem Archivo Metropolitano. T. IV. Erectionum. (*d*)

CXIII.

Pileus Cardinalis confirmat appropriationem, & incorporationem Parochialis Eccleſiæ in Chrudim cum omnibus pertinentiis factam Monaſterio Brzewnovienſi ab Epiſcopo Alberto & Capitulo Eccleſiæ Lithomiſslienſis. dd. Pragæ III. Idus Octobris anno 1379. Ex autographo Archivi Brewnovienſis.

Pileus Miſeracione Divina titulo ſancte *Praxedis* Presbiter *Cardinalis*, ad infra ſcripta Apoſtolica auctoritate ſuffulti, dilectis nobis in Criſto Abbati, & Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti* ſalutem in Domino. Exhibita ſiquidem nobis pridem pro parte veſtra peticio continebat, quod dudum Parochialis Eccleſia in *Chrudim Luthomislenſis* Dioceſis, cujus Eccleſie veri Patroni fuiſtis, & eſtis, ex veris & neceſſariis cauſis ad ejusdem Monaſterii onera & hoſpitalitatis ſupportandum fuit, prout eſt ordinaria auctoritate eidem Monaſterio per bone memorie Dominum *Albertum* (*e*) Epiſcopum *Luthomislenſem* ac Canonicos & Capitulum ejusdem Eccleſie *Luthomislenſis* incorporata, unita, & annexa, prout in literis deſuper confectis plenius in hec verba continetur: In nomine ſancte, & Individue Trinitatis, Amen. *Albertus* Dei gracia *Luthomislenſis* Epiſcopus ad perpetuam rei memoriam ad quos preſentes pervenerint, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Cum enim merito loca ſingula Divino cultui mancipata, ex cura Paſtoralis Officii nobis incumbente benignis favoribus

(*d*) Utinam & utinam preces meæ tandem benevolas aures inveniant, ut hi Erectionum Libri (e quibus hiſtoria patria, & cumprimis eccleſiarum, monaſteriorum illuſtriumque familiarum plurimum lucis acquiſitura eſt) typis excudantur. (*e*) Is fuit Albertus a Sternberg; dataque hæc eſt charta poſt reditum ſuum ex Archiepiſcopatu Magdeburgico, quem deſeruerat, quemque Petro Gelito Epiſcopo Litomiſslienſi ceſſerat.

bus prosequi teneamur, illis tamen precipue amplior debetur pietatis promotio, quos major, & purior cultus Religionis efficit, & commendat. Sane Honorabilis Vir Dominus *Ulricus* Abbas, & Religiosi Viri *Wilhelmus* Prior, *Johannes* supprior, *Paulus* sacristanus, & totus Conventus Monasterii *Berwnovienſis*, Ordinis sancti *Benedicti* prope *Pragam* ejusdem *Pragenſis* Diocesis coram nobis proposuerunt, quod licet Gloriosissimus *Pragenſis* Ecclesie Antistes sanctus Adalbertus ex gracia Divinitus sibi illapsa ipsum Monasterium in honore sancti *Benedicti* fundaverit, & dotaverit, ac demum per Illustrem Dive memorie *Breczislaum* Ducem *Boemie*, & Marchionem *Moravie* in honore ipsius sancti *Adalberti* demum Monasterium reparatum extiterit, & dotatum, ac in suis libertatibus ad Divini cultus augmentum pro perpetua fratrum ibidem inhabitatione omnino confirmatum, tamen ex hospitum multitudine plurima superveniente, & vicinitate civitatis *Pragenſis*, propter quam magis confluunt illuc advene, in tantum facultates prefati Monasterii sunt diminute, quod fratres ejusdem Ordinis in simplicitate cordis Deo famulantes non possint commode de eisdem facultatibus sustentari, ymo quod Divinus cultus tam in horis Canonicis, quam eciam aliis officiis ad laudem omnipotentis Dei institutis, posset propter tante molem egestatis diminui, nobis humiliter, & cum devotarum precum instantia supplicarunt, quatenus ad succurrendum eorum inopie, & defectui pro Divini cultus conservatione Ecclesiam Parochialem sancte & Glorioſe Virginis *Marie* in *Chrudim* nostre Diocesis cum omnibus pertinentiis suis, in qua ipse Abbas & Conventus prefati ex prima fundatione, & antiqua institutione jus Patronatus dinoscuntur obtinere, prenominato Monasterio incorporare, unire, & annectere dignaremur. Nos igitur, qui ex Pastoralis debito nobis injuncti Officii, dampnis & periculis Ecclesiarum tenemur, quantum possumus occurrere, ne possit in eis Divinus cultus deficere, & observati ordinis disciplina impediri, diligenti ante omnia inquisitione prehabita, & legitima probatione accepta, certo certius fumus informati, premissa coram nobis proposita esse rationabilia, vera, & justa, & ob hoc supplicationi ipsorum ex causis jam premissis nostrum animum ad hoc moventibus recepimus, arbitrantes ea non solum rationabilia esse, sed & necessaria, habitis super hiis cum Honorabilibus Viris, fratribus nostris, & Capitulo Ecclesie nostre *Luthomislenſis* diligentibus, & sepius iteratis tractatibus, certisque solemnitatibus observatis, premissis, de predictorum nostrorum fratrum expresso consensu ad laudem & glo-

ri-

riam Dei omnipotentis, & ob reverenciam ejus intemerate Matris Virginis *Marie*, ipſam Eccleſiam Parochialem in *Chrudim* noſtre Dioceſis cum omnibus ſuis juribus, fructibus, libertatibus, & univerſis pertinenciis, tam preſentibus, quam futuris pro Divini cultus augmento prenominato Monaſterio *Brewnovienſi* fratrum Religioſorum Ordinis ſancti *Benedicti Pragenſis* Dioceſis, meliori modo & forma, quibus poſſumus, annectimus, appropriamus, & unimus, dictamque Eccleſiam cum univerſis & ſingulis ſuis pertinenciis, in quibuscunque rebus conſiſtant, aut quibuscunque deſignentur vocabulis plene ex toto in monaſterium ipſum ſupradictum transferimus, & eſſe voluimus preſenti annotatione translatam, juribus omnibus & ſingulis noſtris, Legatorum, & nunciorum Domini Pape, ac ſedis Apoſtolice, & aliorum, quorum intereſt, vel intererit, noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum temporibus, in omnibus, & per omnia ſemper ſalvis, quibus omnibus & ſingulis per hujusmodi incorporationem, appropriacionem & unionem, in nullo penitus volumus derogare, ita tamen, quod cedente, vel decedente *Wenceslao* Plebano & Rectore ipſius Eccleſie, qui nunc eſt, Abbas, Prior, ſupprior, qui pro tempore fuerint, & totus Conventus ſupra dicti Monaſterii *Brewnovienſis*, auctoritate per nos ipſis plenarie conceſſa, valeant, & poſſint, quamprimum dictam Eccleſiam in *Chrudim* vacare contigerit, unam Religioſam, & ydoneam perſonam Ordinis ejusdem in ipſam Eccleſiam inſtituendam, & confirmandam, nobis, & noſtris ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint, aut noſtris Officialibus preſentare ad recipiendum more conſveto, ut juris eſt, animarum curam, & adminiſtrationem ſpiritualium & temporalium, quociens & quando fuerit optimum, ipſisque Abbati, Priori, & ſuppriori, qui pro tempore fuerint, ac toti Conventui Monaſterii ſupra dicti liceat omnino virtute preſentium, & auctoritate ipſis per nos jam tradita ſepe fate Eccleſie in *Chrudim* cum ſuis pertinenciis, preſentibus & futuris apprehendere poſſeſſionem corporalem, retinere pacifice & quiete. Acta ſunt hec preſentibus Honorabilibus, Viris, & Dominis *Nicolao* de *Gyczin* noſtre Curie *Luthomiſslenſis* Officiali, *Johanne* Rectore domus *Carthuſienſis Rubi* Beate *Marie*, (*f*) Prepoſito *Luthomiſslenſi*, *Hartlebo* de *Turri* Canonico *Olomu-*

(*f*) Hanc Carthuſiam annis abhinc tribus ſcil. anno 1376. idem Albertus Epiſcopus Litomiſslienſis prope pagum Trzek ſub titulo *Rubus Beatæ Virginis* fundaverat. Ut itaque Johannes iſthic nominatus primus rector iſtius Carthuſiæ fuerit. De hac Carthuſia egregia quæquæ diplomata nobis ſuppetunt.

Olomucenſi, *Brunone* noſtrorum bonorum Epiſcopalium Proviſore, & *Johanne* de *Nova Domo* noſtro Prothonotario, & aliis pluribus fide dignis. Actum & datum Luthomisl XII. die menſis Maji, anno Domini milleſimo trecenteſimo, ſeptuageſimo nono, ſub noſtrorum ſigillorum appenſione in teſtimonium omnium premiſſorum. Nos igitur *Gregorius* Cuſtos, *Henricus* Cantor, & *Andreas* ſcolaſticus, totumque Capitulum Eccleſie *Luthomisleuſis*, notum facimus tenore preſencium univerſis, quod attendentes ipſorum, videlicet Abbatis, Prioris, & ſupprioris & totius Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* prope *Pragam* preces fore & eſſe racionabiles, & utiles, pro Divinique cultus augmento in hac parte ſumme neceſſarias, & precipue conſiderantes Reverendiſſimum in Criſto Patrem, ac Dominum Dominum *Albertum* Epiſcopum *Luthomisleuſem* Dominum noſtrum Gracioſum pia & juſta racione eandem incorporacionem, appropriacionem & unionem feciſſe, nobis ob hec ad commune Capitulum noſtrum ſignata hora per campane ſonum, ut moris eſt, pluries congregatis, ſupradictis incorporacioni, appropriacioni, & unioni Parochialis Eccleſie in *Chrudim* fructuum & pertinenciarum omnium, & quorumlibet ab eis dependencium & annexorum, ipſorumque omnibus ſentenciis, punctis, clauſulis & articulis, prout ſuperius in litera & tenore ejusdem Domini Epiſcopi expreſſa ſunt, de verbo ad verbum, de ſenſu ad ſenſum meliori modo & forma, quibus poſſumus, unaniniter, & capitulariter, nemine penitus diſcrepante conſenſimus, & vigore preſencium conſentimus. In cujus rei teſtimonium Capitulare noſtrum ſigillum preſentibus de noſtro ſcitu & conſenſu eſt appenſum. Datum die, quo ſupra, anno Domini noſtri milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictas incorporationem, unionem, & annexionem auctoritate Apoſtolica, qua fungimur, confirmare dignaremur; Nos igitur veſtris dictis juſtis ſupplicationibus grato concurrentes aſſenſu, predictas incorporationem, unionem & annexionem ratas habentes, atque gratas, prout per dictum Dominum Epiſcopum, Canonicos, & Capitulum rite facte ſunt, eas auctoritate Apoſtolica, qua in hac parte fungimur, tenore preſencium in Domino confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtre confirmacionis, & communionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumſperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beato-

torum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Prage* III. Idus Octobris, (*g*) Pontificatus ſanctiſſimi in Criſto Patris, & Domini noſtri Domini Urbani Divina providencia Pape ſexti, anno tercio.

Gerlacus.

CXIV.

Czuko (*b*) *de Lyppan teſtamento legat Abbati & Conventui Brewnovienſi omnia & ſingula bona mobilia in curia ſua Hrdle dicta ſub onere certorum Anniverſariorum peragendorum. dd. in Minore civitate Pragenſi anno* 1380. *die* 13. *Octobris.* Ex Archiwo Brewnov.

In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo trecenteſimo, octuageſimo, indictione tertia, die decima tertia menſis *Octobris*, hora quaſi tertiarum Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini *Urbani* divina providentia Papæ ſexti anno tertio in minori Civitate *Pragenſi* in æſtuario, ſive ſtuba æſtivali domus habitationis honeſtæ Dominæ *Annæ* relictæ quondam *Gregorii* Notarii actorum curiæ Archi-Epiſcopalis *Pragenſis* in mei Notarii publici infra ſcripti, & teſtium præſentia ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum conſtitutus perſonaliter, circumſpectus, & Diſcretus vir *Czuko* de *Lyppan* Burgravius Caſtri in *Lychtenburg Pragenſis* Diæceſis licet aliquantulum languens corpore, ſalvus tamen mente, & compos rationis conſiderans fragilitatem ſexus, conditionis ſuæ, zelumque animæ ſuæ habendo præ oculis, & eam lucrari Domino, & reddere ſolicite cupiendo, volensque terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare ad honorem omnipotentis Dei, ipſiusque Matris *Mariæ* Virginis glorioſæ, & omnium Sanctorum hoc in remedium, & ſalutem animæ ſuæ & prædeceſſorum ſuorum de bonis ſibi a Deo collatis inter cætera ultimæ voluntatis ſuæ præſens condidit teſtamentum, ſeu ſuam ultimam voluntatem, cupiens de ſalute animæ ſuæ providere, omnia & ſingula bona mobilia in Curia in *Hrdle* dictæ *Pragenſis* Diæceſis per eum relicta, videlicet in annonis, pecoribus, pecudibus, & aliis rebus quibuscunque in æſtimatione communi minima trecentarum ſexagenarum groſſorum denariorum *Pragenſium* valentia, & ad ipſam poſt mortem ſuam ſpectantia ſeu pertinentia, quam Curiam

(*g*) Sigillum Cardinalis Pilei, quod hodie membranæ appenſum eſt ſiſtimus Num. XI.
(*b*) Ita MS. ſed fortaſſis legendum *Czenko*, ſeu *Sdenko*.

una cum aliis bonis ad eandem ſpectantibus ipſe *Czuko* habuit, tenuit, & poſſedit nomine arrendæ, ſive locationis titulo ad tempora vitæ ipſius ab honorabilibus, & religioſis viris Dominis Abbate, & Conventu Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. *Benedicti*, una cum ſexaginta ſexagenis groſſorum prædictorum cenſus, quem dictus *Czuko* tollere, & recipere debuit in feſto S. *Galli* proxime futuro ab hominibus ſuæ incolis villæ *Hrdle*, & aliis bonis ad eandem villam *Hrdle* ſpectantibus, & pertinentibus dedit, legavit, ac pie deputavit Monaſterio *Brewnovienſi* prædicto: ita tamen quod bona prædicta omnia, & ſingula, in quibuscunque rebus exiſtant, per ipſum, ut præmittitur, dicto Monaſterio legata & data medietas eorundem bonorum pro abbate, qui eſt, qui pro tempore fuerit, & alia medietas pro Priore, & Conventu Monaſterii ejusdem ſimiliter, qui pro nunc eſt, vel qui pro tempore fuerit, dari & aſſignari debebunt, & per medium dandi debent per dictos Abbatem, & Conventum de eisdem bonis legatis ſic, & datis diſponendum, ordinandum, tanquam de re propria, & eadem bona in uſus ipſorum committendum, & diſponendum de eisdem poſt mortem *Czukonis* duntaxat, prout ipſis, & cuilibet ipſorum melius, & utilius videbitur expedire. Et quamprimum dicta bona ſic (ut præmittitur) ipſis legata, ad præfatum Monaſterium Abbatem, & Conventum prædictos pervenerint, & eadem in poteſtate eorum habuerint, quod mox & in continenti Abbas in villa *Tman* cedat, & aſſignet Priori & Conventui decem ſexagenas groſſorum *Pragenſium* denariorum annui cenſus, in certis hominibus prædictæ villæ, & hæreditatibus eorum pro medietate bonorum prædictorum ipſos Priorem & Conventum ex legatione, & donatione prædicta concernente, tamdiu, quousque Abbas, qui eſt, vel qui pro tempore fuerit, certum cenſum, & liberum in certis bonis ſine aliquo impedimento prædictis Priori, & Conventui non emet, ſive comparabit, & eundem cenſum ſic exemptum, liberum ſine aliquo onere, & impedimento Priori, & Conventui prædictis dabit, & aſſignabit cum effectu per ipſos Priorem, & Conventum libere poſſidendum, regendum, gubernandum, ac in uſus & neceſſitatem ipſorum convertendum, prout videbitur eis convenientius expedire. Item voluit, diſpoſuit, ordinavit, quod medietas hujusmodi cenſus annui, & perpetui pro Priore, & Conventu ſic, ut eſt expreſſum, emptus, & comparatus, in anniverſario ipſius *Czukonis*, & alia medietas ejusdem cenſus in feſto S. *Georgii* anniverſarium prædictum tunc proxime ſequenti Prio-

ri,

ri, & Conventui antedictis ſine aliqua contradictione perſolvatur. Item literam, ſive Privilegium Abbatis, & Conventus antedictorum, quam ipſe *Czuko* ab ipſis ſuper certa ſumma pecuniæ habuit obligatam, & in ſua detinet poteſtate, eisdem Abbati, & Conventui ſponte reſtituit, & reſtitui mandavit cum effectu, ſibi in dicta litera, ſive Privilegio ulterius nullum jus vendicandum. Item præfatus *Czuko* cum ipſum divina vocatione mori contigerit, in præfato Monaſterio *Brewnovienſi* ante altare omnium Sanctorum elegit ſepulturam. Item voluit, diſpoſuit, ordinavit, ut in altario eodem omnium Sanctorum ſingulis diebus in perpetuum una Miſſa, & ſpecialiter ſecundis feriis ſingulis Miſſa defunctorum per Fratrem ejusdem Monaſterii celebretur. Si vero aliquod feſtum ſummum in aliqua feria ſecunda occurrerit, in qua Miſſa defunctorum plene, & integre celebrari, ſive Officiari non poſſit, ex tunc die ſequenti, vel alio quocunque die infra ſeptimanam eadem integre una Miſſa pro defunctis in altario celebretur prædicto, & in aliis Miſſis, quæ ſingulis diebus in ſeptimana celebrabuntur, una collecta pro defunctis ſubjungatur. Item voluit, & in dicto ſuo teſtamento expreſſit, quod ſingulis annis in perpetuum, in anniverſario ipſius *Czukonis* in ſero Vigiliæ, & in craſtino una Miſſa mane, pro defunctis decantentur per Priores, & Conventum Monaſterii ſæpe dicti. Et ſi præfati Abbas, & Conventus omnia, & ſingula præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum, ut ſuperius ſunt expreſſa, adimplere in parte vel in toto neglexerint, vel remiſſi fuerint in præmiſſis, monitione duarum ſeptimanarum præcedente, ex tunc diſcreti viri Dominus *Johannes* dictus *Revilan* Notarius Monaſterii S. *Georgii* in caſtro *Pragenſi*, *Nicolaus de Lippan*, & *Gallus de Chraſtzan* armigeri dictæ *Pragenſis* Diœceſis conſanquinei ipſius *Czukonis*, & principales teſtamentarii, ſive hæredes eorum, & poſſeſſores præſentium literarum plenam, & liberam habeant poteſtatem cenſum recipiendi pro uno termino videlicet quinque ſexagenarum in dicta villa *Tman*, ac hominibus ipſius villæ, aut ubicunque alias eis dictus cenſus monſtratus, emptus, & comparatus fuerit, & convertere valeant in uſus quoſcunque eis placuerit. Simili modo in ſecundo termino, & tertio ſi deſides fuerint in præſcriptis conditionibus, eadem facere poſſunt, monitione præmiſſa duarum ſeptimanarum, ut antea dictum eſt. Quodſi quarta vice hoc ipſum quocunque modo adimplere noluerint, tunc prænominatis teſtamentariis liceat eadem bona, vel ſummam pro eisdem taxatam, nec non cenſum pro eisdem dicto Monaſterio, ac Ab-

bati, & Conventui emptum, & comparatum, ubi reperiri, & apprehendi poſſint, areſtare, recipere, & de eisdem ſe licite intromittere occaſione qualibet non obſtante: & eundem cenſum ad aliud Monaſterium ſive ad alia pia loca transferre, in uſus pios convertere ſub pactis, & conditionibus prænominatis, & prout ipſis Domino *Johanni*, *Nicolao* & *Gallo*, hæredibus, & ſucceſſoribus eorum, nec non poſſeſſoribus præſentium literarum, vel cuilibet ipſorum alteri, melius & utilius viſum fuerit expedire. Et quod præfatos Dominum *Johannem Nicolaum* & *Gallum* hæredes, & ſucceſſores eorum fecit, & conſtituit, ac fieri voluit, quo ad præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum teſtamentarios, & executores ſuæ hujusmodi ultimæ voluntatis dans, & concedens dictis ſuis Commiſſariis, ſive executoribus ſuæ ultimæ voluntatis in ſolidum plenam, liberam, & omnimodam poteſtatem præmiſſa omnia, & ſingula exequi plenarie, & explere. De quibus omnibus & ſingulis honorabilis, & religioſus vir Frater *Wylhelmus* Prior Monaſterii *Brewnovienſis* prædicti nomine ejusdem Monaſterii, & *Czuko* prædictus petierunt ipſe per me *Nicolaum* Notarium infra ſcriptum fieri, & confici unum, vel plura publicum inſtrumentum, vel publica inſtrumenta, quod quidem publicum inſtrumentum præſens teſtamentum, ac diſpoſitionem, & ordinationem in ſe continens mandaverunt, & decreverunt ſigillis videlicet *Czukonis*, *Nicolai de Lippan*, & Galli de *Chraſtzan* prædictorum appenſione ſigillandum. Acta ſunt hæc Anno, indictione, die, menſe, hora, Pontificatu, & loco quibus ſupra, præſentibus honeſtis, & diſcretis viris Dominis Petro *Plebano*, Eccleſiæ in *Swrkyn*, *Jacobo* Vicario Eccleſiæ S. *Laurentii* in *Vgyezd* ſub monte *Petrino*, *Symone* Clerico Eccleſiæ in *Swrkyn* prædictæ. *Efancza de Horzian*, *Alberto de Tman*, *Petro de Jurna*, *Johanne de Slvarow*, clientibus ſive armigeris dictæ *Pragenſis* Diæceſis, & aliis pluribus teſtibus fide dignis.

Et ego *Nicolaus* quondam *Vtyethonis de Miſtzow Pragenſis* Diæceſis Apoſtolica, & Imperiali auctoritate notarius prædictis teſtamento, diſpoſitioni, donationi, ordinationi, legationi, pœnarum expreſſioni, ac omnibus aliis, & ſingulis ſupra ſcriptis, dum ſic fierent, & agerentur, una cum prænominatis teſtibus, præſens interfui, eaque omnia, & ſingula aliis arduis negotiis præpeditus per alium ſcribi feci, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo, & nomine conſvetis conſignavi, rogatus, & requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum.

Nos

Nos quoque *Ulricus* Abbas, *Wilhelmus* Prior, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* prope *Pragam* omnia, & ſingula ſupra ſcripta in præſenti publico inſtrumento ſive Privilegio contenta prout per *Czukonem de Lippan* ſupra nominatum ſunt legata, ordinata, & diſpoſita noſtro, & Monaſterii noſtri prædicti nomine in ōmnibus ſuis clauſulis, conditionibus, & punctis tenere, adimplere, & exequi promittimus temporibus perpetuis cum effectu, ſubmittentes nos ſponte, & libere pœnis, ac omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis compellendos fore ad tenendum, exequendum, & obſervandum omnia præmiſſa per pœnas ſupra dictas. In quorum omnium, & ſingulorum, & robur perpetuæ firmitatis præſentem noſtram ſubſcriptionem per Nicolaum notarium publicum ſupra ſcriptum, ſcribi noſtro nomine mandavimus, & ſigillorum noſtrorum videlicet Abbatis, & Conventus prædictorum præſenti publico inſtrumento appenſione de certa noſtra ſcientiæ fecimus communiri. Datum & actum in Monaſterio noſtro prædicto anno, & die quibus ſupra.

CXV.

Pileus Cardinalis concedit Braunovienſi Eccleſiæ pro feſtis S. S. Wenceslai, Hieronymi, Cirilli, Methudii ducentos dies - in feſtivitatibus vero Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti, & in Pentbecoſte, S. S. Trinitatis, Corporis Chriſti, feſtis B. M. V., S. Apoſtolorum, & quatuor Patronorum Eccleſiæ centum dies Indulgentiarum. dd. Pragæ V. Idus Novembris, Pontificatus Urbani Papæ VI. anno tertio. (*i*) Ex authographo Archivi Brewnov.

Pileus Miſeracione Divina titulo ſancte *Praxedis* Presbiter Cardinalis, ad infra ſcripta Apoſtolica Auctoritate ſuffulti, univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. Splendor eterne glorie, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de Clementiſſima ipſius Majeſtate ſperancium, tunc precipue pio favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur, ac Chriſti fideles eo libencius ad devocionem confluunt, quo ibidem uberius dono celeſtis gracie conſpexerint ſe refectos. Cum igitur dilecti in Criſto Abbas, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* ad Eccleſiam Prepoſiture *Brunovienſis* ejusdem Ordinis dicte *Pragenſis* Dioceſis ſpecialem gerant devocionem & affeccionem, prout accepimus, nobisque humiliter ſupplicarunt, ut pro de-

(*i*) Anno 1380.

devocione ipſius augmentanda ſpiritualia munera largiri dignaremur; nos dictis ſupplicacionibus favorabiliter annuentes, de omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate predicta confiſi, omnibus vere penitentibus, & confeſſis, qui dictam Eccleſiam in *Brunow* in feſtivitatibus, videlicet *Nativitatis*, *Epiphanie*, *Reſurreccionis*, *Aſcenſioniſis* Domini noſtri *Jeſu Criſti*, *Penthecoſten*, *Trinitatis*, *Corporis Criſti*, ſingulisque feſtivitatibus Beate *Marie* Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum, ac quatuor Doctorum, & Patronorum dicte Eccleſie, nec non Dedicacionis ejusdem devote viſitaverint, centum dies, & in feſtivitatibus Patronorum, videlicet *Wenceslai*, *Jeronimi*, *Cirilli*, *Methudii* ducentos dies de injunctis eis penitenciis auctoritate prelibata miſericorditer in Domino relaxamus. Datum *Prage* V. Idus Novembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Urbani Divina Providencia Pape VI. anno tercio. (*k*)

Palamides.

CXVI.

Magiſtratus civitatis minoris Pragenſis profitetur ſe debere monaſterio Brewnovienſi unam ſexagenam groſſorum Pragenſium ex Capitali decem ſexagenarum ſibi mutuo dato. dd. Pragæ anno 1384. *feria quinta ante feſtum S. Catharinæ.* Ex Archivo Brewnov.

In nomine Domini Amen. Nos *Jenco Michaliconis* Judex, *Slawco* Magiſter civium, *Bohmico Lodbery*, *Wenceslaus* dictus *Huzwa*, *Girzico* dictus *Limsky*, *Beneſſius* dictus *Homele*, *Mauricius* dictus *Maly*; *Zdenco Humulatoris*, *Hanco Bubardi*, *Johannes* dictus *Lyſſek*, *Mathias* rotifex, *Jacobus* dictus *Konczata*, & *Joban* braſeator, cives jurati novæ Civitatis ſub caſtro *Pragenſi*, recognoſcimus tenore præſentium inſpectoribus univerſis, publice proteſtantes, quod nos in noſtra, ac noſtræ Civitatis ardua neceſſitate de ſcitu, ac bona voluntate totius communitatis dictæ noſtræ Civitatis in nobis, ac eadem noſtra civitate unam ſexagenam groſſorum *Pragenſium* denariorum cenſus annui perpetui, & liberi ab omnibus, & ſingulis collectis, contributionibus, exactionibus, bernis, vigiliis, & aliis quibuſcunque juribus, & oneribus noſtræ Civitatis penitus exempti pro decem ſexagenis groſſorum prædictorum (*l*) nobis, &

(*k*) Sigillum avulſum eſt. (*l*) Ex his conjicitur eo tempore ſaltem decem pro centum annui cenſus in uſu fuiſſe, nam ſexagena tum 20. hodiernos florenos circiter æquabat.

& eidem noſtræ Civitati plene perſolutis, rite, & rationabiliter juſto venditionis titulo vendidimus, & venditam tradidimus, & aſſignavimus religioſis viris - - Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. *Benedicti* pro pitancia ejusdem Conventus ad habendam, tenendam, percipiendam, vendendam, donandam, & jure hæreditario perpetuo poſſidendam ſecundum jus, & conſvetudinem noſtræ Civitatis pacifice, & quiete. Solvetur autem dictus cenſus hoc modo, videlicet triginta groſſi prædicti in feſto S. *Georgii* nunc proxime inſtanti, & totidem groſſi in feſto S. *Galli* deinde ſecuturo, & ſic deinceps quolibet anno in eisdem terminis temporibus perpetuis hujusmodi cenſum in omnem eventum ipſi ſolvendo, dilatione, & contradictione qualibet non obſtante. Et ſi unquam moneta præſens fuerit immutata, ex tunc valor dictorum groſſorum ſolvi, & adimpleri debebit per nos judicem, & juratos prædictos, aut qui pro tempore fuerint, debebitur pagamento, & ſolutione communi tunc temporis accepto, dativo pariter, & tranſitivo in ſingulis terminis memoratis. In quocunque autem jam dictorum terminorum termino, & infra ipſius octavam præſcriptus cenſus non ſolvetur Conventui prædicto, tunc mox ſuper hujusmodi cenſum non ſolutum quatuor groſſi nomine pænæ creſcere debent, & accreſcent, & conſimilis pæna creſcet, & accreſcere debet ſingulis ſeptimanis tam diu, quam diu præſcriptus cenſus una cum omnibus pænis ſuis præexpreſſis fuerit ſibi integraliter perſolutus. Et ſi tunc infra revolutionem unius anni dictus cenſus una cum omnibus pænis ſuis ante dictis ipſi Conventui non fuerit perſolutus, tunc eidem Conventui Monaſterii antedicti plenam præſentibus damus poteſtatem, nos & ſucceſſores noſtros, & bona noſtra, ac noſtræ Civitatis ubicunque locorum comperta fuerint, cum adjutorio cujuscumque arreſtandi, & impignorandi in tantum & toties in quantum & quoties ſibi neceſſarium fuerit, & optimum, & quousque eidem Conventui cenſus antedictus cum omnibus pænis præſcriptis per nos, aut ſucceſſores noſtros, ac per noſtram civitatem plene, & integraliter fuerit perſolutus. In cujus rei evidens teſtimonium, & robur valiturum, ſigillum majus civitatis noſtræ prædictæ, de noſtra certa ſcientia præſentibus eſt appenſum. Datum anno Domini MCCCLXXXIV. feria quinta ante feſtum S. *Catharinæ*.

CXVII.

Urbanus Papa VI. mandat Præpoſito Sderaſienſi, ut admoneri faciat in eccleſiis coram populo omnes occultos detentores rerum & bonorum Monaſterii Brzewnovienſis, ut plenam ſatisfactionem ſub generali excommunicationis ſententia impendant. dd. Januæ IX. Kalendas Martii, Pontificatus anno Octavo. (*m*) Ex Archivo Monaſt. Zderaſienſis.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Prepoſito Monaſterii *Sderazienſis* Pragenſis, per Prepoſitum ſoliti gubernari, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Significarunt nobis Dilecti filii Abbas & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* extra muros Pragenſes Ordinis ſancti *Benedicti*, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignoramus, decimas, primitias, terras, redditus, cenſus, legata, domos, prata, paſcua, nemora, molendina, bladi, & vini quantitates, inſtrumenta publica, literas autenticas, Sanctorum Reliquias, libros Eccleſiaſticos, Cruces, & calices argentos, ornamenta Eccleſiaſtica, vaſa aurea, & argentea, domorum utenſilia, equos, & boves, vaccas, oves, porcos pecuniarum ſummas, & nonnulla alia bona dicti monaſterii temere, & malicioſe occultare, & occulte tenere preſumunt, non curantes ea prefatis Abbati & Conventui exhibere, in animarum ſuarum periculum, & dictorum Abbatis & Conventus, ac Monaſterii non modicum detrimentum, ſuper quo dicti Abbas & Conventus Apoſtolice Sedis remedium implorarunt. Quocirca diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes hujusmodi occultos detentores decimarum, primiciarum, reddituum, terrarum, & aliorum bonorum predictorum ex parte noſtra in Eccleſiis coram populo per te, vel alium moneas, ut infra competentem terminum quem eis prefixeris, ea prefatis Abbati & Conventui a ſe debita reſtituant, & revelent, & de ipſis plenariam, & debitam ſatisfactionem impendant, & ſi id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferas, & eam facias, ubi & quando expedire videris, usque ad ſatisfactionem condignam ſolemniter publicari. Datum *Januæ* IX. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno octavo.

T. de Suſato.

CXVIII.

(*m*) Anno 1385.

CXVIII.

Magiſtratus Novæ Urbis Pragenſis teſtatur complures cives ſuos, qui nominantur, diverſos cenſus ex domibus debere monaſterio Brewnovienſi. dd. Pragæ 1385. *feria* 5. *poſt feſtum Aſumptionis B. M. V.* Ex Archivo Brewnov.

Nos *Martinus Rotlew*, *Cuntz Herndorff-Mixo Praſſyc*, *Ulricus* dictus *Stengl*, *Crux* dictus *Krzyzala*, *Swach Schilhan*, *Sdenko de lacu*, *Herthnus Mango*, *Michael Bechmer*, *Wilhelmus Smelczer-Nicolaus Fierwyener*, *Paulus* Piſtor, & *Henslinus Rechl* conſules, & jurati novæ civitatis *Pragenſis* cives. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quod conſtituti coram nobis honeſti, & diſcreti homines inter quatuor ſcampna judiciaria, dum nos noſtro pleno præſidebamus conſilio, ubiquævis geſta humana plenam obtinent roboris firmitatem, recognoverunt ſponte ſuo, hæredum, & ſucceſſorum ſuorum nomine, quod honorabilibus viris Abbati, & Conventui, ac ipſorum futuris Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis S. *Benedicti* prope Pragam de domibus, ac areis ipſorum ſitis in *Porzyecz* ſancti *Clementis* cenſum infraſcriptum ab omni Civitatis exemptum onere, & ſolutum ſingulis annis in feſto S. *Galli* tenentur fideliter temporibus perpetuis cenſurare. Et primo *Sawalca* tredecim groſſos. Item *Gyta Wabutina* tredecim groſſos. Item *Wanca Maczkowa* octo groſſos. Item *Dybel* de domo quondam *Plochonis* quatuor groſſos. Item idem *Johannes Dybel* duos groſſos, de domo, que quondam *Sawelconis* etiam duos groſſos, & de domo *Caroli* quatuor groſſos. Item *Wenceslaus Mediolan* quatuor groſſos. *Elzka* duodecim groſſos. Item *Wanczek* quatuor groſſos. Item *Pawel Happaffek* decem groſſos. Iterum *Johannes Dybel* de domo quondam *Crucis* duos groſſos. *Jeſſec* dictus *Peſſraczek* unum groſſum. Item *Wanko* dictus *Kuczerka* alias *Styetkarz* duos groſſos. Item *Boleſſka* tres groſſos. Item *Slawca* groſſos duos & quatuor parwos. Item *Yaczcy* duos groſſos, & quatuor parvos. *Orthinus* duos groſſos & quatuor. Item *Barton* de domo *Swachonis* quatuor groſſos. Item *Petrka* fulo quatuor groſſos. Item *Bobuslawa* de domo *Holtmonis* quinque groſſos. Item *Franciſcus Glatzer* viginti groſſos. *Pawel* de braſeatorio triginta tres groſſos. Et hoc ſub pœnis juxta conſvetudinem Civitatis rei. Cujus in teſtimonium ſigillum noſtræ civitatis majus de certa noſtra ſcientia præſentibus eſt appenſum. Datum & actum *Pragæ* feria quinta poſt feſtum Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ*. anno Domini MCCCLXXXV.

CXIX.

Dominus Johannes Plebanus eccleſiæ Parochialis - - - dotat & donat eccleſiæ Parochiali in Brunow certum cenſum annuum. Habetur in Archivo Metrop. Prag. T. II. Erectionum.

CXX.

Wenceslaus Romanorum & Boemiæ Rex indulget Abbati & Conventui Brzewnovienſi, ut, cum ob debitorum onera de conſenſu Regio villam Roſtok vendiderint, & etiam alia bona a dicto Monaſterio alienata & diſtracta ſint, alia bona iterum, & poſſeſſiones ad ſummam duorum millium ſexagenarum emere & comparare a quocunque poſſint. dd. Pragæ die XV. Maji, anno 1387. Ex autographo Archivi Brewnov.

Wenceslaus Dei gracia *Romanorum* Rex, ſemper Auguſtus, & *Boemie* Rex. Notum facimus tenore preſencium univerſis, quod cum alias Religioſi Abbas, & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti* devoti noſtri dilecti in relevamen debitorum & onerum, quibus idem Monaſterium multipliciter gravabatur, de noſtro beneplacito, voluntate, atque conſenſu villam *Roſtok*, pro certa pecunie ſumma *Reinhardo* Civi Pragenſi fideli noſtro dilecto vendiderint, ſintque illegali quorundam Abbatum Regimine eciam plura bona a dicto Monaſterio alienata totaliter, & diſtracta. Nos affectantes dictum Monaſterium noſtris temporibus priſtinis, & votivis incrementis proficere, non improvide, neque per errorem, ſed animo deliberato, ſano fidelium noſtrorum accedente conſilio Regia auctoritate *Boemie*, & de certa noſtra ſciencia prefatis Abbati & Conventui indulſimus, & tenore preſencium gracioſius indulgemus, ut videlicet ipſi pro ſuis, & ipſorum monaſterio utilitatibus, poſtquam auxiliante eis Altiſſimo ad pinguiorem fortunam pervenerint, bona, poſſeſſiones, & villas conjunctim, vel diviſim cum eorum pertinenciis, feodalibus tamen omnino exceptis, pro duobus millibus ſexagenarum, a quibuscunque perſonis libere, & licite valeant comparare, ſed ad finem ne proceſſu temporis in comparando bona hujusmodi ipſis aliqua difficultas eveniat, empcionis, & vendicionis contractum per ipſos, ut premittitur, ineundum ex nunc, prout ex tunc Regia auctoritate predicta, approbamus, ratificamus, & preſentis ſcripti patrocinio gracioſius confirmamus, decernentes contractum ipſum obtinere debere perpetuam roboris firmitatem; quodque prefati Abbas, & Conventus bona, poſſeſſiones, & villas per eos, ut premittitur, comparandas, ſub ea libertate Eccleſiaſtica habere, tenere,

&

& poſſidere debeant, qua cetera ſui Monaſterii bona habere, tenere, & poſſidere noſcuntur. Decernentes etiam expreſſe, quatenus bonis per eos, ut premittitur, pro duobus ſexagenarum millibus comparatis, quocies nos, aut heredes noſtros Reges *Boemie* bernam ab ipſis exigere, ſeu poſtulare contigerit, ſub ea convencione, pacto, & ſumma ſtare debeant, & manere, quam hucusque ex ordinacione predeceſſorum noſtrorum ſolviſſe noſcuntur; nec occaſione bonorum, per ipſos, ut premittitur comparandorum, per nos, aut Officiales noſtros ad ſolucionem ulterioris ſumme arceri debeant, aut compelli. Preſencium ſub Regie noſtre Majeſtatis ſigillo (*n*) teſtimonio litterarum. Datum *Prage* anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, die quinta decima menſis Maji, Regnorum noſtrorum anno *Boemie* viceſimo quarto, *Romanorum* vero undecimo.

Ad mandatum D. Regis Prepoſito Zderaſienſi referente.
Wlachnico de Weytmule.

CXXI.

Commiſſio Urbani Papæ, delata Præpoſitis Monaſteriorum Zderaſienſis, & Coniczenſis, ac Decano Eccleſiæ Patavienſis ſuper reſtitutione bonorum Monaſterii Brzewnovienſis contra quoscunque injuſtos uſurpatores. dd. Peruſii XV. Kalendas Maji, Pontificatus anno X. (*o*) Ex Archivo Monaſt. Zderaſienſis.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis *Zderaſienſis* Pragenſis, & in *Conicz Olomucenſis* Dioceſis per Prepoſitos ſolitorum gubernari Monaſteriorum Prepoſitis, ac Decano Eccleſie *Patavienſis* ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Militanti Eccleſie licet immeriti diſponente Domino preſidentes circa Curam Eccleſiarum, & monaſteriorum omnium ſolertia reddimur indefeſſa ſolliciti, ut juxta debitum Paſtoralis Officii eorum occurramus diſpendiis, & profectibus Divina cooperante clemencia ſalubriter intendamus. Sane Dilectorum filiorum Abbatis & Conventus Monaſterii in *Brewnovia* Ordinis ſancti *Benedicti* prope *Pragam* conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Prelati & Clerici, ac Eccleſiaſtice perſone, tam Religioſe, quam ſeculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & laici, Communia

(*n*) Sigillum integrum hodie appenſum eſt. (*o*) Anno 1387.

Civitatum, Univerſitates opidorum, Caſtrorum, villarum & aliorum locorum, & alie ſingulares perſone Civitatum & Dioceſium, & aliarum partium diverſarum occuparunt, & occupari fecerunt Caſtra, villas, & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, jura, & jurisdictiones, nec non fructus, cenſus, redditus, & proventus dicti Monaſterii, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, ſpiritualia, & temporalia ad Abbatem & Conventum ac Monaſterium predictos ſpectantia, & ea detinent indebite occupata, ſeu ea detinentibus preſtant auxilium, conſilium, vel favorem, nonnulli eciam Dyoceſium, Civitatum, & partium predictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Abbati & Conventui ſuper predictis Caſtris, villis, & locis aliis, terris, domibus, poſſeſſionibus, jurisdictionibus, fructibus, & cenſibus, redditibus, & proventibus eorundem, & quibuscunque aliis bonis mobilibus, & immobilibus, ſpiritualibus, & temporalibus, & aliis rebus ad eosdem Abbatem, & Conventum ac monaſterium ſpectantibus, multiplices moleſtias, ac injurias inferunt, & jacturas. Quare dicti Abbas & Conventus nobis humiliter ſupplicarunt, ut, cum eisdem valde reddatur difficile pro ſingulis querelis ad Sedem Apoſtolicam habere recurſum, providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus occupatores, detentores, preſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujusmodi illo volentes eisdem Abbati, & Conventui remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia precludatur, diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos vel alium, ſeu alios, eciamſi ſint extra loca in quibus deputati eſtis, Conſervatores & Judices prefatis Abbati & Conventui efficacis defenſionis preſidio aſſiſtentes non permittatis eosdem ſuper his, & quibuslibet aliis bonis & juribus, ad Abbatem & Conventum ac Monaſterium predictos ſpectantibus, ab eisdem vel quibuſvis aliis indebite moleſtari, vel eis gravamina ſeu dampna, vel injurias irrogari, facturi dictis Abbati & Conventui, cum ab eis vel procuratoribus ſuis, aut eorum aliquo fueritis requiſiti, de predictis, & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione hujusmodi Caſtrorum, villarum, terrarum & aliorum locorum, jurisdiccionum, jurium, & bonorum mobilium, & immobilium, reddituum quoque & proventuum, & aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet moleſtiis, injuriis, atque damnis preſentibus & futuris, in illis videlicet, que judicialem requirunt indaginem ſummarie, & de pla-

plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero prout qualitas exegerit juſtitie, complementum, occupatores, ſeu detentores, perſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles cujuscunque dignitatis, ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocunque, & quotienscunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus tam felicis recordationis *Bonifacii* Pape VIII. Predeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem & Dyoceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſue Dioceſis ad judicium evocetur; ſeu ne judices & conſervatores a Sede deputati predicta extra Civitatem & Dyoceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Dyoceſis eorundem trahere preſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate preſentium non trahatur; ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & violenciis, & aliis, que judicialem requirunt indaginem, penis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes, adjectis, conſervatores ſe nullatenus intromittant; quam aliis quibuscunque conſtitutionibus a Predeceſſoribus noſtris *Romanis* Pontificibus, tam de judicibus delegatis, & conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, que veſtre poſſent in hac parte jurisdictioni, aut poteſtati, ejusque libero exercitio, quomodolibet obviare. Seu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a predicta ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, & eorum perſonis litis ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuscunque tenoris exiſtat, per quam preſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam veſtre jurisdiccionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis ille inchoans nullo fuerit impedimento Canonico prepeditus, quodque a dato preſencium ſit vobis, & unicuique veſtrum in premiſſis omnibus, & eorum ſingulis ceptis &

non

non ceptis, preſentibus & futuris perpetuata poteſtas & jurisdictio attributa, ut eo vigore, atque firmitate poſſitis in premiſſis omnibus ceptis preſentibus, & futuris, & pro predictis procedere, ac ſi predicta omnia & ſingula coram nobis cepta fuiſſent, & jurisdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in predictis omnibus & ſingulis per citationem vel modum alium perpetuata poteſtas legitimum extitiſſet. Conſtitutione predicta ſuper conſervatoribus & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Preſentibus poſt quinquennium minime valituris. Datum *Peruſii* XV. Kalendas Maji, Pontificatus noſtri anno decimo.

Ja. de Fulgineo.

CXXII.

Dominus Martinus Plebanus eccleſiæ in Cbrudim promittit ſe Abbati & Monaſterio Brewnovienſi ratione retentarum annuarum penſionum ſexcentas libras ceræ ſoluturum. dd. anno 1387. Habetur in Archivo Metrop. Tom. XII. Erectionum.

CXXIII.

Privilegium Urbani Papæ VI. ut Abbas Brzewnovienſis infra Miſſarum, Veſperarum, & Matutinorum ſolemnia poſſit ſolemnem Benedictionem impertiri. dd. Romæ VII. Kalendas Februarii Pontificatus anno XI. (q) Ex Archivo Monaſterii Brewnovienſis.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Abbati, & Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti* ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Expoſcit veſtre devotionis ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas, ut tam vos, quos ſpeciali dilectione proſequimur, quam Monaſterium veſtrum dignis honoribus attollamus. Dudum ſiquidem vobis, ſicut aſſeritis, ut Abbas Monaſterii veſtri, qui pro tempore foret, mitra, baculo paſtorali, Cirotecis, annulo, ſandaliis, & aliis inſigniis Pontificalibus uti poſſet, auctoritate Apoſtolica extitit gracioſe conceſſum. Nos igitur volentes vos prerogativa proſequi gracie amplioris, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu fili Abbas, & ſucceſſores tui Abbates dicti Monaſterii, qui fuerint pro tempore, in dicto Monaſterio & Prioratibus eidem Monaſterio ſubjectis, ac Parochialibus, & aliis Eccleſiis, ad vos communiter vel diviſim pertinentibus, quamvis vobis pleno jure non ſubſint, benedictonem ſolennem in Miſſa & poſt Veſperorum, & Matutinorum ſolennia, ac poſt menſam, prout per Prelatos illarum partium

(p) Anno 1388.

tium in ſimilibus eſt fieri conſvetum, dummodo in benedictone hujusmodi aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolice legatus preſens non fuerit, elargiri poſſitis, felicis recordationis *Alexandri* Pape IV. Predeceſſoris noſtri, que incipit: *Abbates* &c. & aliis quibuscunque conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis, non obſtantibus, vobis, & eisdem ſucceſſoribus Auctoritate Apoſtolica de uberioris dono gracie tenore preſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud ſanctum Petrum VII. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno undecimo.

Jo. Raczow.

CXXIV.

Diviſſius Abbas (q) *Wilbelmus Prior, Hermannus Subprior, Joannes ſacriſta totusque Conventus monaſterii Brewnovienſis promittunt D. Adalberto de Ericino Magiſtro in S. Theologia Canonico Pragenſi anniverſarium in die obitus & 13. ſcholaribus eodem die prandium pro libris, quos donatione inter vivos eidem monaſterio dederat. dd.* 4. *Martii anno* 1388. Habetur in Archivo Metrop. Prag. Tomo. X. Erectionum.

CXXV.

Bonifacius Papa IX. eccleſias Przeſtie, Nezamyslicz, & Chezebicz incorporat, annectitque monaſterio Brewnovienſi. dd. Romæ V. Idus Novembris Pontificatus anno I. 1390. Ex Archivo Brewnovienſis.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Abbati & Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti*, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Rationi congruit, & convenit æquitati, ut ea quæ de *Romani* Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu litteræ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum. Dudum ſiquidem felicis recordationis *Urbano* Papa VI. prædeceſſori noſtro pro parte veſtra expoſito, quod olim bonæ memoriæ *Johannes* Epiſcopus *Pragenſis*, cum Eccleſia *Pragenſis* nondum eſſet in Metropolitanam erecta, in *Nezamislyz*, in *Che-*

(q) Eum hujus nominis ſecundum, ordineque XXV. Abbatem facit Ziegelhauerus p. 68, quem Henrico minus recte Abbatiam adminiſtranti anno 1385. ſubſtitutum, & uſque ad annum 1409. præfuiſſe ſcribit.

Chezebicz prope *Melnik*, & in *Brzieſtye* parochiales Eccleſias *Pragenſis* Diæceſis, quæ ad collationem, & proviſionem Abbatis, qui eſt pro tempore, & Conventus veſtri Monaſterii pleno jure pertinebant, ex certis, juſtis & rationabilibus cauſis ad id animum ejus moventibus, de conſilio & aſſenſu Capituli Eccleſiæ *Pragenſis* præfato Monaſterio auctoritate Ordinaria perpetuo incorporaverat, annexuerat, & univerat, reſervatis pro perpetuis Vicariis in eisdem Eccleſiis Domino perpetuo ſervituris, de fructibus redditibus, & proventibus Eccleſiarum ipſarum congruis portionibus, ex quibus iidem Vicarii valerent congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia eis onera ſupportare, & quod poſt annexionem, unionem & incorporationem hujusmodi Vos poſſeſſionem dictarum Parochialium Eccleſiarum aſſecuti illas ex tunc per quadraginta Annos & ultra tenueratis & poſſederatis, prout tenebatis & poſſidebatis pacifice & quiete, & deinde eidem Prædeceſſori pro parte veſtra ſupplicato, ut incorporationi, annexioni, & unioni hujusmodi robur Apoſtolicæ confirmationis adiicere de ſpeciali gratia dignaretur, Idem Prædeceſſor voluit, ut litteræ dicti *Johannis* Epiſcopi ſuper hujusmodi incorporatione, annexione, & Unione, in Cancellaria Eccleſiæ *Romanæ* exhiberentur, quæ quidem litteræ dum pro exhibitione hujusmodi ad *Romanam* curiam portarentur per prædones ablatæ fuerant, poſtmodum vero cum propter ablationem litterarum hujusmodi de incorporatione, annexione, & unione hujusmodi conſtare non poſſet, idem prædeceſſor Venerabili fratri noſtro *Johanni* Archiepiſcopo Pragenſi, ſuis litteris dederat in mandatis, ut de præmiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis nec non tam de dictorum Monaſterii, cujus ducentarum & quinquaginta quam Eccleſiarum, quarum quinquaginta marcharum argenti puri, fructus, redditus & proventus, ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſerebatur, auctoritate ejusdem Prædeceſſoris ſe diligenter informaret & quicquid per informationem hujusmodi reperiret, eidem prædeceſſori, per ſuas patentes litteras, hujusmodi litterarum dicti Prædeceſſoris ſeriem continentes, manu publica, ſuoque ſigillo ſignatas quantocyus referre curaret. Qui quidem Archiepiſcopus ſuper hujusmodi ſibi commiſſis, & eorum circumſtantiis univerſis diligenter inquirens, & ea per ſufficientem informationem reperiens fore vera, de eisdem præfato Prædeceſſori adhuc in humanis agenti relationem fecerat, prout in eorumdem Prædeceſſoris, & Archiepiſcopi litteris plenius continetur, tandem idem Prædeceſſor noſter

noſter meritis veſtræ devotionis inductus, & votis veſtris, illis præſertim, quæ commodum & utilitatem veſtri Monaſterii concernerent, quantum cum Deo potuit, favorabiliter annuendo conſideratione Chariſſimi in Chriſto filii noſtri *Wenceslai* Romanorum & *Bohemiæ* Regis illuſtris pro vobis eidem prædeceſſori ſuper hoc humiliter ſupplicantis hujuſmodi dicti Regis, ac veſtris ſupplicationibus inclinatus, incorporationem, annexionem & unionem prædictas ratas habens & gratas illas videlicet VII. Idus *Julii* Pontificatus ſui Anno duodecimo, auctoritate Apoſtolica confirmavit; verum quia prædicti Prædeceſſoris ſuperveniente obitu ſuper confirmatione hujuſmodi litteræ Apoſtolicæ confectæ non fuerant; nos ne propterea confirmationis fruſtremus effectum, volumus & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod confirmatio hujuſmodi perinde a Dato dictæ diei, videlicet VII. Idus *Julii* ſuum ſortiatur effectum, ac ſi ſuper ea dicti prædeceſſoris litteræ ſub dato dictæ diei confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque præſentes litteræ ad probandum plene confirmationem prædictam ubique ſufficiant, nec ad id probationis ulterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu contraire temerario. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datæ Romæ apud ſanctum *Petrum* V. Idus Novembris. Pontificatus noſtri anno primo.

S. de aquila.

Jo. de Maleſiczk.

CXXVI.

Bonifacius IX. quadraginta dierum indulgentias impertitur iis, qui Abbatis Brewnovienſis Miſſæ, aut aliis divinis officiis interfuerint. dd. Romæ XIV. Kal. Decembris Pontificatus anno I. (r) Habetur apud Ziegelbauer p. 291.

CXXVII.

Bonifacius IX. confirmat inſtitutionem Præpoſitorum in Raybrad, Poliz & Brunow, quam ſoli Abbati Brewnovienſi competere declarat. dd. Romæ VI. Idus Aprilis Pontificatus anno II. (s) Habetur apud eundem p. 292.

(r) Anno 1390. (s) Anno 1391.

CXXVIII.

Bonifacius IX. ob memoriam B. Guntheri, & miracula ad ejus ſepulchrum patrari ſolita viſitantibus eccleſiam Brewnovienſem in die ejusdem obitus certas concedit indulgentias. dd. Reate VII. Idus Julii Pontificatus anno II. (*t*) Apud eundem p. 143.

CXXIX.

Bonifacius IX. concedit ſeptem annos & novem quadragenas viſitantibus eccleſiam Brewnovienſem. dd. Romæ XII. Kal. Maji anno Pontificatus tertio. (*u*) Ex Archivo Brewnov.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei ; univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri, nihilominus tamen deſiderantes Domino reddere populum acceptabilem & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum ei, quaſi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti* congruis honoribus frequentetur, ipſaque Eccleſia & Monaſterium debite conſerventur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem & ad conſervationem hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo hoc ex ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in *Nativitatis*, *Circumciſionis*, *Epiphaniæ*, *Reſurrectionis*, *Aſcenſionis* & *Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *Pentecoſtes*, *nec non* in *Nativitatis*, *Annunciationis*, *Purificationis* & *Aſſumptionis* beatæ *Mariæ* Virginis, ac *Nativitatis* beati *Johannis* Baptiſtæ & dictorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, ac ejusdem Eccleſiæ dedicationis feſtivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, nec non per ipſarum *Nativitatis*, *Epyphaniæ*, *Reſurrectionis*, *Aſcenſionis* & *Corporis* Domini, ac *Nativitatis*, & *Aſſumptionis*

(*t*) Habetur quidem apud Ziegelbauerum annus I. Pontificatus expreſſus, ſed cum in hac Bulla fiat mentio indulgentiarum jam anno ſuperiore XIV. Kalend. Decembris datarum, perſpicue error ſeu Ziegelbaueri ſeu ſcribæ convincitur, qui perperam pro anno ſecundo Pontificatus primum adnotavit, ut itaque Bulla hæc ad annum 1391. pertineat. (*u*) Anno 1393.

nis beatæ *Mariæ*, nec non *Nativitatis* beati *Johannis* & Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* prædictorum feſtivitatum Octavas, & per ſex dies dictum feſtum *Pentecoſtes* immediate ſequentes præfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, ſingulis videlicet feſtivitatum & celebritatis ſeptem annos, & novem quadragenas, octavarum vero & ſex dierum prædictorum diebus, quibus Eccleſiam ipſam viſitaverint, & ad hujuſmodi conſervationem manus adjutrices porrexerint, ut præfertur centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem quodſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus ſeu dicti Monaſterii reparationem, ſeu hujuſmodi conſervationem manus porrexerint adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, proter illam, quam dudum ad fabricam Monaſterii & Eccleſiæ prædictorum manus adjutrices porrigentibus & aliam quam illis qui oſtenſioni reliquiarum quorumdam ſanctorum quæ in ipſa Eccleſia certis anni temporibus oſtenduntur, intereſſent, indulgentias conceſſimus per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti. Datæ *Romæ* apud S. *Petrum* XII. Kal. Maji. Pontificatus noſtri anno tertio.

Rta *Gratis*
Franciſcus.

CXXX.

Sententia Judicialis lata: quod Bohunco de Lechowicz ejusque fratres debeant ex teſtamento patris ſui 60 *ſexagenas groſſorum monaſterio Brewnovienſi, Brewnovienſe monaſterium in vicem teneatur ad duo anniverſaria, item quotidianum ſacrum ad altare S. Mariæ Magdalenæ, ad quod corpora Borziwogii, & aliorum Majorum ſuorum requieſcunt. dd.* 3. *Martii anno* 1393. Habetur in Archivo Metrop. XII. Erectionum.

CXXXI.

Diwiſſius Abbas & Conventus Monaſterii Brzewnovienſis tradunt Alſſoni de Bichor villam Blſſani ad dies vitæ, ſub annuo cenſu quatuor ſexagenarum groſſor. dd. Brzewnov. III. Aprilis anno 1393. Ex autographo Archivi Brewnov.

In nomine Domini Amen. Nos *Alſſo* de *Bichor* tenore preſencium univerſis recognoſcimus, quod Religioſi Viri *Diwiſſius* Divina miſeratione Abbas, *Wilhelmus* Prior., *Benedictus* ſupprior, totuſque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti*,

cupientes conditionem, & ſtatum ſui monaſterii facere meliorem, in Capitulo ipſorum conſveto diligenti inter eos tractatu, ac matura deliberatione prehabitis villam ipſorum *Blſſani* nuncupatam cum una aratura, & curia Allodiali, ac piſcinam cum omnibus edificiis, agris, pratis, paſcuis, utilitatibus, & proventibus, ad eandem villam & curiam pertinentibus, quam curiam retroactis temporibus per pie memorie Dominum *Ulricum* Abbatem Predeceſſorem noſtrum expoſitam, atque locatam *Agneti* virgini ad tempora vite ipſius, nunc certis ex cauſis, in cauſa ipſius *Agnetis* commutaverunt nobis *Alſſoni* de *Bichor* tenendam & poſſidendam uſque ad tempora vite noſtre, & non ultra ſub pactis & conditionibus infra ſcriptis, videlicet, quod nos prefatus *Alſſo* Abbati & Conventui, ac Monaſterio ipſorum tenebimur, & debemus in omnem eventum quatuor ſexagenas groſſorum denariorum *Pragenſium* omni anno cenſuare, & ſolvere pro annuo cenſu, ſed diviſim, videlicet in feſto ſancti *Georgii* proxime venturo duas ſexagenas, & in feſto ſancti *Galli* ſimiliter duas ſexagenas, & cum berna generalis toti terre indicta, & impoſita fuerit, & in *Grecz* Regine proclamata, tunc pro ipſa berna nos *Alſſo* predictus duas ſexagenas groſſorum Abbati, & Conventui, ac ipſi Monaſterio dare, & ſolvere debemus, per noſtrum nuncium in Monaſterio ipſorum reponere, noſtro dampno, omni occaſione procul mota. Quodſi in ſolucione cenſus, ſive berne negligentes fuerimus, in aliquo predictorum terminorum termino non ſolveremus, mox quatuordecim diebus a feſto ſancti *Georgii*, ſeu ſancti *Galli*, vel proclamatione berne elapſa dictum cenſum, vel bernam non ſolveremus, pro quolibet termino neglecto Abbati & Conventui ac ipſi monaſterio, penam quindecim groſſorum nos fatemur incurriſſe ſolvendam. Si autem per alios quatuordecim dies immediate ſequentes dictum cenſum & bernam una cum pena non ſolveremus, ex tunc penam triginta groſſorum nos fatemur incurriſſe ſolvendam. Si autem per tercios alios XIV. dies immediate ſequentes cenſum predictum vel bernam cum penis prenominatis ſolvere neglexerimus, ex tunc omne jus, quod nobis *Alſſoni* in predicta curia ac villa *Blſſani* premiſſa competit, ad Abbatem & Conventum, ac Monaſterium ipſorum ſine datione cujuslibet pecunie libere devolvetur ipſo facto, contradiccione qualibet non obſtante, nec quidquam contra predictam devolutionem verbo ſeu facto movere poterimus vel facere, ſub noſtre puritate fidei & honoris, & preſens litera nobis per Abbatem & Conventum data ipſo facto nullius fit vigoris vel momenti, nec

poſt

poſt cum eadem Abbatem vel Conventum ac monaſterium ipſorum impetere de aliquo poterimus, quod ſi fecerimus, hoc ſit contra noſtram fidem, & honorem. Sed hoc eſt poſitum, quod nos *Alſſo* predictus jus, quod nobis in eadem villa, ſeu curia competit, nulli homini exponere, ſeu ſublocare poterimus, vel convenire ſine ſpeciali conſenſu & beneplacito Abbatis & Conventus predictorum, ſi autem in contrarium fecerimus, ex tunc, ut eſt ſuperius poſitum, abſque omni datione pecunie predicta bona ad monaſterium *Brewnovienſe* predictum libere devolventur. Inſuper eſt expreſſum, quod edificia in eodem valore, ſicut in ipſa curia invenimus, relinquere debemus. Poſtquam vero nos *Alſſonem* predictum mori contigerit, ipſa villa cum curia, & omnibus ſuis pertinenciis, cum quatuor equis aratilibus pro ſex ſexagenis, quatuor vaccis, & ſexaginta pullis pro quatuor ſexagenis valentibus, aut ſi predicta non fuerint inventa, ſeu tanti valoris non extiterint in dicta curia, tunc pro dictis equis, vaccis & pullis, novem ſaxagenas, & XXX. groſſos Abbati & Conventui predictis infra XIV. dies aſſignare, & dare debemus. Et hoc quoque notanter eſt adjectum, quodſi nos *Alſſonem* predictum ante meſſem mori contigerit, tunc tam eſtivalia, quam hyemalia ad Abbatem & Conventum predictos devolventur. Si autem meſſe completa nos mori contigerit, tunc quicunque literam Abbatis & Conventus predictorum de noſtra bona voluntate habuerit, ſeu cui nos cum teſtimonio fideli predicta legaverimus, grano nudo triturato, & pro ſe recepto, Abbati, & Conventui predictis tantum grano pro utriſque ſeminibus tam hyemalibus, quam eſtivalibus, cum feno, ſtraminibus, paleis, equis, vaccis, pullis, vel valore earum prius preſcripto, & Abbati, ac Conventui derelictis, & aſſignatis, reſidua, prout nobis placuerit, abſque impedimento abducere poterimus. Que omnia & ſingula ſuperius deſcripta nos *Alſſo* predictus principalis, *Hereſſ* de *Bichor*, *Marquardus* de *Weltrub*, *Hereſſ* de *Chwaleticz* dictus de *Bichor* fidejuſſores ipſius *Alſſonis* promittimus pro ipſo, & cum ipſo cum effectu eciam poſt mortem ipſius fideliter adimplere, & in caſu, quod abſit, ſi quis ex nobis mortuus fuerit, tunc alium loco ſui equivalentem infra unum menſem, ſub pena amiſſionis bonorum predictorum ſubſtituere & locare debemus. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra certa noſtra ſciencia preſentibus ſunt appenſa. (*x*) Datum & actum in mo-

na-

(*x*) Sigilla quatuor hodie membranæ appenſa ſunt.

naſterio *Brewnovienſi*, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo tercio, die tercia menſis Aprilis.

CXXXII.

Wenceslaus Romanorum Rex & Bohemiæ confirmat monaſterio Brewnovienſi Privilegium Caroli IV. de anno 1359. *dd. Pragæ* 20. *Septemb. anno* 1395. Habetur apud Ziegelbauer p. 286.

CXXXIII.

Herſſo & Alſſo fratres de Bychor vendunt Diviſſio Abbati & Conventui Brzewnovienſi domum Sternbergianam ex oppoſito monaſterii Jeruſalem. dd. Pragæ anno 1395. *die S. Martini.*

Nos *Herſſo & Alſſo* fratres de *Bychor* recognoſcimus tenore præſentium univerſis, tam præſentibus, quam futuris, nos noſtro, hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum nominibus domum noſtram, & ipſius aream cum omnibus, & ſingulis ipſius domus, & areæ pertinentiis prout in ſuis metis, gadibus, & limitibus circumferentialiter, & circumquaque ſituata eſt, & locata ſuper foſſato majoris Civitatis *Pragenſis* in parochia ſancti *Stephani* Prothomartyris ex oppoſito Monaſterii dicti *Jeruſalem*, ab omni onere dictæ Civitatis liberam, & ſolutam, quam ab illuſtri Principe Domino *Procopio* Marchione *Moraviæ* pro certa ſumma pecuniæ juſto emptionis titulo exeminus, & quæ etiam ad ipſum prædictum Dominum Marchionem a Dominis de *Sternberg*, & ſignanter a nobili *Joanne* dicto de *Cblumez* per legitimi fori interventionem devenerat, vendidiſſe, & venditam tradidiſſe honorabilibus, & religioſis viris Dominis *Diviſſio* (*y*) Abbati, & Conventui, Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis S. *Benedicti*, prope Pragam, & ipſorum Monaſterio prædicto pro centum, & quinquaginta ſexagenis groſſorum denariorum *Pragenſium* nobis integraliter perſolutis, ad habendam, tenendam, utifruendam, & in uſus beneplacitos convertendam cum omnibus & ſingulis libertatibus, & emunitatibus & cum omni jure, & privilegio, ſicut a prædictis Dominis de *Sternberg* ad ipſum Dominum Marchionem, & demum ab ipſo Domino Marchione ad nos devoluta eſt, libere poſſidendam perpetuis temporibus, & in æternum; promittentes ſincere, a nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris omni abſque dolo, & fraude, ipſum Dominum Abbatem, Conventum, & Monaſterium prædictum ſuper rehibitione prædictæ domus, & ipſius areæ amodo, & in perpetuum

(*y*) Ita Boemice Dionyſius appellatus.

tuum nullatenus impetere aut quovis jure moleſtare, ſed præfatam domum & ipſius aream cum ſingulis pertinentiis, ut præmittitur, dictis Dominis, & ipſorum Monaſterio nos fratres prædicti promittimus, & tenemur disbrigare, & libertare a quolibet homine ipſos volente impetere jure quocunque terreſtri Canonico & civili juxta terræ *Bobemiæ* conſvetudinem. In caſu autem, ſi non disbrigaverimus, aut disbrigare neglexerimus, ex tunc damus, & concedimus per præſentes ipſi Domino Abbati prædicto, qui eſt, aut qui pro tempore fuerit, plenam, & omnimodam poteſtatem, quod cum ſolo Camerario, aut ſine camerario, ſeu etiam cum auxilio Burggravii caſtri *Pragenſis*, aut cujuſcunque beneficiarii poterit ſe intromittere de hæreditatibus noſtris, quas nunc habemus, aut in futurum habebimus, eaſque tenere, & diſponere juxta libitum ipſius voluntatis, uſque plenam disbrigationem domus, & areæ prædictorum, contra quæ nullo jure, verbo, vel facto contra ire debemus, nec ſe auxilio cujuſcunque aut poteſtate, ſeu etiam colore quocunque quæſito a præmiſſis exonerare ſub puritate fidei, & honoris. In cujus rei evidentiam ſigilla noſtra propria, in teſtimonium vero ſigilla nobilis Domini *Purkardi Servad de Janowicz* Burggravii caſtri *Pragenſis*, ac famoſorum virorum *Cunſſonis de Wolbramowicz* reſidentis in *Bychor*, tunc vice-burgravii caſtri *Pragenſis*. *Bobemiconis* dicti *Kozlik de Drahobudicz*, & *Vlrici de Dolan* præſentibus ſunt appenſa. Datum Pragæ anno Domini milleſimo, trecenteſimo, nonageſimo quinto in die S. *Martini* Conf. (z)

CXXXIV.

Wenceslaus Romanorum & Bobemiæ Rex confirmat Privilegium Abbati & Conventui Brzewnovienſi datum a Wenceslao Quarto Boemiæ Rege, in quo renovantur libertates eidem Monaſterio a Duce Boleslao, & Rege Otakaro conceſſæ, &c. &c. *dd. Pragæ die* 20. *Septembris anno* 1395. Ex autographo Archivi Brewnov.

Wen-

(z) Servantur in eodem Archivo Brewnovienſi quatuor præterea diplomata ſuper eadem Sternbergiana domo & quidem Caroli Rom. Imp. & Wenceslai Rom regis ab anno 1376. quibus Joanni de Sternberg conceditur foſſata urbis complanare & eodem loco domum ſtructuraſque ponere, dein Procopii Marchionis Moraviæ, qui eandem domum a Sternbergiana emit eamque fratribus Herſſoni & Alſſoni vendidit anno 1395. quam emptionem per familiarem ſuum Witkonem de Turolbicz factam eodem anno confirmat.

Wenceslaus Dei gracia *Romanorum* Rex, ſemper Auguſtus, & *Boemie* Rex. Notum facimus tenore preſencium univerſis, quod pro parte Religioſorum Abbatis & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* Devotorum noſtrorum Dilectorum ſerenitati noſtre extitit humiliter ſupplicatum, quatenus quoddam Privilegium per felicis recordacionis ſereniſſimum quondam *Wenceslaum* Quartum *Boemie* Regem ipſis ſuper eorum juribus, & libertatibus datum, & conceſſum approbare, ratificare, innovare, & confirmare de Regali munificencia noſtra gracioſius dignaremur; cujus quidem Privilegii tenor per omnia ſequitur in hec verba. *Univerſis Chriſti fidelibus per Regnum Boemie conſtitutis, Wenceslaus Dei gracia Quartus*, &c. (*a*) Nos itaque dictorum Abbatis & Conventus Monaſterii predicti ſupplicacionibus, utpote racionabilibus benignius annuentes, preſertim cum juſte petentibus non ſit denegandus aſſenſus, non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſano fidelium noſtrorum accedente conſilio, & de certa noſtra ſciencia prefatum Privilegium & omnia in eo contenta, prout de verbo ad verbum expreſſatur ſuperius, approbavimus, ratificavimus, innovavimus, & confirmavimus. approbamus, ratificamus, innovamus, & auctoritate Regia *Bohemie* gracioſius confirmamus, preſencium ſub Regie noſtre Majeſtatis ſigillo (*b*) teſtimonio literarum. Datum *Prage* anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto die viceſima Septembris, Regnorum noſtrorum anno *Boemie* triceſimo tercio, *Romanorum* vero viceſimo.

Ad relacionem W. Decani Wiſſegradenſis
Wlachnico de Weytemule.

CXXXV.

Wenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex Diwiſſio Abbati & Conventui Brzewnovienſi innovat, & confirmat omnia jura, Privilegia & gratias a Prædeceſſoribus Regibus & Ducibus monaſterio conceſſa. dd. Pragæ 20. Septembris anno 1395. Ex autographo Archivi Brewnov.

Wenceslaus Dei gracia *Romanorum* Rex ſemper Auguſtus & *Boemiæ* Rex; notum facimus tenore preſencium univerſis. Inter ceteras ſollicitudinum Regalium curas, quibus circa procurandam fidelium noſtrorum quietem mens noſtra diſtrahitur, illud ſpecialiter cogitationibus noſtris imprimitur, qualiter Creatori noſtro pro innumeris beneficiis nobis

(*a*) Excuſum eſt apud Ziegelbauerum p. 258. (*b*) Sigillum hodie appenſum eſt.

bis impenſis humiles grates exolvere, ac eadem exilibus ſaltem poſſumus obſequiis compenſare. Sed dum huc atque illuc oculos providencie noſtre convertimus, nullas in hoc nobis penitus vires adeſſe videmus, unicum tamen nobis ſupereſt ſcriptura tradente remedium, ut videlicet Virorum ſpiritualium oracionibus nos ipſos committere, ac ipſorum ſuffragia, quamdiu nobis tempus aptum ab alto conceditur, ſtudeamus pro viribus aggregare, illorum preſertim, quos cernimus, & aperte videmus, lenocinancia mundi hujus blandimenta reſpuere, illicitos carnis motus elidere, ſolumque perfeccionis adipiscende propoſitum indeclinabiliter cuſtodire. *Sane* accedens noſtre Majeſtatis preſenciam Religioſus *Diwiſſius* Abbas Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* prope *Pragam*, devotus noſter dilectus, ſuo, & conventus ſui nomine nobis humiliter ſupplicavit, quatenus infra ſcripta Privilegia ſeu literas ipſis a recolende memorie Illuſtribus quondam Bohemie Regibus & Ducibus, & ſignanter a ſereniſſimo Principe quondam Domino & genitore noſtro Domino *Karolo* Romanorum Imperatore ſemper Auguſto & *Bohemie* Rege ſuper certis donationibus, poſſeſſionibus, emunitatibus, libertatibus, graciis, ſive juribus conceſſa, ſeu conceſſas approbare, ratificare, innovare, roborare, & confirmare gracioſius dignaremur. Inter que primi privilegii tenor ſequitur in hec verba: *Karolus Dei gracia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, & Boemie Rex, univerſis preſentes literas inſpecturis graciam Regiam, & ſubſcripte rei memoriam ſempiternam. Quamvis omnium rationabiliter ſupplicancium deſideriis Invictiſſime Majeſtatis noſtre ſerenitas*, &c. (c)

Nos igitur, qui vota quorumlibet juſte petentium libenter admittimus, & perſonas Deo dicatas in earum libertatibus, graciis, & indultis benignius confovemus, ipſorum ſupplicationibus gracioſius inclinati, non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſano fidelium noſtrorum accedente conſilio, Regia auctoritate *Bohemie* & de certa noſtra ſciencia ſupradicta privilegia, ſeu literas, in omnibus & ſingulis eorum articulis, ſentenciis, punctis, & clauſulis, nec non omnes alias literas, donationes, poſſeſſiones, emunitates, libertates, gracias, conſvetudines, ſive jura cum ſuis pertinenciis antedicto monaſterio per

(c) Diplomata eadem ſunt, quæ Numeris LXXX. LXXXI. & LXXXII notavimus, quæque apud Ziegelbauerum p. 273. & ſeqq excuſa ſunt.

quoſcunque progenitores prefatos, ac predeceſſores noſtros quondam Reges, ac Duces Bohemie ſeu per alios cujuſcunque conditionis, preeminentie, ſive ſtatus extiterint, tradita, & conceſſa, in quorum poſſeſſione predicti Abbas, & Conventus jam ſunt, vel hactenus extiterunt, aut de quibus docere quovis modo poterunt per legitima documenta, poteſtate, ſeu auctoritate Regia innovamus, ratificamus, approbamus, roboramus, & ſicut provide facta noſcuntur, preſentis ſcripti patrocinio gracioſius confirmamus, decernentes, ac volentes, expreſſe, quod tam privilegia, quam eciam alia quecunque dictis Abbati, Conventui & Monaſterio *Brewnovienſi* ſuper villis & bonis eorum rite conceſſa, ac ſi eorum tenores de verbo ad verbum preſentibus forent inſerti, quos eciam pro inſertis habere volumus, tam in judicio, quam extra, obtinere debeant, plenam, omnimodam roboris firmitatem. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, literis, conſtitutionibus, ſtatutis particularibus publicis ſeu privatis mandatis, conſtitutionibus editis, vel edendis, quibus omnibus & ſingulis, in quantum preſenti noſtre approbationi, ratificationi, innovationi, & confirmationi obviarent, aut obviare forſitan viderentur, Regia auctoritate *Boemie* de certa noſtra ſciencia totaliter derogamus, ſupplentes omnem defectum, ſi quis in premiſſis, ſeu premiſſorum aliquo dubia interpretatione verborum, aut ſententiarum, ratione ſolempnitatis obmiſſe, aut alio, quovis modo foret compertus, inhibentes nihilominus ſub Regii favoris obtentu univerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militibus, Clientibus, Burggraviis, Poprawczonibus, Caſtellanis, Civitatum, oppidorum, & locorum communitatibus, ceteriſque noſtris, & Regni *Boemie* officialibus, ſubditis, atque fidelibus cujuſcunque preeminencie, nobilitatis, ſtatus, gradus, ſeu conditionis exiſtant, tam preſentibus, quam futuris, ne prefatos Abbatem & Conventum Monaſterii *Brewnovienſis* contra preſentem confirmationem noſtram in eorum libertatibus, graciis, indultis, & bonis publice, vel occulte impediant, moleſtent, perturbent, ſeu per ſe vel alios impedire, moleſtare, aut perturbare preſumant, quovis ingenio ſeu colore queſitis, quin pocius ipſos, & eorum bona, dum & quociens per ipſorum Procuratorem, Officiales, & ſubditos ſuper hoc requiſiti fuerint, ab omnibus impetitionibus, violenciis, injuriis, & oppreſſionibus, ac gravaminibus quibuſcunque protegant, manuteneant fideliter, & defendant, nec ex cauſa defenſionis hujusmodi ſuſpicionem, infamie notam,

ſeu

ſeu quod eſt amplius, noſtre indignationis offenſam incurrere debere formident. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc noſtre approbationis, ratificationis, roborationis, innovationis, & confirmationis paginam infringere, ſeu ei quovis auſu temerario contraire, ſi quis autem ſecus attemptare preſumperit, preter indignationem noſtram graviſſimam, penam *centum marcarum auri puriſſimi* tocies, quocies contra factum fuerit, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, quarum medietatem Regali noſtro erario ſive fiſco, reſiduam vero partem predictorum Abbatis, Conventus, & Monaſterii *Brewnovienſis* uſibus decernimus applicandam. Preſencium ſub Regie noſtre Majeſtatis ſigillo (*d*) teſtimonio literarum. Datum *Prage* anno Domini milleſimo, trecenteſimo nonageſimo quinto, die viceſima Septembris, Regnorum noſtrorum anno *Bohemie* triceſimo tertio, *Romanorum* vero viceſimo.

Ad Relacionem W. Decani Wiſſehradenſis.
Wlachnico de Weytemule.

CXXXVI.

Bonifacius IX. concedit Abbati Brzewnovienſi, ut altari viatili uti, & ubique in loco honeſto per ſe vel per ſuos Miſſam celebrare poſſit. dd. Romæ XVI. Kal. Novembris Pontificatus anno ſexto. (*e*) Ex Archivo Brzewnovienſi.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio *Dyviſſio* Abbati Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti*, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Synceræ devotionis affectus, quem ad nos & *Romanam* geris Eccleſiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, illis præſertim, quas ex devotionis fervore prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt quod nos tuis devotis ſupplicationibus inclinati, ut liceat tibi habere Altare portatile cum debita reverentia & honore, ſuper quo in locis, ad hoc congruentibus & honeſtis, poſſis Miſſam & alia Divina officia celebrare, aut per proprium vel alium Sacerdotem idoneum ſine juris alieni præjudicio, in tua & etiam familiarium tuorum domeſticorum præſentia facere celebrari, devotioni tuæ tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis

(*d*) Sigillum integrum adhuc hodie appenſum eſt. (*e*) Anno 1395.

infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datæ *Romæ* apud ſanctum *Petrum*, XVI. Kalen. Novemb. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Cta. *Gratis*
V. Dominicus.

CXXXVII.

Wenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex confirmat actum & contractum venditionis, quo Herſſo & Alſcho fratres de Bichor vendunt Abbati & Conventui Monaſterii Brzewnovienſis domum ſuam cum area ſitam ſuper foſſato Majoris Civitatis Pragenſis in Parochia S. Stephani ex oppoſito Monaſterii Jeruſalem dicti. dd. Pragæ penultima Januarii anno 1396. Ex autographo Archivi Brzewnov.

Wenceslaus Dei gracia *Romanorum* Rex ſemper Auguſtus & *Boemie* Rex. Notum facimus tenore preſencium univerſis; Etſi Regalis dignitatis circumſpecta benignitas omni Eccleſiarum ſaluti conatur intendere, ad illos tamen, qui per obſervanciam Regularis diſcipline mundi derelictis illecebris Conditori noſtro dignum prebent obſequium, ſpecialis prerogativa favoris dignanter inclinatur, quorum vita inſignis, & converſacio exemplaris plus ceteris Religioſis nobis placuit in vigore pariter & rigore. Sane cum fideles noſtri dilecti *Herſſo* & *Alſcho* fratres de *Bichor*, ſuo & heredum, ac ſucceſſorum ſuorum nomine domum ſuam cum area ſuper foſſato Majoris Civitatis *Pragenſis* infra fines & limites, ac in Parochia ſancti *Stephani* Prothomartiris ex oppoſito Monaſterii dicti *Jeruſalem* cum ſuis metis, & circumferenciis ſituatam, ab omni onere, berna, lozunga, & contribucione dictæ Civitatis liberam & ſolutam, prout ipſi, & eorum predeceſſores hactenus tenuerunt, Honorabili, & Religioſis Abbati & Conventui Monaſterii *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* juſto empcionis, & vendicionis interveniente contractu pro certa pecunie ſumma vendiderint, fueritque Majeſtati noſtre pro utraque parte humiliter ſupplicatum, quatenus ad hujuſmodi empcionis & vendicionis contractum, conſenſum noſtrum Regium adhibere, ipſum confirmare, & prefatam domum dicto monaſterio annectere, unire, & incorporare ſub libertate predicta gracioſius dignaremur. Nos eorum ſupplicacionibus, utpote racionabilibus, atque juſtis favorabiliter annuentes, ad dictum empcionis & vendicionis contrac-

trac.

tractum animo deliberato, & de certa ſciencia conſenſum noſtrum & aſſenſum Regium benignius adhibuimus, ipſumque confirmavimus, & tenore preſencium confirmamus, predictamque domum Abbati, Conventui, & Monaſterio predictis annexuimus, univimus, incorporavimus, ac ſub libertate preſcripta annectimus, incorporamus, unimus, & tenore preſencium gracioſius libertamus. Inhibentes nihilominus Magiſtro Civium, Conſulibus Juratis, ac Communitati dicte noſtre Majoris Civitatis *Pragenſis*, qui nunc ſunt, aut pro tempore fuerint, ne prefatos Abbatem & Conventum dicti Monaſterii in poſſeſſione, ſeu libertatione dicte domus, & ejus pertinenciis, ut preſcribitur, impediant, ſeu quoquo modo perturbent, quin pocius ipſos circa hujusmodi manuteneant, protegant realiter, & defendant, prout gravem noſtre indignacionis offenſam voluerint arccius evitare. Preſencium ſub Regie noſtre Majeſtatis ſigillo (*f*) teſtimonio literarum. Datum *Prage* anno Domini milleſimo trecenteſimo, nonageſimo ſexto, die penultima Januarii, Regnorum noſtrorum anno *Boemie* triceſimo tertio, *Romanorum* vero viceſimo.

Ad Relacionem D. Theoderici de Janovicz.
Wenceslaus de Olomuncz.

CXXXVIII.

Bonifacius P. P. IX. concedit Abbati Brzewnovienſi & ſucceſſoribus, ut Cæmeteria qualitercunque violata reconciliare, Calices ac Altaria ſui Territorii conſecrare, ordinis minores ſuis fratribus conferre, omniaque veſtimenta ſacerdotalia benedicere poſſint. dd. Romæ XV. Kal. Julii Pontificatus anno ſeptimo. (g) Ex Archivo Brewnovienſi.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis *Diviſſio* Abbati & conventui Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam* Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecti, Ordinis ſancti *Benedicti* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Precibus Veſtræ devotionis benignum impartientes aſſenſum, libenter ea vobis gratioſe concedimus, quæ veſtræ quietis commodum reſpicere dinoſcuntur. Cum itaque ſicut exhibitum nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, veſtrum Monaſterium nonnullos Prioratus, Præpoſitatus, & Parochiales Eccleſias & Capellas in diverſis Diœceſibus conſiſtentes ſubjectos habeat a ſua Cathedrali Eccleſia

(*f*) Sigillum integrum hodie appenſum eſt. (g) Anno 1396.

ſia per unam vel duas aut tres dietam vel dietas diſtantes, ac ſæpe contingat hujuſmodi, ac etiam Prioratuum & Præpoſitatuum ipſorum Eccleſias & Capellas, ac earum Cæmiteria per ſangvinis vel ſeminis effuſionem, aut excommunicatorum inhumationem violari, ad quos pro Eccleſiis Capellis & Cæmiteriis ipſis reconciliandis ſine magnis expenſis & periculis Epiſcopus deduci non poteſt, pro parte veſtra nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut Tibi fili Abbas, & ſucceſſoribus tuis Abbatibus dicti Monaſterii, qui erunt pro tempore, Eccleſias, Capellas & Cæmiteria prædicta, ſic vel alias quomodolibet violata, reconciliandi, nec non Monachis ejusdem Monaſterii omnes Minores Ordines conferendi, & Calices, corporalia, Pallas, Altaria, veſtes Sacerdotales Monaſterii, Prioratuum, Præpoſitatuum, Eccleſiarum & Capellarum prædictorum, nec non aliorum locorum eidem Monaſterio, ſeu aliis locis hujuſmodi ei ſubjectis conſecrandi, ſeu benedicendi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Vobis, ut tu fili Abbas & ſucceſſores tui Abbates dicti Monaſterii, qui erunt pro tempore, Eccleſias, Capellas & Cæmiteria prædicta, ſic vel alias quomodolibet pro tempore violata, reconciliare, nec non Monachis hujuſmodi omnes Minores Ordines conferre, ac Calices, Corporalia, Pallas, Altaria, veſtes Sacerdotales Monaſterii, Prioratuum, Præpoſitatuum, Eccleſiarum & Capellarum prædictorum nec non aliorum locorum hujuſmodi, ac etiam Aquam, Cineres & Salem in Monaſterio ſeu aliis locis hujuſmodi ei ſubjectis conſecrare ſeu benedicere poſſitis, quibuſcunque conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus authoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omninum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datæ *Romæ* apud ſanctum *Petrum* XV. Kal. *Julii*. Pontificatus anno ſeptimo.

Gratis de mandato Domini noſtri
P. P.
Je. de Ferentino.

CXXXIX

CXXXIX.

Bonifacius P. P. IX. concedit Abbati Brzewnovienſi & ſucceſſoribus poteſtatem abſolvendi ſuos ab irregularitate qualibet, præter homicidium voluntarium & membri mutilationem. dd. Romæ XV. Kal. Julii Pontificatus anno ſeptimo. (*b*) Ex Archivo Brewnovienſi.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio *Diviſſio* Abbati Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti*, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Benigno ſunt illa tibi concedenda favore, per quæ, ſicut pie deſiderare videris, Monaſterii tui utilitas procuratur, & ſaluti animarum illorum, qui in ipſo Monaſterio, ſub Regulari habitu impendunt, ſeu impendere cupiunt Domino famulatum, ſalubriter conſulatur. Tuis itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati tibi & ſucceſſoribus tuis Abbatibus dicti Monaſterii, cum illis ex Monachis tui Monaſterii, qui aliqua Excommunicationis ſententia ligati, celebrandi Divina, vel immiſcendo ſe illis non tamen in contemptum clavium, aut ex quibuſvis aliis cauſis, præter homicidium & membri mutilationem irregularitatis maculam incurrerint, ſuper irregularitate hujuſmodi, injuncta eis prius pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure fuerint, injungenda, & eis ad tempus, de quo Tibi videbitur a ſuorum Ordinum executione ſuſpenſis, authoritate Apoſtolica diſpenſandi, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri & Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datæ *Romæ* apud ſanctum *Petrum* XV. Kal. Julii pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Gratis de mandato Domini noſtri
P. P.
Je. de Ferentino.

CXL.

Bonifacius IX. indulget Diviſſio Abbati & ſucceſſoribus, ut rem divinam cum tribus infulis facere poſſit. dd. Romæ XV. Kal. Julii anno 1396. *Pontificatus anno VII.* Habetur excuſum apud Ziegelbeuerum p. 294.

CXLI.

(*b*) Anno 1396.

CXLI.

Bonifacius IX. monaſterium Brzewnovienſe ſub immediatam protectionem ſedis Apoſtolicæ recipit. dd. Romæ XV. Kal. Julii Pontificatus anno VII. 1396. Excuſum apud eundem p. 295.

CXLII.

Wolframus Archiepiſcopus Prag. confirmat literas Nicolai Plebani ſuper emptione ſex ſexagenarum groſſorum cenſus annui in bonis monaſterii Brewnovienſis. dd. 22 Auguſti anno 1396. Habetur in Archivo Metrop. Tomo IV. Erectionum.

CXLIII.

Wenceslaus Rom. & Bohemiæ Rex concedit monaſterio Brewnovienſi, at jus ſanguinis per fratres laicos, aut judices ſuos exercere poſſit. dd. Karlſtein III. Novemb. 1396. Habetur apud Ziegelbauerum p. 290.

CXLIV.

Elzka de Dolan profitetur ſe a Diviſſio Abbate Brewnovienſi ejuſque conventu accepiſſe ad tempus vitæ villam Blſſani ſub annuo cenſu quatuor ſexagenarum. dd. Brewnov 1398. *in Vigilia S. Mathæi.* Ex Archivo Brewnov.

Ego *Elzka de Dolan* conthoralis *Alſſonis de Bicbor* tenore præſentium univerſis recognoſco, quod honorabiles, & religioſi viri *Diviſſius* Abbas, *Bohuslaus* Prior, *Przibislaus* ſupprior, totuſque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. *Benedicti* cupientes conditionem, & ſtatum ſui Monaſterii facere meliorem in Capitulo ipſorum conſveto, diligenti inter eos tractatu & matura deliberatione præhabitis, villam ipſorum *Blſſani* nuncupatam cum una aratura, & curia allodiali, ac piſcina, nec non omnibus pertinentiis, & ædificiis, ac agris, pratis, paſcuis, utilitatibus, & proventibus ad eandem curiam ſpectantibus, quam una cum villa prædicta a retroactis temporibus famoſus vir *Alſſo de Biecbor* ad tempora vitæ ſuæ tenere debuit, nunc vero ex certis cauſis poſt vitam ipſius *Alſſonis* commutaverunt mihi *Elizabeth* ſeu *Elzæ de Dolan* præfatæ tenendam, & poſſidendam uſque ad tempora vitæ meæ, & non ultra, ſub pactis, & conditionibus infra ſcriptis, videlicet, quod ego præfata *Elzka* Abbati, & Conventui ac Monaſterio ipſorum debeo, & teneor in omnem eventum quatuor ſexagenas groſſorum denariorum *Pragenſium* omni anno cenſuare, & ſolvere pro annuo cenſu, diviſim videlicet in feſto S. *Galli* proxime venturo duas ſexage-

genas, & in feſto S. *Georgii* ſimiliter duas ſexagenas groſſorum prædictorum; & cum berna generalis toti terræ *Boemiæ* indicta & impoſita fuerit, & in *Grecz-Reginæ* proclamata, tunc pro ipſa berna ego *Elzka* prædicta duas ſexagenas groſſorum Abbati & Conventui ac ipſi Monaſterio dare, & ſolvere debeo, & per meum nuncium in monaſterio ipſorum reponere meo dampno, omni occaſione procul mota. Quodſi in ſolutione cenſus ſive bernæ negligens fuero, & in aliquo prædictorum terminorum termino non ſolverim, mox quatuordecim diebus a feſto S. *Galli*, ſeu S. *Georgii* vel proclamatione bernæ elapſis, & cenſu vel berna per me non ſolutis, pro quolibet termino neglecto Abbati, & Conventui ac ipſi Monaſterio pænam quindecim groſſorum ſolvendam me fateor incurriſſe. Si autem alios per quatuordecim dies immediate ſequentes dictum cenſum, & bernam una cum pæna non ſolverim, ex tunc pænam triginta groſſorum me fateor incurriſſe ſolvendam. Si autem per tertios alios quatuordecim dies immediate ſequentes cenſum prædictum vel bernam una cum pæna prænotata ſolvere neglexero, ex tunc omne jus, quod mihi *Elzcze* in prædicta curia ac villa *Bliſſany* præmiſſa competit, ad Abbatem, & Conventum, ac Monaſterium ipſorum ſine datione cujuslibet pecuniæ libere devolvetur ipſo facto, contradictione qualibet non obſtante, nec quidquam contra prædictam devolutionem verbo, ſeu facto movere potero, vel facere ſub puritate fidei, & honoris. Et littera mihi per Abbatem, & Conventum data ſuper curia, & villa præfatis ipſo facto nullius debet eſſe vigoris vel momenti, nec poſt cum eadem Abbatem, & Conventum, ac Monaſterium ipſorum impetere de aliquo potero, quodſi fecero, hoc ſit contra meam fidem & honorem. Sed hoc eſt poſitum, quod ego *Elzka* prædicta jus quod mihi in eadem villa ſeu Curia competit nulli hominum exponere, ſeu ſublocare potero vel convenire ſine ſpeciali conſenſu & beneplacito Abbatis, & Conventus prædictorum. Si autem in contrarium fecero, ex tunc, ut eſt ſuperius poſitum, abs omni datione pecuniæ prædicta bona ad Monaſterium *Brewnovienſe* prædictum libere devolventur. Inſuper eſt expreſſum, quod ædificia in eodem valore, ſicut in ipſa Curia inveni, relinquere debeo in eodem valore, & ſtatu, ut præmittitur. Poſtquam vero me *Elzkam* prædictam mori contigerit, tunc ipſa villa cum curia & omnibus pertinentiis ſuis, cum quatuor equis aratilibus pro ſex ſexagenis groſſorum, quatuor vaccis, ſexaginta pullis pro tribus cum media ſexagenas valentibus ad præfatos Dominos Abbatem, & Con-

ventum, ac Monaſterium *Brewnovienſe* abſque ſolutione, & datione pecuniarum, & ſine omni ſtrepitu judicii ſpiritualis, terreſtris atque civilis reverti debet atque devolvi. Si autem tanta non fuerint inventa, ſeu tanti valoris non extiterint in dicta curia, tunc pro prædictis equis, vaccis, pullis fidejuſſores mei infraſcripti ipſis Abbati, & Conventui, ac Monaſterio eorum prædictis infra quatuordecim dies novem ſexagenas groſſorum cum triginta groſſis tenebuntur, & debebunt aſſignare, atque præſentare.

Et hoc quoque notanter eſt adjectum: quodſi me *Elzkam* prædictam ante meſſem mori contigerit, tunc tam æſtivalia, quam hyemalia ad Abbatem, & Conventum libere devolventur; Si autem meſſe completa deceſſero, tunc quicunque literam Abbatis, & Conventus prædictorum cum voluntate mea habuerit, ille grano frumenti triturato, & ipſis Abbati, & Conventui præfatis parte pro ſeminibus tam hyemalibus, quam æſtivalibus ipſius cujuslibet frumenti ſeu bladi ſufficienter cum fæno, ſtraminibus, atque paleis relicta, & aſſignata reſiduam partem grani, & frumenti ſibi recipiet, & abducet abſque omni impedimento. Quæ omnia, & ſingula ſuperius deſcripta, ego *Elzka de Dolan* prædicta principalis, & nos *Alſſo & Herſſo* Fratres *de Byechor, ac Chonyatha de Studenczye* fidejuſſores ipſius *Elzczæ* promittimus pro ipſa, & cum ipſa cum effectu etiam poſt mortem ipſius fideliter adimplere, & in caſu, quod abſit, ſi quis ex nobis fidejuſſoribus mortuus fuerit, tunc alium loco ſui æquivalentem infra unum menſem ſub pœna amiſſionis bonorum prædictorum ſubſtituere, & locare debemus. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra, de certa noſtra ſcientia præſentibus ſunt appenſa. Datum & actum in Monaſterio *Brewnovienſi* prædicto anno Domini MCCCLXXXXVIII. in vigilia S. *Mathæi* Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

CXLV.

Electi arbitri ad litem de limitibus monaſterii Brewnovienſis & Aulæregenſis Ordinis Ciſtercienſis inter Abbates Diviſſium, & Fridericum componendam, dd. in Brewnov anno 1398. *die* 3. *Octobris.* Ex Archivo Brewnov.

Nos *Diviſſius* Divina miſeratione Abbas, *Bohuslaus* Prior, *Przibislaus* ſupprior, *Wenceslaus* Celerarius, *Wenceslaus* Sacriſtanus, *Woyslaus* Infirmarius, *Jacobus* Veſtiarius, totuſque Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* prope *Pragam.* Notum facimus uni-

universis præsentes literas inspecturis, quod nos nostro, & Monasterii nostri prædicti nomine successorumque nostrorum matura deliberatione præhabita, Capitulariter ad sonum Campanæ congregati super omnibus & singulis litibus, controversiis, & causis inter nos ex una, & Venerabilem in *Christo* Patrem Dominum *Fridericum* Abbatem, *Johannem* Priorem, *Petrum* suppriorem totumque Conventum Monasterii B. M. V. *Aulæregiæ Cistercien*ſis Ordinis parte ex altera, quomodolibet hucusque exortis & vertentibus, seu verti & esse sperantibus occassione quorumdam limitum, granitiarum, Insularum, gadium & fluvii *Multava* retro *Aulamregiam* circum & circa villas, & bona Monasteriorum prædictorum & signanter circa *Wrany*, *Stochonicz*, *Trnowa*, & alias ubilibet consistentium, quos & quas nos dicimus ad nostrum Monasterium & ipsi ad suum pertinere in honorabiles, & Religiosos viros Dominos videlicet nos *Divissius* Abbas & Conventus prædicti pro parte nostra *Bohuslaum* Priorem, & *Wenceslaum* dictum *Cantor* Presbyteros dicti nostri Monasterii professos, & ipse Dominus *Fridericus* Abbas & Conventus *Aulæregiæ* pro parte sua *Johannem* Priorem & *Paulum* Celerarium Presbyteros dicti Monasterii *Aulæregiæ* Professos tanquam in Arbitros arbitratores, & amicabiles compositores omni modo meliori via jure, causa & forma, quibus melius, & efficacius fieri potest, & debet, seu potuit, & debuit, nihil post nos relinquentes, sub pœna centum sexagenarum grossorum *Pragensium* denariorum parti prædictæ servanti, & tenenti arbitrium per nos non tenentes solvendarum de Alto & Basso Compromisimus, elegimus, & consensimus ac tenore præsentium compromittimus, eligimus, & consentimus dantes, & concedentes dictis arbitris hincinde plenam liberam & omnimodam potestatem super omnibus & singulis præmissis, & quolibet præmissorum arbitrari, dessinire, præcipere, & interpretari juxta, & secundum tenores literarum de & super præmissis limitibus, granitiis, insulis, gadibus, flumine *Multaviæ*, & quibuscunque aliis ex utraque parte constare nec non secundum possessiones, præscriptiones, ac depositiones testium fide dignorum partis utriusque, sicut ipsis utilius videbitur expedire, terminare laudare, concordare, ordinare, pronunciare semel vel pluries conjunctim vel divisim juris ordine servato vel non servato, stando vel sedendo, verbo vel scriptis, die feriata vel non feriata omni jure, solemnitate vel subtilitate obmissis, partibus præsentibus vel absentibus, vel una parte præsente & altera absente, quomodocunque, quandocunque & qualitercunque ipsis arbitris videbtur expedire. Et quod sub pœna, amissione, commissione, & repetitione

aut aliis ad pœnam ſpectantibus, & quibuſcunque aliis, ipſi arbitri valeant cognoſcere, diffinire, arbitrari, declarare, interpretari, dicere, & præcipere, non obſtante quacunque revocatione dictorum arbitrorum tacite vel expreſſe, publice vel occulte, directe vel indirecte ſub pœna, ut eſt expreſſum; promittimus inſuper ad requiſitionem prædictorum arbitrorum, vel ſuperarbitrorum infra ſcriptorum literas originales, inſtrumenta publica & jura ſuper prædictis limitibus granitiis, inſulis, & flumine confectis, ſi quas aut quæ habemus, ipſis præſentare, ut viſis juribus, munimentis, & informationibus noſtris, & Dominorum Abbatis, & Conventus Monaſterii *Aulæregiæ* prædictorum conſultius de his cognoſcere, ac ipſa terminare, arbitrari, nec non ſuper his pronuntiare, laudare, ſententiare poſſint, & valeant in præmiſſis & quolibet præmiſſorum. Promittimus etiam Arbitros noſtros infra quindenam, a die datæ præſentium, ſtaturos in uno certo loco in majori Civitate *Pragenſi* in præmiſſis omnibus & ſingulis ad ulteriora perſequenda & expedienda: promittimus quoque dictis arbitris vice & nomine omnium quorum intereſt, vel intereſſe poterit, ſtare, parere, obedire & non contravenire de jure vel de facto aliqua ratione vel cauſa, laudo, arbitrio dicto, diffinitionem præcepto pronuntiationem dictorum arbitrorum, ſuper præmiſſis facto & factis ſententia lata & latis & mox eis probatis, emologare, ac probare & in nullo contravenire quacunque ratione, modo, cauſa, ſcripto, vel verbo per ſe vel alium ſeu alios, quæ & quas ſuper quibuſcunque præmiſſis vel aliquo præmiſſ rum dixerint, pronuntiaverint, diffiniverint, aut arbitrati fuerint & quod contra prædictorum arbitrorum arbitrium, laudum, pronuntiationem interpretationem non provocabimus, appellabimus, & appellationem proſequemur, nullum reſcriptum impetrabimus, nec impetratis utemur, nullam exceptionem juris vel facti opponemus. Et quidem non utemur cujuſcunque legis, canonis, ſtatuti, vel conſvetudinis beneficio, quæ quis quidem vitiat, ſeu vitiare aut infirmare valeat præſentes literas ſive præſens compromiſſum in toto vel in parte ſive ex forma aut materia compromiſſi, ſive ex rebus & cauſis, ſupra quibus eſt compromiſſum, & quidem ſi contrafecerimus, & in aliquo contra præmiſſa vel aliquo præmiſſorum contra venerimus ſeu arbitrium & pronunciationem faciendas, & faciendam in toto vel in parte non ſervaverimus, pœnam in hujuſmodi compromiſſo expreſſam toties quoties incurramus & committamus, parti tenenti arbitrium, ſolvendam, eamdemque pœnam eidemque parti tenenti ſolvere

re teneamur, ac ſimus obnoxii & obligati ipſo facto ad ſolvendum. Et nihil ominus pœnas ſeu pœnis ſoluta & ſolutis parti ſervanti arbitrium ad dampna & intereſſe, ac expenſas teneamur. Hoc adjecto modo conditione & cautela, ut jurgia diſſiniantur; quodſi præfati arbitri arbitratorum & amicabiles compoſitores propter aliquam difficultatem aut diſcordiam eisdem in præmiſſis occurrentem, incidentem, ſeu emergentem inter ſe in unam non poſſent convenire ſententiam ſeu ſententias, ex tunc ad honorabilem Virum Magiſtrum *Nicolaum Puchnik* Licenciatum in decretis *Pragenſis Olomucenſis* & *Wiſſegradenſis* Eccleſiarum Canonicum ac famoſum Virum *Diviſſium Vice Purgravium* Caſtri *Pragenſis* tanquam ad ſuperarbitros prædicti arbitri nulla adjecta difficultate debent & tenentur, pro approbatione vel reprobatione unius partis diſſiniendarum & pronunciandarum habere refugium & recurſum. Ipſique ſuperarbitri poterunt, valebunt, ac debebunt jurgia quæſtionum, materias noſtras & dicti Monaſterii *Brewnovienſis* terminare ac finire laudando, diſſiniendo & pronuntiando ſub pœna præſcripta, hoc etiam expreſſo quidem, ſi aliquem ex arbitris prædictis ante diſſinitionem præmiſſorum mori vel abeſſe contigerit, ex tunc nos loco defuncti vel abſentis alium arbitrum infra quatuordecim dies ex fratribus noſtris nominabimus, ſubſtituemus, & collocabimus ſub pœna ſuperius expreſſa, ſi vero aliquem ex ſuperarbitris prædictis eo in tempore mori vel abeſſe contigerit, ex tunc famoſus Vir *Zacharias de Paſsberg* alium nominare debet videlicet loco ſpiritualis ſpiritualem, & loco ſecularis ſecularem, quos tam nos quam præfati Abbas & Conventus Monaſterii *Aulæregiæ* pro noſtro ſuperarbitro debemus ſeu debebimus tenere & habere ſub pœna præexpreſſa. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra videlicet Abbatis & Conventus præſentibus literis ſive præſenti Compromiſſo duximus appendenda. Datum & Actum in Monaſterio noſtro prædicto anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo feria quinta poſt feſtum ſancti *Michaelis* quæ fuit dies Menſis Octobris tertia.

CXLVI.

Nicolaus judex de Schonovia profitetur ſe cum conſenſu Domini Abbatis Diviſſii vendidiſſe quinque virgas ex laneo ſuo & alias ſeptem comparaſſe. dd. Braunow anno 1399. *die SS. Joannis & Pauli Martyrum.* Ex Archivo Brewnov.

No-

Noverint universi præsentes literas inspecturi, audituri, vel lecturi, quod ego *Nicolaus* judex de *Schonovia* laneum meum ad judicium pertinentem, in quo residebam, de consensu Domini *Diwisschii* Abbatis Monasterii *Brewnovienſis* Domini mei gratioſi vendidi solum, & tantum in quinque virgas, quæ quinque virgæ census, bernam, & omnia alia onera debebunt tantum solvere, & dare Domino Abbati prædicto, quantum in villa prædicta *Schonovia* solvunt, & solvere consveverunt alii incolæ in villa præmissa. Et similiter de consensu Domini *Diwissii* Abbatis prædicti emi, & comparavi septem virgas, & quadrantem in villa præfata pro me, & hæredibus meis, ita quod septem virgæ prædictæ, & quadrans ad judicium pertineant, de quibus septem virgis, & quadrante promitto subire, & cum effectu adimplere omnia onera ad judicium villæ prædictæ spectantia tanquam in laneo integro residerem. Et quia duæ virgæ & quadrans minus sunt in laneo, in quo residebam, & quem laneum sub quinque virgis vendidi, quam hæreditas septem virgarum, & quadrantis, quas emi, & comparavi. Ne dictus igitur census, berna, vecturæ, robotæ, & signanter servitium, quod roß Dinſt vulgariter dicitur, & alia omnia onera incumbentia, Dominis meis Abbati, & Monasterio *Brewnovienſi* de duabus virgis, & quadrante pereant & deficiant, illas duas virgas, & quadrantem in residentia mea videlicet septem virgarum, & quadrantis ac omnibus aliis virgis ad judicium villæ spectantibus constituo, ita, ut census, berna, & alia omnia onera incumbentia, ut prædicitur, de septem virgis, & quadrante, ac omnibus aliis virgis ad judicium prædictum spectantibus debent per me, & hæredes meos dari, & solvi Dominis meis prædictis omni contradictione semota. Quod si ego *Nicolaus* judex prædictus, vel hæredes mei in aliqua solutione essemus negligentes, ex tunc Dominus Abbas Brewnovienſis, vel commissarius suus potest me ad solutionem compellere, prout alios incolas villæ prædictæ per arestationes, & pœnas alias compellunt, & compellere consveverunt. In cujus rei testimonium, & ad petitionem Nicolai judicis de *Schonovia* prædicti, nos Jacobus *Reychart* Purggravius, *Marguardus Pesch*, *Petrus Burtner*, *Nicolaus Anosse*, *Petrus Meczner*, *Nicolaus Jungher*, *Nicolaus Reychwein*, *Johannes Czaud* jurati cives in *Braunov* sigillum civitatis *Braunovienſis*, ac *Konradus de Nymacz*, *Johannes Debele*, *Nicolaus Guzu* advocatus in *Braunov*, & *Nicolaus Horczicze* armigeri sigilla nosta de certa nostra scientia præsentibus duximus appen-

pendenda. Datum & actum in Braunov, anno Domini MCCCLXXXXIX. in die ſanctorum *Johannis*, & *Pauli* Martyrum.

CXLVII.

Diviſſius Abbas & Conventus Monaſterii Brzewnovienſis vendunt Bobuslao de Sedlczanek, & Elſcze ejus Conthorali Curiam cum omnibus appertinentibus in villa Brzieſtie centum quadraginta quinque ſexagenis groſſor. Prag. denar. ad dies vitæ tantum. dd. Brzewnovii in die ſancti Urbani anno 1401. Ex autographo Archivi Brewnovienſis.

Nos *Bobuslaus* de *Sedlczanek*, & *Elska* Conthoralis ipſius, Recognoſcimus tenore preſencium univerſis, quod Honorabiles & Religioſi Viri Domini *Diwiſſius* Abbas, *Philippus* Prior, *Johannes* ſupprior, & *Zyffridus* Prepoſitus, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti*, cupientes ſuam, & Monaſterii ipſorum condicionem facere meliorem, prehabita inter eos matura deliberacione ac tractatu diligenti, de conſenſu ſereniſſimi Principis, & Domini Domini *Wenceslai Romanorum* & *Boemie* Regis curiam ſuam, & ipſorum Monaſterii ſitam in villa ipſorum *Brzieſtie* cum duabus araturis, & certa parte dicte curie cum agris ad yemalia, & eſtivalia bene ſeminatis, & cum colono, ac cum tota Robota, quam habent villa in eadem, preter Robotam ſubſidium, pro qua videlicet Robota preſcripta de qualibet hereditate ſingulis annis duodecim groſſos circa feſtum ſancte *Margarethe* ab hominibus predicte ville recipiendos, aliis omnibus juribus in dictis hominibus ipſis reſervatis, cum duabus partibus pratorum ad dictam curiam pertinentibus; in qua dimiſerunt, & reliquerunt fenum, & ſtramina, ac paleas, ſex equos, tres equacias aratiles, & duas earum pullos unius anni pro quinque ſexagenis groſſorum, & triginta groſſis, ſex vaccas antiquas, duos thaurellos anni preteriti, tres vitulos juvenes, pro ſex ſexagenis, viginti oves antiquas, octo agnellos juvenes pro duabus ſexagenis, ſex ſcrophas antiquas, cum viginti & uno porcellis, octo Nazymata, (*i*) unum aprum, unum porcum pro quatuor ſexagenis, ſex ancas (*k*) antiquas pro XVI. groſſis, quinquaginta quinque pullos pro quinquaginta quinque groſſis. Item duos currus ſufferratos cum ſuis pertinenciis, duo aratra cum ſuis attinenciis, duas Erpicas, (*l*) vulgariter Wrany, unam corbam (*m*) ligneam,

(*i*) Vox barbara a Bohemico na Zymu id eſt: ſcrofulas hyemales. (*k*) Idem quod *anca* ſeu *anſer femina*. (*l*) Id eſt *irpices* ſeu *occas*. (*m*) Id eſt menſuram frumentariam.

am, duplices Rzebrziny, (*n*) duas ſportas pro fimo ducendo cum Sella, & Koſſini (*o*) ad currus pro duabus ſexagenis, & XXX. groſſis, nobis *Bobuslao* de *Sedlczanek*, & *Elſcze* conthorali ipſius ad tempora vite noſtre, & non ultra vendiderunt, expoſuerunt, & locaverunt pro centum, & quadraginta quinque ſexagenis groſſorum *Pragenſium* denariorum, ipſis per nos plene perſolutis, pecunia in parata. Quas quidem pecunias pro berna dicti Domini Regis dederunt, de qua quidem curia nobis condeſcenderunt ad tenendum, & utifruendum in vita noſtra duntaxat, & non ulterius, ſub pactis & conditionibus infra ſcriptis, videlicet, quod nos *Bobuslaus* & *Elska* certam partem dicte curie habebimus per Abbatem & Conventum nobis demonſtratam cum toto horreo, fontemque cum Plebano ibidem de *Brzieſtie* habebimus communem, nec non paſcua inſimul habere debemus cum plebano & incolis predicte ville absque dampno uniuscujusque partis. Inſuper ſepem in dicta Curia, nos in predicta curia, nos predicti laborare cum plebano prefato tenemur in loco nobis oſtenſo, & monſtrato, decimamque dicto plebano dabimus ſingulis annis hujuſmodi, videlicet II. ſtrichones (*p*) tritici, duos ſtrichones ordei, & duos ſtrichones ſiliginis, & Plebanus ſic ad nos ſe habere debet ex officio, & cura Eccleſie prefate, modo ad honeſtas perſonas ſervari conſveto. Signanter, quod nos *Bobuslaus* & *Elska* prefati poterimus res noſtras honeſte & debite ſervare in Eccleſia cum licencia plebani, & ſine dampno Monaſterii predicti. Eſt eciam expreſſum, quod dicti *Bobuslaus* & *Elska* ſtructuras & edificia dicte curie debemus conſervare, & ipſis ea relinguere in eodem ſtatu, & valore, prout nobis condeſcenderunt; ſi vero aliquid ibidem edificaverimus, ſeu in ſtructuris meliora verimus, hoc faciemus ob remedium animarum noſtrarum. Quodſi dicta curia, & ejus ſtructure per ignis voraginem extraneam, nulla noſtra culpa exigente, deſtructe, ſeu exuſte fuerint in toto, vel in parte, ad reedificationem dictorum edificiorum curie prefate non tenebimur, ſin vero dicta Curia per incuriam & ex inadvertencia ſeu negligencia vel culpa noſtra per ignem intraneum, ſeu quovis modo alio deſtructa fuerit in toto, vel in parte, per nos ſumptibus noſtris, & impenſis tenebimur reedificare. Ceterum ſi nos prefati *Bobuslaus*, ſeu *Elska* dictam Curiam, & jus, quod habemus

(*n*) Vox pure Boemica ſignificans *clatbra plauſtralia*. (*o*) Rurſum pure Bohemica ſignificans *ſtoreas*, ſeu *ſirpeas plauſtrales*. (*p*) Modios.

mus in eadem, exponere, elocare vellemus alteri homini, ex tunc ipſorum Abbatis, & Conventus predictorum conſenſu requiſito & habito homini pari, & competenti exponere poterimus non aliter, niſi ad vitam noſtram *Bobuslai* & *Elſcze* predictorum; eſt eciam adjectum, ſi nos prefatos emptores, ſeu unum ex nobis, ultimum videlicet ſuperſtitem eo tempore, quo annone & ſegetes in campis ſtarent, vel jacerent, extremam diem claudi contigerit, ex tunc omnia in campis exiſtentia ad eos, & eorum monaſterium devolventur. Si autem nos mori contigerit eo tempore, quo annone jam in curia eſſent congregate, ex tunc tenebimur ipſis Dominis prefatis, & eorum Monaſterio de ſiligine quinquaginta, & unam menſuras, de tritico ſexaginta menſuras, de ordeo yemali quadraginta menſuras, & de ordeo eſtivali XL. menſuras, de avena LVII. menſuras, de piſis tres menſuras grani puri, & mundi menſure de *Broda Boemicali*. Quodſi ultimum ſuperſtitem ex nobis duobus predictis, eo tempore viam univerſe carnis ingredi contigerit, quo aliqua pars agrorum dicte curie eſſet ſeminata, illa ſemina ad predictum monaſterium devolventur, & pro reſidua parte ſeminanda ſemina in numero preſcripto defalcatis duntaxat ſeminibus per eos poſt mortem noſtram in agris inventis ipſis dare tenebimur, ſeu Commiſſarii noſtri tenebuntur, quidquid vero ſuperfuerit, ultra res preſcriptas & taxatas, que ipſis relinquere tenemur, ſive heredes, ac ſucceſſores noſtri, aut Commiſſarii tenebuntur, videlicet in equis, pecoribus, & pecudibus, ac aliis rebus mobilibus, aut valorem earum, nec non annonis ſuperius nominatis, quas cum dictis rebus relinquere debemus, ex tunc reſidua tam in rebus ſuppellectilibus, quam in annonis nudi grani Commiſſarii noſtri prefati, ſeu Commiſſarius poterit, & poterunt abducere, recipere, de eis diſponere, prout utilius viderint expedire, preter fenum, ſtramina & paleas, que etiam ibidem tenemur relinquere, nudo grano tantum recepto, ipſique Domini prefati de prefata Curia pro abducendis rebus, aut ſuppellectilibus noſtris, equis etiam noſtris, tempore hujusmodi abduccionis fenum & ſtramina tenebuntur miniſtrare. In cujus rei evidenciam & robur firmius valiturum, ſigillum noſtrum, videlicet *Bobuslai* de *Sedlczanek*, & in teſtimonium ſigillum famoſorum virorum *Michaelis* dicti *Drsla* de *Sedlczanek*, *Wſſeborii* de *Chraſtb*, *Henzlini* de *Crſonicz*, *Alſſonis* de *Byechor* Judicis de *Byela*, preſentibus ſunt appenſa. (q) Datum & actum in prefato Mo-

(q) Sigilla quatuor integra hodie appenſa ſpectantur, unum avulſum eſt.

naſterio *Brewnovienſi*, anno Domini milleſimo quadringenteſimo primo, in die ſancti *Urbani* Martyris.

CXLVIII.

Joannes Czam Decanus & Capitulum Eccleſiæ Wiſſehradenſis conſentit, ut Diwiſſius Abbas Monaſterii Brzewnovienſis aquam ad piſcinam Monaſterii, per agros & fundos villæ Korziczan Eccleſiæ Wiſſehradenſi pertinentes, ducere poſſit. dd. in Capitulo Generali Wiſſehradenſi in die S. Gregorii anno 1402. Ex authographo Archivi Brewnovienſis.

Nos *Johannes* dictus *Czam* Decanus, (r) & Capitulum Eccleſie ſancti *Petri Wiſſegradenſis*, nullius Dioceſis, & ad *Romanam* Sedem nullo medio pertinentis, recognoſcimus tenore preſencium univerſis, quod poſtquam Venerabilis Pater Dominus *Diwiſſius* Abbas Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. *Benedicti* piſcinam magnam & ſolempnem in agris ſui Monaſterii dicte *Slatina* fundaſſet, & ne ipſa piſcina aque ſuſtineret defectum, diverſa foſſata, & varios adductus per agros vicinarum villarum, diverſorum Dominiorum cum ſatisfaccione ſufficienti fieri procuraſſet, ventum fuit eciam ad agros ville *Korziczan*, ubi Eccleſia noſtra *Wiſſegradenſis* predicta certos habere homines dinoſcitur cenſuales, & foſſato pro aque ductu facto a magna villa verſus piſcinam predictam, tacte fuerunt hereditates cenſualium Eccleſie noſtre predicte in *Korziczan* ſubſcriptorum, videlicet Johannis *Zaczek*, *Vitkonis*, *Jakubonis*, *Krb*, & *Johannis Hubal*, unde prefatus Dominus Abbas aſſeverans eisdem hominibus eciam ultra condignum ſatisfacturum, petivit attente, quatenus noſtrum daremus conſenſum favorabiliter ad premiſſa. Super quo inquiſitione facta diligenti clare reperimus hominibus noſtris predictis, pro eorum dampnis ſufficienter, videlicet dupla refuſione agrorum, amplius ſatisfactum, nolenteſque tam ingens bonum prefato Monaſterio ex hujuſmodi piſcina proveniens impediri, prefato aque ductui, & permutationi taliter facte de agris ad agros benevole conſenſimus, & preſentibus conſentimus. Harum,

(r) Hem Decanum Wiſſehradenſem tam Hammerſchmidio quam Berghauero in ſerie Decanorum Wiſſehradenſium incognituum! Non igitur Wenceslao Kralikio ſucceſſit Jacobus de Praga, ſed veroſimillime hic *Joannes Czam*. Nec Jacobus jam circa annum 1399. ut vult Hammerſchmidius, p. 577. præfuit Decanatui, quemadmodum ex anno Diplomatis hujus clare cognoſcitur.

rum, quibus ſigillum (s) noſtrum eſt appenſum, teſtimonio literarum. Datum & actum in noſtro Capitulo Generali die ſancti *Gregorii* Pape celebrari conſveto, anno Domini milleſimo quadringentiſimo ſecundo.

CXLIX.

Wolframus Archiepiſcopus Prag. teſtatur Pezlikio dupla refuſione ſatisfactum fuiſſe a Diwiſſio Abbate Braunovienſi. dd. Pragæ anno 1402. *die* 20. *Martii.* Ex Archivo Brewnov.

Wolframus Dei gratia, Archiepiſcopus *Pragenſis*, Apoſtolicæ Sedis Legatus notum facimmus tenore præſentium univerſis, quod homini noſtro, & Fratrum noſtrorum germanorum *Pauli*, & *Wenceslai* dicto *Pezlik* in villa *Koriczan* reſidenti pro particula agri ſui per foſſatum aquæ ductus ad piſcinam prope villam *Slatyna*, tacti & deſtructi, & per Dominum *Diwiſſium* Abbatem & Conventum Monaſterii *Brewnovienſis* ſufficienti, imo plus quam dupla refuſione ſatisfactum, & quod nos ad hæc propter utilitatem ejusdem Monaſterii conſenſimus, & præſentibus conſentimus harum teſtimonio literarum; quibus ſigilla noſtra in robur & fidem præmiſſorum ſunt appenſa. Datum *Pragæ* anno Domini MCCCCII. die 20. *Martii.*

CL.

Magiſtratus Majoris civitatis Pragenſis teſtatur Abbatem & Monaſterium Brewnovienſe domum ex oppoſito Jeruſalem monaſterii emiſſe a fratribus Alſſone & Hrſſone. dd. Pragæ anno 1402. *die Sabbathi proximi ante feſtum S. Eliſabeth.* Ex Archiwo Brewnov.

Nos *Franabawer* Judex, *Crux* inſtitor, *Sigiſmundus*, *Rokczaner*, *Jeſſco Meznziecz*, *Dobeſch*, *Roll*, *Rudolphus de Mulhauſen*, *Merſſo Kozel*. *Simmon de Pilzna*, *Caſpar Schotter*, *Albertus Camerer*, *Stephanus de Kladczka*, *Marcus Schotter*, *Mathias de Jempnicz*, *Jeſſco Stuppa*, *Bernhardus de Benis*, *Petrus Meznziecz*, *Ottiko* panicida, *Jacobus Smutek* & *Henricus* linicida Conſules & Jurati Cives Majoris Civitatis *Pragenſis* tenore preſentium recognoſcimus univerſis, quod diſcreti viri *Alſſo* & *Herſſo* Fratres de Bychorz domum ſeu curiam eorum cum omnibus & ſingulis pertinentiis ſuis, quæ ſita eſt ex oppoſito *Jeruſalem* prope murum Civitatis penes domum relicte olim *Hane Beneſchawer* omni eo jure ſicut ipſi eandem domum habuerunt liberam, & ſolutam ab omni

(s) Sigillum Wiſſehradenſis Capituli integrum hodie appenſum eſt, quod Num. XII. exhibitum iſtimus.

censu sponte suo, hæredum & successorum suorum nomine vendiderunt, & in publico nostræ Civitatis judicio coram nobis more solito resignaverunt Religiosis viris, Dominis, Abbati & Conventui Monasterii *Brewnoviensis* ementibus & recipientibus pro se & eorum successoribus rite & rationabiliter pro sexaginta sexagenis grossorum dictis *Alssoni* & *Herssoni* Fratribus integraliter persolutis, idcirco ipse Abbas & successores sui habent de, & cum dicta domo & ejus area supradictis plenam licentiam & liberam potestatem agendi, & faciendi de cætero, tanquam de rebus & hæreditate ipsorum propria, quidquid eorum placuerit voluntati, contradictione qualibet non obstante, quia ipse Abbas & Conventus Monasterii supradicti executi sunt & fecerunt plene cum domo & ipsius area supradictis, quod de jure dictæ nostræ Civitatis erat. Sigillum ad preces duarum partium præsentibus est appensum. Datum *Pragæ* anno Domini millesimo quadringentesimo secundo, Sabbato proximo ante festum S. *Elizabeth.*

CLI.

Innocentius VII. Papa demandat Abbati Brzewnovienſi, ut Bernardum Religiosum de Monasterio Willemovienſi in Rectorem Parochialis Ecclesiæ in Walcz Olomucenſis Diocesis instituat, & installet. dd. XI. Kalendas Junii, Pontificatus anno primo. (t) Ex Archivo Monast. Brewnov.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Abbati, Monasterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* salutem, & Apostolicam Benedictionem. Dignum arbitramur, & congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur; dudum siquidem pie memorie *Bonifacius* Papa VIIII. Predecessor noster quondam *Johanni Petro de Crisanow* Rectori Parochialis Ecclesie *in Walz Olomucenſis* Diocesis de dicta Ecclesia, quam prefatus Predecessor Monasterio Beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum in *Wylemow* Ordinis sancti *Benedicti Pragenſis* Diocesis univerat, annexuerat, & incorporaverat, & que de jure Patronatus ipsius Monasterii, ut Dilecti Filii Abbas, & Conventus eiusdem Monasterii asseuerant, fuerat, quamque per liberam resignationem bone memorie *Bartholomei* titulo sancte *Potentiane* Presbiteri *Cardinalis*, eandem Ecclesiam tunc ex concessione, & dispensatione Sedis Apostolice obtinentis, per eum de illa in manibus dicti predecessoris sponte factam, & per ipsum predecessorem

(t) Anno 1404.

rem admiſſam apud eandem ſedem vacantem vigore incorporationis, annexionis, & unionis hujusmodi fuerant pacifice aſſecuti, per revocationem unionum per ipſum predeceſſorem, videlicet XI. Kalendas Januarii, Pontificatus ſui anno quarto decimo factam, vacante, & antea diſpoſitioni Apoſtolice reſervata per ſuas literas gratioſe duxit providendum, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Dilecti Filii *Bernhardi Nicolai* de *Hlota* Monachi Monaſterii predicti petitio continebat, prefatus *Johannes* poſſeſſione ejusdem Eccleſie per eum non habita, extra *Romanam* Curiam fuerit vita functus, & ſecundum premiſſa dicta Eccleſia adhuc per obitum prefati *Johannis* vacare noſcatur; nos volentes prefatum *Bernhardum*, qui Presbiter, & ut aſſerit, ordinem ipſorum expreſſe profeſſus exiſtit, apud nos de Religionis Zelo, vite & morum honeſtate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum, pro quo etiam dicti Abbas, & Conventus nobis ſuper hoc humiliter ſupplicarunt, horum intuitu favore proſequi gratioſe, diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi per diligentem examinationem dictum *Bernhardum* bene legere, bene conſtruere, & bene cantare, ac congrue loqui latinis verbis, & alias ydoneum ad dictam Eccleſiam obtinendam eſſe inveneris, etiamſi dictus *Bernhardus* non bene cantaret, dummodo in tuis manibus juret ad ſancta Dei Evangelia, quod infra annum a tempore examinationis hujusmodi computandum, bene cantare addiſcet, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, Eccleſiam predictam, cujus fructus, redditus, & proventus, triginta quatuor marcharum argenti puri, ſecundum communem eſtimationem, valorem annuum, ut ipſe *Bernhardus* aſſerit, non excedunt, ſive ut premittitur, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscunque perſona vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collacio juxta *Lateranenſis* ſtatuta Concilii ad eandem ſedem legitime devoluta, vel Eccleſia ipſa diſpoſitioni Apoſtolice ſpecialiter vel generaliter reſervata exiſtant, ut ſuper eam inter aliquos, cujus ſtatum haberi volumus preſentibus pro expreſſo, in dicta Curia, vel extra eam pendeat indeciſa, dummodo tempore dati preſencium non ſit in ipſa Eccleſia alicui ſpecialiter jus queſitum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem *Bernhardo* auctoritate noſtra conferas, & aſſignes: inducens per te vel alium, ſeu alios eundem *Bernhardum*, vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Eccleſie, juriumque, & pertinentiarum predictorum,

rum, & defendens inductum amoto exinde quolibet detentore, ac faciens ſibi de ipſius Eccleſie fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi, Contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus tam felicis recordationis *Bonifacii* Pape VIII. eciam predeceſſoris noſtri, quam aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuscunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales dicte ſedis, vel legatorum ejus literas impetrarint, eciamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus prefatum *Bernhardum* in aſſecutione dicte Eccleſie volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari. Seu ſi Venerabili Fratri noſtro - - Epiſcopo *Olomucenſi*, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, quod ad receptionem vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuspendi, vel excommunicari non poſſint, quodque de hujusmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, preſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus nulli valeat provideri, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dicte ſedis indulgencia generali vel ſpeciali, cujuscunque tenoris exiſtat, per quam preſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ſi prefatus *Bernhardus* ad hoc repertus fuerit ydoneus, ut prefertur, ex nunc perinde irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper hys a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari, acſi die Dati preſentium eidem *Bernhardo* ad hoc reperto ydoneo de dicta Eccleſia cum interpoſitione decreti provideri mandaviſſemus. Datum *Rome* apud ſanctum *Petrum* XI. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno primo.

pro Ja. de Eſculo.
Poggius.

CLII.

CLII.

Diviſſius Abbas Monaſterii Brzewnovienſis cum ſuo Conventu disbrigat penitus curiam allodialem in villa Zlicsina a Mauricio de Praga in jus emphyteuticum acceptam. dd. Brewnow anno 1404. *die* 12. *Martii.* Ex ejusdem Archivo.

Nos *Diviſſius* Divina Miſeratione Abbas. *Johannes* Prior, *Vitus* ſupprior, *Siffridus* Præpoſitus, *Wenceslaus* ſacriſtanus, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope Pragam Ordinis ſancti *Benedicti.* Notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cum nos curiam noſtram allodialem in villa *Zlicsina* cum agris, pratis, hominibus & univerſis utilitatibus ad ipſam pertinentibus prouido viro *Mauricio de Praga* vice notario Tabularum terræ heredibus & ſucceſſoribus ſuis in jus emphyteuticum & ſub certis conditionibus ac onere cenſus duximus rite ac rationabiliter vendendum, prout in aliis noſtris literis deſuper confectis & ſibi datis inter nos habitæ lacius expreſſantur. Ita nunc & tenore præſentium, volentes præfatum *Mauritium* heredes & ſucceſſores ſuos de contractu hujusmodi facere certiorem, ne impenſas ſupra ipſa curia neceſſarias facere tepeſcat, ſi quis cujuscunque conditionis aut ſtatus fuerit, qui eum ſuper præfatis bonis quocunque jure ſpirituali aut temporali vel eorum occaſſione vel heredes ejus & ſucceſſores citare vel convenire voluerit, aut actu trahere in cauſam, promittimus bona noſtra fide pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ſub noſtræ Religionis puritate ſibi hujusmodi bona a quolibet homine Eccleſiaſtico vel mundano realiter disbrigare, prout jus Emphitevticum, quod vulgariter Purgrecht dicitur requirit ſub noſtris expenſis & impenſis, litemque & cauſam hujusmodi in nos aſſumere & eam defenſare. Itaque ipſe *Mauritius* heredes & ſucceſſores ſui proinde nullum prorſus paciantur dampnum. Si autem quod abſit exbrigare curiam & villas prædictas non poſſemus & a nobis non eſſent jure evicta, ex tunc nonaginta octo ſexagenas groſſorum, quas nobis *Mauritius* prædictus dedit, reſtituere debemus, & ſi quid in edificiis emendaverit, ad arbitrium duorum proborum ex utraque parte electorum reſarcire tenemur. Ipſe vero *Mauritius* heredes & ſucceſſores ſui nobis etiam reſtituere tenentur agros ad hiemalia bene ſeminatos & ad æſtivalia viginti ſtrichones ordei, viginti ſtrichones avenæ, & duos ſtrichones de piſis, quinquaginta octo pullos, quinque aucas; Item quinque equos, vel ſeptem ſexagenas groſſorum pro hys, vel viginti ſcrophas vel centum groſſos pro hys. Sex vaccas, unum thau-

thaurum & juvencam, vel quatuor ſexagenas & quadraginta groſſos pro hys, & unum ferratum currum & alium non ferratum pro fimo, aratrum cum Erpica ſetraha, cum attinentiis videlicet redis vel pro hys quinquaginta groſſos, quorum omnium ſumma ad quindecim ſexagenas & ſedecim groſſos aſcendit reſtituere tenebitur & debebit, ſeu heredes & ſucceſſores tenebuntur. In quorum teſtimonium ſigilla noſtra Abbatis & Conventus de certa ſcientia ſunt appenſa. Datum in Monaſterio noſtro prædicto anno Domini milleſimo quadringenteſimo quarto, die 12. menſis *Martii.*

CLIII.

Diviſſius Abbas Brewnovienſis inſtituit & fundat in Capella B. M. V. Miſſam in aurora cum cauta. dd. Brewnov die SS. Dionyſii & Sociorum anno 1404. Habetur apud Pitter. c. l. p. 81.

CLIV.

Diviſſius Abbas Brewnov Joannes Prior &c. confirmat erectionem altaris S Mariæ Magdalenæ in eccleſia Parochiali S. Ægidii ab Henrico lignicida cive Pragenſi factam, cujus cenſus locatus ſuper bona monaſterii in Trnova. dd. in octava S. Joannis Bapt. anno 1404. Habetur in Archivo Metrop. Prag. Tom. VII. Erectionum.

CLV.

Innocentius VII. confirmat incorporationem eccleſiarum Parochialium factam a Johanne epiſcopo Prag. dd. Nonis Julii anno I. (*u*) Habetur apud Ziegelbauer p. 297.

CLVI.

Diviſſius Abbas Conventus Monaſterii Brzewnovienſis conſentiunt in venditionem Curiæ in villa Ugezdecz ſub annuo cenſu factam. dd. Brzewnovii feria tertia feſto S. Hieronimi anno 1404. Ex autographo Archvi Brewnovienſis

In nomine Domini Amen. Nos *Diwiſſius* Dei & Apoſtolice ſedis gracia Abbas, *Johannes* Prior, *Vitus* ſupprior, *Siffridus* Prepoſitus, (*x*) *Wenceslaus* ſacriſtanus, *Gregorius* infirmarius, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. *Benedicti*, nullo medio ad Romanam Eccleſiam pertinentis, notum facimus univerſis, preſentes literas inſpecturis, quod nos animo deliberato, & omnium noſtrorum unanimi & concordi accedente conſenſu cupientes Monaſterii noſtri con-

(*u*) Anno 1404. (*x*) Is Diwiſſio dein ſucceſſit in Abbatiali dignitate.

conditionem facere meliorem, venditionem, quam dudum *Ulricus* Abbas, *Johannes* Prior, *Wenceslaus*, *Nicolaus* Prepositus, *Paulus* sacristanus, totusque Conventus Monasterii Brewnovienſis predicti, Discreto Viro *Paulo* Clienti de villa nostra *Sborkynie*, heredibusque suis legitimis fecerant de curia nostra cum agris in villa *Ugezdecz*, & cum omnibus juribus, ac pertinenciis, videlicet rubetis, silvis, nec non proventibus, utilitatibus, quibuscunque nominibus nuncupantur, sub annua census pensione locaverant, & exposuerant. Et quia *Witko* Cliens ibidem de *Sborkynie* heres *Pauli* supradicti Curiam cum agris, & pertinentiis universis, sicut solus tenuit a nobis, sic hominibus in villa *Ugezdecz* predicta vendidit, quam venditionem nos *Diwissius* Abbas, *Johannes* Prior, *Vitus* supprior, *Siffridus* Prepositus, *Wenceslaus* sacristanus, *Gregorius* Infirmarius, totusque Conventus Monasterii *Brzewnovienſis* predicti ratam, & gratam habentes consentimus hominibus de *Ugezdecz* predictis tenendam, habendam, utifruendam, & possidendam sub pactis & conditionibus infra scriptis, videlicet, quod prefati homines de villa *Ugezdecz* predicta, heredes, successoresque eorum de dicta curia cum agris singulis annis in perpetuum septem sexagenas grossorum *Pragenſium* denariorum in terminis infra scriptis, videlicet in die sancti *Georgii* quartam dimidiam sexagenam, & in die sancti *Galli* similiter quartam dimidiam sexagenam grossorum nobis & nostro Monasterio dare, & solvere tenebuntur, & debebunt in omnem eventum, contradiccione qualibet non obstante; Presencium quibus sigilla nostra Abbatis, & Conventus Monasterii predicti sunt appensa (*y*) testimonio literarum. Datum in Monasterio *Brewnovienſi* predicto, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quarto, feria tertia, in festo sancti *Jeronymi*.

CLVII.

Innocentius VII. Papa indulget Religioſis Monaſterii Brzewnovienſis, ut a Dominica ſeptuageſimæ, uſque ad Dominicam quinquageſimæ carnibus veſci poſſint. dd. Romæ XVI. Kalendas Decembris, Pontificatus anno primo. (*z*) Ex autographo Archivi Brewnov.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis *Diwiſſio* Abbati & Conventui, Monasterii *Brewnovienſis* prope *Pragam Romane* Ecclesie immediate subjecti, Ordinis sancti *Benedicti* salutem,

(*y*) Sigillum Abbatis mutilum est, quod Num. XIIII. excusum damus. Monasterii Sigillum penitus confractum & discerptum est. (*z*) Anno 1404.

& Apoſtolicam Benedictionem. Sacre Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis preſertim, que commodum & utilitatem veſtri Monaſterii concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis pro parte veſtra petitio continebat, ex Regularibus inſtitutis veſtri Ordinis, vos & alie perſone Regulares in dicto Monaſterio & ejus membris pro tempore degentes carnibus veſci poſſitis, preterquam in *Adventu* Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & Quartis feriis, & aliis jejuniis ab Eccleſia inſtitutis, aut alias ex laudabili conſvetudine introductis, ac in partibus illis propter intenſa & exceſſiva frigora piſces & ova tempore hyemali cum difficultate, ac in caro reperiantur, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, quod de cetero vos, & alii in Monaſterio de membris predictis degentes pro tempore a Dominica in ſeptuageſima, uſque ad Dominicam in Quinquageſima incluſive, qua in Eccleſia Dei cantatur, *Eſto mihi*; illis diebus, quibus eſus carnium communiter prohibitus non exiſtit, carnibus veſci poſſitis, ſic quod loco duarum ebdomadarum hujusmodi, duabus aliis ebdomadis feſtum *Penthecoſtes* immediate precedentibus, quibus ibidem piſces & ova facilius reperiuntur, ab hujusmodi eſu carnium abſtinere teneamini, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi ſupplicationibus inclinati vobis, & tu fili Abbas, & ſucceſſores tui Abbates dicti Monaſterii, qui erunt pro tempore, nec non relique perſone prefati Ordinis in Monaſterio, & membris predictis degentes pro tempore perpetuis futuris temporibus ſingulis annis a Dominica in *Septuageſima*, uſque ad Dominicam in *Quinquageſima* incluſive, qua in Eccleſia Dei, *Eſto mihi*, cantatur, ut prefertur, iis diebus, quibus hujusmodi eſus carnium communiter prohibitus non exiſtit, hujusmodi carnibus veſci libere, ac licite valeatis, quibuſcunque conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis, & conſvetudinibus Monaſterii & Ordinis predictorum contrariis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Ita tamen, quod loco hujusmodi duarum ebdomadarum, duabus aliis ebdomadis prefatum feſtum *Penthecoſtes* immediate precedentibus, ut prefertur, teneamini ab huiusmodi eſu carnium abſtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc at-

attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum *Rome* apud sanctum *Petrum* XVI. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Lazarus

CLVIII.

Sbinco Archiepiscopus Pragensis concedit devote visitantibus Braunoviensem Ecclesiam, quadraginta dierum Indulgentias. dd. Pragæ 7. Februarii anno 1405. Ex autographo Archivi Brewnov.

Sbinco Dei gracia sancte *Pragensis* Ecclesie Archiepiscopus, Apostolice Sedis Legatus, Universis Christi fidelibus per Civitatem & Dyocesim nostram *Pragensem* constitutis salutem in Domino sempiternam. Etsi loca singula ad honorem *Dei* omnipotentis & Gloriose Virginis *Marie*, sanctorumque ipsius Divino cultui dedicata honoribus congruis, muneribus, & dignis laudum preconiis attollere debeamus, ibi tamen prompcius, & verius hoc facere astringimur, ubi in honore sanctorum nostrorum Patronorum *Boemie* sunt dedicata, & Regularis, ac Deo placita vigere observancia comprobatur. Igitur cum Monasterium Prepositure, alias Prioratus in *Brunow* nostre *Pragensis* Dyocesis sit in honore sancti *Wenceslai* Martiris Glorioli, & Regni *Boemie* Patroni fundatum & dedicatum, nos proinde ipsum donis spiritualibus volentes copiosius insigniri, quodque Christi fideles idem Monasterium eo accedant frequencius, quo se beneficiis spiritualibus habundancius senserint consolatos. Ad devotam Venerabilis & Religiosi viri Domini *Diwissi* Abbatis Monasterii *Brewnoviensis* prope *Pragam*, Ordinis sancti *Benedicti* dicte Prepolisure, alias Prioratus in *Brunow* superioris peticionem, omnibus Cristi fidelibus vere penitentibus, contritis & confessis causa devocionis quandocunque & quociescunque predictum Monasterium in *Brunow* accesserint, & visitaverint, oracionesque suas, prout unicuique Altissimus inspiraverit, fuderint in eodem, aut pro fabrica ipsius manus porrexerint adjutrices, quique eciam quandocunque & quocienscunque coram quocunque altari, quorum septem sunt, in numero in ipso monasterio, unam oracionem Dominicam, videlicet *Pater noster*, & unam Angelicam salutationem, videlicet *Ave Maria*, preter Altare Beate *Marie* Virginis, ubi septem *Ave Maria* dici volumus, flexis genibus devote dixerint, pro quolibet actu predictorum de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus meritis, &

interceſſione confiſi, quadraginta dies indulgenciarum de injunctis eis penitenciis in Domino miſericorditer relaxamus. In cujus rei teſtimonium preſentes literas fieri, & ſigillorum noſtrorum appenſione juſſimus communiri. (*a*) Datum *Prage* anno Domini milleſimo, quadringenteſimo quinto, die ſeptima menſis Februarii.

CLIX.

Sbinco Archiepiſcopus Pragenſis concedit ſingulis 40. *dierum indulgentias, quiqui ad* 20. *altaria, quæ in eccleſia Brewnovienſi exſtructa ſunt, unam orationem dominicam, & ſalutationem Angelicam devote recitaverit. dd. Pragæ* 20. *Februarii anno* 1405. Habetur apud Pitter. p. 84.

CLX.

Wenceslaus Rex Bohemiæ indulget, atque conſentit, ut Diwiſſius Abbas certa bona in Regno Boemiæ ſparſim poſita vendere, & alia Conventui ſuo utiliora, ad ſummam duorum millium ſexagenarum groſſorum Pragenſium, emere aut commutare poſſit. dd. Mendici die ſecunda Junii anno 1405. Ex autographo Archivi Brewnov.

Wenceslaus Dei gracia *Romanorum* Rex ſemper Auguſtus & *Bohemie* Rex. Notum facimus tenore preſencium univerſis, firmiter nobis ad ſalutis & vite eterne gaudia credimus pervenire, cum Religioſarum perſonarum, que Divinis ſunt obſequiis deputate, profectibus & commodis libenter intendimus, & eisdem favorem Regium liberaliter impartimur. Sane noſtre Majeſtatis preſenciam Honorabilis & Religioſus *Diwiſſius* Abbas monaſterii noſtri *Brewnovienſis* Ordinis S. *Benedicti* prope *Pragam* devotus noſter Dilectus perſonaliter accedens nobis humiliter ſupplicavit, quatenus ſibi & Conventui ſuo favere, indulgere, & conſenſum noſtrum ad hoc prebere gracioſius dignaremur, ut videlicet ipſi certa ipſorum bona hinc inde in Regno noſtro *Boemie* ſparſim ſituata certis Regni noſtri *Bohemie* inhabitatoribus, & incolis cujuſcunque condicionis exiſtant, uſque ad ſummam duorum millium ſexagenarum groſſorum *Pragenſium* ad hominum vite tempora, ſeu perpetue vendere, & pro eadem ſumma duorum millium ſexagenarum alia certa predia, poſſeſſiones, ſive bona, libera tamen, & non feodalia in Regno noſtro *Boemie*, predicto monaſterio noſtro *Brewnovienſi* utiliora, pro ſuis & Conventus ſui utilitatibus & uſibus in locum predictorum bonorum

(*a*) Sigillum hodie appenſum eſt, quod Num. XIIII. excuſum damus.

rum ſuorum per ipſum vendendorum vice verſa, emere, & comparare aut pro aliis equivalentibus bonis permutare, & eadem uſque ad valorem predicte ſumme pecuniarum per viam permutacionis acceptare, recipere, & ſine impedimento quolibet poſſidere poſſit, & valeat, ac juſte & licite retinere. Nos vero prefati Abbatis juſtis & racionabilibus ſupplicacionibus benignius inclinati, preſertim cum juſte petentibus non ſit denegandus aſſenſus, non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſanoque fidelium noſtrorum accedente conſilio pro utilitate, commodo & profectu dicti Monaſterii *Brewnovienſis* ad vendicionis, empcionis, ac permutacionis contractum bonorum predictorum vendendorum, & comparandorum, ſeu permutandorum conſenſum noſtrum Regium adhibuimus, & eadem bona in quibuſcunque locis exiſtant, quibuſque ſpecialibus poſſint nominibus deſignari, preter bona feodalia per prefatum Abbatem, pro predicta duorum millium ſexagenarum ſumma, pro ſuis, & Conventus ſui utilitatibus & uſibus, ut premittitur, in Regno noſtro *Boemie* empta, comparata, ſeu per viam permutationis acquiſita ſibi, & ſuo Conventui ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc incorporavimus, appropriavimus, annexuimus, & univimus, incorporamus, appropriamus, annectimus, & de certa noſtra ſciencia Regia auctoritate *Boemie* gracioſius unimus, per ipſum Abbatem & Conventum predicti monaſterii noſtri habenda, tenenda, gubernanda, regenda, & adinſtar aliorum bonorum ſuorum libertate Eccleſiaſtica perpetuis temporibus pacifice poſſidenda, decernentes eciam expreſſe eadem bona per predictum Abbatem empta, & comparata ſeu per viam permutacionis, ſicut prefertur, acquiſita, in ſumma berne, quam Abbas, & Conventus ex ordinacione predeceſſorum noſtrorum de predicto monaſterio noſtro hucuſque ſolviſſe noſcuntur, ſtare & manere, nec ipſos occaſione bonorum hujuſmodi per nos, aut officiales noſtros ad ſolucionem ulterioris ſumme arceri, aut compelli quovis modo. Mandantes & committentes Nobilibus *Urzednicomibus*, ceteriſque tabularum terre Regni noſtri Boemie Beneficiariis, & ſignanter Prothonotario, & Vicenotario earundem preſentibus & futuris, firmiter & diſtricte, quatenus ipſi univerſa & ſingula bona per prefatum Abbatem predicti Monaſterii noſtri *Brewnovienſis* pro prefata duorum millium ſexagenarum groſſorum *Pragenſium* ſumma, pro ipſius monaſterii noſtri utilitatibus, & uſibus ſimul vel ſucceſſive empta & comparata, ſeu per viam permutacionis ſub numero predicte ſumme, ſicut prefertur, acqui-

quiſita, in toto, vel in parte tabulis terre juxta ritum & conſvetudinem juris Regni noſtri *Boemie* annotent, aſſignent, & inſcribant, dum & quocies oportunum fuerit, & ſuper hoc per prefatum Abbatem, & ipſius Conventum fuerint requiſiti, prout indignacionem noſtram graviſſimam voluerint arcius evitare. Preſencium ſub Regie noſtre Majeſtatis ſigillo (*b*) teſtimonio literarum. Datum *Mendici* (*c*) anno Domini milleſimo, quadringenteſimo quinto, die ſecunda Junii, Regnorum noſtrorum anno *Boemie* quadrageſimo ſecundo, *Romanorum* vero viceſimo nono.

Ad Relacionem *Sigismundi* Sub-Camerarii de *Bamberg*.

CLXI.

Wenceslaus Rex Boemiæ auget priorem conceſſionem, ut Monaſterium Brzewnovienſe ex pia hominum largitione & donatione, aut teſtamento & legatione bona, ad ſummam duorum millium ſexagenarum groſſorum Pragenſium ſuſcipere poſſit. dd. Mendici 12. Junii anno 1405. Ex autographo Archivi Brewnov.

Wenceslaus Dei gracia *Romanorum* Rex ſemper Auguſtus, & *Boemie* Rex. Notum facimus tenore preſencium univerſis. Quemadmodum pridem Religioſis Abbati, & Conventui Monaſterii noſtri *Brewnovienſis* Ordinis ſancti *eBnedicti*, prope *Pragam* devotis noſtris dilectis favimus, & indulſimus, ut videlicet ipſi pro ſuis, & ipſius Monaſterii utilitatibus bona, poſſeſſiones, & villas conjunctim vel diviſim cum eorum pertinenciis, feodalibus tamen omnino exceptis, pro duobus millibus *Pragenſium* groſſorum ſexagenis a quibuſcunque perſonis libere, & licite emere, & comparare poſſent, ſicut idipſum in literis ipſis deſuper datis, plenius eſt expreſſum; ſic & nunc non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſanoque fidelium noſtrorum accedente conſilio, predictis Abbati, & Conventui iteratis vicibus favemus, & virtute preſencium de Regie noſtre poteſtatis plenitudine gracioſius indulgemus, & hanc graciam facimus ſpecialem, ut videlicet ipſi pro predictis duobus millibus ſexagenarum groſſorum *Pragenſium* certa bona in Regno noſtro *Boemie* emere, & comparare, ſeu ex pia hominum largicione & donacione aut teſtamento & legacione quorumcunque, uſque

(*b*) Sigillum integrum hodie appenſum eſt. (*c*) Hodie paſſim locus *Zebrak* appellatur.

que ad ejusdem ſumme numerum ſuſcipere poſſint, & valeant, impedimentis non obſtantibus quibuſcunque, quorum eciam bonorum empcionem, & comparacionem, ſeu donacionem ſive largicionem tociens, quociens ſimul vel ſucceſſive in effectum pervenerint, ex nunc prout ex tunc, & tunc prout ex nunc Regia auctoritate *Boemie*, & de certa noſtra ſciencia approbamus, ratificamus, & preſentis ſcripti patrocinio gracioſius confirmamus, decernentes, & expreſſe volentes, ipſorum bonorum contractum ſive donacionem, aut legacionem ad preſens exiſtentes, ſeu proceſſu temporis realiter fiendas, uſque ad ſummam duorum milliu̇m ſexagenarum groſſorum *Pragenſium*, ſicut premittitur, inviolabilis roboris perpetuam firmitatem obtinere debere, & hujuſmodi bona per Abbatem & Conventum predictis uſque ad ſummam duorum millium ſexagenarum groſſorum *Pragenſium* predictam, empta, & comparata, ſeu eisdem ex pia hominum largicione donata, aut ex teſtamento legata, in quibuscunque locis exiſtant, quibuscunque eciam nuncupentur nominibus, per eundem Abbatem, & Conventum Monaſterii noſtri *Brewnovienſis* haberi, teneri, & ad inſtar aliorum bonorum Eccleſiaſtica libertate perpetuis temporibus pacifice poſſideri, nec non in ſumma berne, quam ipſi ex ordinacione predeceſſorum noſtrorum de predicto Monaſterio noſtro hucuſque ad Regalem Cameram noſtram ſolviſſe noſcuntur, ſtare & manere, nec occaſione bonorum hujusmodi per nos, & officiales noſtros ad ſolucionem ulterioris ſumme arceri, aut compelli quovis modo. Mandantes, & committentes Nobilibus *Urzedniconibus*, ceteriſque Tabularum terre Beneficiariis, & ſignanter Prothonotario, & Vicenotario earundem preſentibus & futuris firmiter, & diſtricte, quatenus ipſi univerſa & ſingula bona per prefatum Abbatem predicti Monaſterii noſtri *Brzewnovienſis* pro prefata duorum millium ſexagenarum groſſorum *Pragenſium* ſumma, pro ipſius Monaſterii noſtri utilitatibus, & uſibus ſimul, vel ſucceſſive comparata, ſeu ipſis uſque ad valorem ſumme predicte ex pia hominum largicione donata ſeu ex teſtamento legata in toto, vel in parte tabulis terre Regni noſtri *Boemie* annotent, aſſignent, & inſcribant, dum & quociens oportunum fuerit, & ſuper hoc per ipſum Abbatem & Conventum ipſius fuerint requiſiti, prout indignacionem noſtram graviſſimam voluerint arcius evitare. In caſum eciam, quo virtute indulti noſtri predicti certa bona per prefatum Abbatem empta, & comparata, ſeu ſibi ex pia hominum largicione donata, aut ex teſtamento, ſicut prefertur, legata quocunque

que nomine nuncupentur, prius tabulis terris annotata, & assignata forent, hanc assignacionem ratam, & gratam habentes, & Regia auctoritate *Boemie*, & de certa nostra sciencia gracioſius confirmamus, & eandem inviolabilis roboris perpetuis temporibus firmitatem obtinere volentes, acsi idipsum in nostris literis prioribus ipsis super prefato indulto nostro prius per nos datis, expressum facta fuisset mencio specialis. Presencium sub Regie nostre Majestatis sigillo (*d*) testimonio literarum. Datum *Mendici* anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinto, die duodecima Junii, Regnorum nostrorum anno *Boemie* quadrageſimo ſecundo, *Romanorum* vero viceſimo. (*e*)

Ad Relacionem *Sigismundi* Sub-Camerarii.
Johannes de Bamberg.

CLXII.

Wenceslaus Crater de Trzeboſſtovitz profitetur ſe villam Trzeboſſtovitz a Diviſſio Abbate & Conventu Brzewnovienſi accepiſſe ad tempus vitæ ſub annuo cenſu decem ſexagenarum. dd. Pragæ anno 1406. *die* 4ta *Maji.*

Ex Archivo Brewnov.

Nos *Wenceslaus Crather de Trzeboſſtowicz* tenore præſentium notificamus univerſis. Quod Venerabiles & Religioſi viri Dominus *Diviſſius* Abbas, *Johannes* Prior, *Mathias* ſupprior, *Ziſridus* Præpoſitus, *Wenceslaus* ſacriſtanus, *Gregorius* infirmarius totuſque Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti*, ſana deliberatione & tractatibus capitularibus præhabitis ex pronuntiatione Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini *Sbinkonis* ſanctæ *Pragenſis* Eccleſiæ Archiepiſcopi, Apoſtolicæ Sedis legati arbitri per nos ex una & prædictos Dominos Abbatem & Conventum Monaſterii *Brewnovienſis* ante dicti poſt multas diſſenſiones inter nos habitas electi, villam Monaſterii ipſorum *Trzeboſſtowicz* nuncupatam prope *Suczka* cum omnibus ſuis & ſingulis pertinentiis videlicet cum munitione, curia, duabus araturis, pratis, paſcuis, aquis, paludibus, libertatibus, fructibus, utilitatibus, juribus & obventionibus univerſis directo dominio ad præſcriptum Monaſterium ſpectantibus & pertinentibus nobis *Wenceslao Crather* ante dicto tenenda, poſſidenda, & utifruenda uſque ad tempo-

(*d*) Sigillum integrum hodie appenſum eſt. (*e*) Deſideratur *nono.*

pora vitæ noſtræ duntaxat & non ultra ſub conditionibus infra ſcriptis dederunt, tradiderunt, deputarunt & aſſignarunt, ita tamen & taliter quod nos *Wenceslaus* ſupradictus dictis Dominis Abbati & Conventui & ipſorum Monaſterio *Brewnovienſi* antedicto de dictis villa, curia & ipſorum pertinentiis dare & ſolvere tenebimur & debebimus, ac præſentibus promittimus in omnem eventum decem ſexagenas groſſorum denariorum *Pragenſium* annuatim nomine cenſus, videlicet in feſto ſancti *Galli* nunc proxime venturo, quinque ſexagenas groſſorum *Pragenſium* denariorum per nos vel nuncium noſtrum in Monaſterio *Brewnovienſi*, & in feſto ſancti *Georgii* deinde immediate ſecuturo ſimiliter quinque ſexagenas groſſorum prædictorum & ſic deinceps ſingulis annis, quamdiu agemus in humanis; in caſu vero ſi prædictum cenſum in terminis ſupra dictis, aut aliquo ipſorum terminorum & infra quatuordecim dies immediate ſequentes prædictis Dominis Abbati & Conventui & ipſorum Monaſterio non perſolverimus, aut in ſolutione dicti cenſus negligentes extiterimus, ex tunc in pœnam quatuor ſexagenarum groſſorum prædictorum ipſo facto incurremus dictis Domino Abbati, & Conventui ac ipſorum Monaſterio cum principali cenſu irremiſſibiliter dandarum & perſolvendarum. Et ſi infra alios XIIII. dies, prædictos XIIII. immediate ſequentes dictum cenſum una cum pœna præſcripta dictis Domino Abbati & Conventui & Monaſterio ipſorum non perſolverimus ex tunc ſententiam excommunicationis in nos per ſupraſcriptum Dominum Archiepiſcopum in ſcriptis latam & promulgatam dictis XIIII. diebus elapſis mox incurremus. Si autem adhuc per alios XIIII. poſt præſcriptos immediate ſequentes cenſum eundem una cum pœna prædicta memorata Dominis Abbati, & Conventui & ipſorum Monaſterio dare & ſolvere neglexerimus & excommunicationis ſententiam antedictam ſuſtinuerimus, ex tunc eoipſo mox ab omni jure, quod nos in præſcripta villa & curia *Trzebohſtowitz* & ipſorum pertinentiis quibuslibet competebat aut competere quovis modo poterit & competere poteſt, cademus & amplius nullum jus nobis ad præſcripta bona competat aut competere quovis modo poterit, ſed Abbas & Conventus prædicti de dictis bonis ipſorumque pertinentiis ſe libere intromittant & intromittere poterunt impedimentis quibuslibet procul motis. Si vero nos ſæpe nominatos Abbatem & Conventum per nos alium ſeu alios directe vel indirecte occulte vel manifeſte in poſſeſſione pacifica dictorum bonorum impediverimus ſeu impediri procuraverimus, ex tunc per Dominum Archiepiſcopum & ip-

ſius officiales, qui pro tempore fuerint, compelli poterimus ad ceſſandum a dictis impedimentis Eccleſiaſticam per cenſuram etiam uſque ad brachium ſeculare incluſive. Si vero bernam Regalem toti Regno *Boemie* imponi contigerit, tunc nos *Wenceslaus* prænominatus infra quatuordecim dies a proclamatione dictæ bernæ computando dictis Dominis Abbati & Conventui & ipſorum Monaſterio triginta duos groſſos denar. pragenſes per nos aut noſtrum nuntium in dicto Monaſterio dare debemus, & præſentibus promittimus ſub pœnis ſuperius expreſſis. Eſt etiam expreſſum, quod nos *Wenceslaus* nulli omnino hominum, cujuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtant, dicta bona in *Trzeboſſtowitz* cum ſuis pertinentiis ſive jus jurium, quod nobis in eisdem bonis competit, & competere apparet ex præmiſſis, vendere, alienare, transferre quocunque modo & quocunque colore quæſito in alium vel in alios non poterimus ſub pœnis ſimiliter ſuperius expreſſis. Cæterum cum nos *Wenceslaum* prælibatum de hoc ſeculo migrare contigerit, ex tunc præſcripta villa *Trzeboſſtowitz*, municio cum duabus araturis, pratis, paſcuis, aquis paludibus, libertatibus, fructibus, utilitatibus, ædificiis, ſtructuris ac omnibus juribus & emolumentis ad eadem bona ab antiquo ſpectantibus abſque omni impedimento hæredum, ſucceſſorum, conſanquineorum, amicorum & aliorum quorumcunque hominum ad ſæpe dictos Dominos Abbatem & Conventum & ipſorum Monaſterium in eisdem terminis & metis & gadibus, ſicut ipſa a dicto Monaſterio nos & prædeceſſores noſtri tenuimus & tenuerunt libere, abſque omni ſolutione cujuſcunque pecuniæ ipſo facto revertentur & devolventur, omnibus impedimentis & contradictionibus ceſſantibus; ad cujus rei evidentiam ſigillum & ad preces noſtras ſigilla videlicet præfati Domini Archiepiſcopi *Pragenſis*, & Nobilis Domini *Wilhelmi de Hazenburg* ac famoſi *Wyckerii de Jenyſſowicz* Vice-Purgravii Caſtri *Pragenſis* præſentibus ſunt appenſa. Datum & actum *Pragæ* anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto, die ſancti *Gothardi*, quæ fuit dies quarta menſis Maji.

CLXIII.

Literæ Diviſſii Abbatis Brewnovienſis ſuper annuo cenſu quindecim groſſorum pro eccleſia Parochiali in oppido Klumin ad monaſterium Brewnovienſe ſpectante. dd. 1406. *confirmat Adam de Neczeticz* 5. *Maji eodem anno.* Habetur in Archivo Metrop. Prag. Tomo. VII. Erectionum.

CLXIV.

CLXIV.

Gregorius XII. Diviſſii Abbatis Brzewnovienſis fundatam anno 1404. *Miſſam de B. M. V. in aurora cum cantu & certis inter fratres monaſterii diſtributionibus confirmat.* (*f*) *dd. Romæ anno I. Pontificatus* 1406. Habetur in Archivo Metrop. Prag. Tomo. VII. Erectionum.

CLXV.

Wenceslaus Boemiæ Rex eximit Abbatem & Conventum monaſterii Brewnovienſis, per quatuor annos continuos a bernis Regalibus in compenſationem ſexaginta marcarum groſſorum Pragenſium Regi in ſubſidium ſpeciale donatorum. dd. Mendici 18. *Julii anno* 1406. Ex autographo Archivi Brewnov.

Wenceslaus Dei gracia *Romanorum* Rex ſemper Auguſtus, & *Boemie* Rex. Notum facimus tenore preſencium univerſis, quod cum Religioſi Abbas & Conventus Monaſterii noſtri *Brewnovienſis* devoti dilecti, tanquam honoris, & nominis noſtri avidi zelatores ad hoc, ut nos ſacrum Romanorum Imperium ad obedienciam noſtram priſtinam, ſicut in hoc Regia Celſitudo noſtra ſuum ſtabilivit propoſitum, feliciter, & potenter reducere poſſimus & valeamus, & tam ejusdem ſacri Romani Imperii, quam eciam peculiaris Regni noſtri *Boemie*, quibus auſpice Deo juſto titulo preſidemus, bonum ſtatum & commodum, prout ex debito tenemur, univerſaliter procuranda, ſexaginta marcas graves groſſorum *Pragenſium* in ſubſidium noſtrum ſpeciale dederunt, & donaverunt. Quarum eciam pretextu, nec non aliarum ſummarum Regalium bernarum nobis per ipſos prius ſepius datarum, magnis, ſicut ab experto cognovimus, ſunt debitis graviter involuti ad preſens, adeo, niſi Regia noſtra ſerenitas ipſis ſuccurrat in tempore, ipſi proceſſu temporis, ſicut accepimus, prolabi poſſent in ipſorum exterminium ultimatum. Ne igitur prefatum Monaſterium noſtrum pretextu debitorum ſuorum predictorum noſtris temporibus in ſuis bonis totaliter ſuccumbere, ſed pocius felicia incrementa ſuſcipere, nec eciam cultus Divinus in eodem Monaſterio premiſſis ex cauſis diminui, ſed pocius ad laudem & gloriam omnipotentis *Dei* & intemerate ejus Genitricis Virginis *Ma-*

(*f*) Hæc Bulla Gregorii XII. maximum elogium Diviſſii Abbatis complectitur, quod is non ſine diminutione patrimonii parentum & cognatorum ſuorum monaſterium multis debitis gravatum exoneraverit, complura alienata bona ſuo ære redemerit, villas Libus & Ugezdecz comparaverit &c.

rie augeri & creſcere videatur; nos non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſanoque fidelium noſtrorum accedente conſilio Abbatem & Conventum prefati monaſterii in recompenſam predictarum ſexaginta marcarum nobis ad preſens in ſubſidium, ut premittitur, datarum, a die date preſencium per quatuor annos continuos immediate ſe ſequentes in ſummis Regalium bernarum nobis per ipſos in eisdem quatuor annis donandarum, & perſolvendarum, abſolvimus, exemimus, quittavimus, & libertavimus, abſolvimus, eximimus, & virtute preſencium Regia auctoritate *Boemie* quittamus, & gracioſius libertamus, univerſas eciam & ſingulas proſcripciones per nos ſuper prefatis ſummis quibuſvis perſonis in toto, vel in parte prius factas, ſeu in predictorum quatuor amorum ſpacio, ex oblivione, ſeu inadvertencia noſtra, aut alia de cauſa quacunque per nos fiendas caſſamus, annullamus, & virtute preſencium, de certa noſtra ſciencia viribus totaliter vacuamus, volentes expreſſe, ne quiſpiam, cujuſcunque condicionis extiterit, pretextu hujuſmodi proſcripcionis noſtre prefatum monaſterium noſtrum in ſuis hominibus, atque bonis in prefatorum quatuor annorum ſpacio impediat, ſeu moleſtet quovis modo. Mandamus eciam univerſis & ſingulis Regni noſtri *Boemie* officialibus, & ſignanter ſubcamerario, qui ſunt, ſeu pro tempore fuerint firmiter & diſtricte, quatenus ipſi de prefato monaſterio in predictorum quatuor annorum ſpacio nullam Regalis berne ſummam exigant, poſtulent, aut requirant, nec ad ſolucionem ipſarum arceant, vel compellant quovis modo, prout indignacionem noſtram graviſſimam voluerint arcius evitare. Preſencium ſub Regie noſtre Majeſtatis ſigillo (*g*) teſtimonio literarum. Datum *Mendici*, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto, die decima octava Julii, Regnorum noſtrorum anno *Boemie* quadrageſimo quarto, *Romanorum* vero triceſimo primo.

P. D. *Jodocum* Marchionem *Moravie*, *Conradum* ſubcamerarium, *Johannem Cruſſina* Magiſtrum Curie, *Johannem* de *Bamberg*, &c.

CLXVI.

(*g*) Sigillum integrum hodie appenſum eſt.

CLXVI.

Joannes de Satz civis Pragenſis fatetur ſe ratione vineæ in fundo Brewnovienſi ſitæ debere monaſterio annui cenſus nomine duodecim groſſos. dd. Pragæ 1407. *ultima Maji.* Ex Archivo Brewnov.

Noverint univerſi quod ego *Joannes de Zatz* Civis Majoris Civitatis *Pragenſis* notum facio tenore præſentium univerſis meo hæredum & ſucceſſorum nomine, quod honorabilibus & Religioſis Fratribus, Abbati & Conventui Monaſterii *Brzewnovienſis* Ordinis S *Benedicti* deputo, atque virtute præſentium præſcribo duodecim groſſos *Pragenſes* cenſus annui & perpetui ſuper vinea mea ſita in bonis Monaſterii *Brewnovienſis* prædicti ſub vinea olim *Nicolai* Notarii *Morrorum* pro & ratione piſcinæ, quæ eſt in eadem vinea mea in loco ſeu fundo, ubi prius erat pratum, nunc de novo feci & laboravi ſic videlicet; quod ego præfatus *Joannes*, hæredes & ſucceſſores mei, & ejusdem vineæ meæ poſſeſſores eundem cenſum videlicet duodecim groſſorum, ſimul & ſemel ſingulis annis in feſto S. *Galli* eidem Abbati, & Conventui Monaſterii, prædicti dare & cenſurare debemus in contradictione & impedimentis quibuslibet procul motis, quandocunque autem in præmiſſo feſto, & infra octavam deinde continuam cenſus, ut præmittitur, debitus non fuerit per me, hæredes & ſucceſſores meos perſolutus, ex tunc Abbas & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prædicti poterit in præmiſſa vinea & ipſius utilitatibus pro eodem cenſu non ſoluto, & inſuper pro duobus groſſis, qui ſingulis ſeptimanis nomine pœnæ accreverint adjutorio Magiſtri montium vinearum impignorare. In quoram teſtimonium ſigillum Magiſtri montium vinearum ad partes dictarum partium præſentibus eſt appenſum. Datum *Pragæ* anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo in die S. *Petronellæ* Virginis, quæ fuit dies ultima Maji.

CLXVII.

Recuperatio certorum agrorum Eccleſiæ in Villa Libiz ad Monaſterium Brzeunovienſe ſpectante. dd. Pragæ anno 1407. *die* 16. *Junii.* Ex Archivo Metrop. Prag. Tomo. VII. Erectionum. M. 9.

Joannes Kbel &c. Ad Univerſorum tam præſentium quam futurorum deducimus notitiam, quod ex literis certis coram nobis exhibitis accepimus qualiter dudum Religioſi Viri Domini Abbas Conventus Monaſterii *Brzeunovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. *Benedicti*, & *Prostiva* vel Plebanus Eccleſiæ in *Libiz Pragenſis* Diœceſis, conditionem dictorum Monaſterii, & Eccleſiæ cupientes facere meliorem, certos agros videlicet Abbas & Conventus agros unius hæreditatis cum media pro-

prope villam *Libiz*, quos olim *Crux* & *Jacobus* laici excoluerunt, pro aliis agris ſimiliter Eccleſiæ in *Zep*, Matricis Eccleſiæ in *Libiz* antedictæ, quos quondam ibidem *Diviſſius* tenuit & poſſedit, adinvicem permutarunt, quos agros ex hujusmodi permutatione dictum Monaſterium & Eccleſia ante dicta tenuerunt & poſſederunt. Et quia Venerabiles ac Religioſi Viri Domini *Diviſſius* Abbas, & Conventus Monaſterii antedicti & frater *Rziwinus* nunc Plebanus Eccleſiæ in *Libiz* prædictæ cenſuerunt ex utraque parte utilius quod dicta permutacione non obſtante, agri in *Libiz* ad Monaſterium Brzeunovienſe, & agri prope *Zep* ad Eccleſiam in *Libiz* ante dictam cum ipſorum pertinentiis revertantur, hoc ipſum petentes admitti, dictoſque Monaſterium & Eccleſiam ad agros priores reſtitui & reintegrari. Nos vero informari cupientes an ex dictorum agrorum reſtitutione utilitas dictis Monaſterio & Eccleſiæ procuraretur, Honorabili Viro Domino *Styerio* Rectori Altaris S. *Dorotheæ* in Eccleſia *Pragenſi* dedimus in commiſſis, ut ſuper præmiſſis inquirere, & de dicta utilitate nos informare deberet, verum quia ex dicti Domini *Styerii* relatione, quam accepimus, reſtitucionem dictorum agrorum tam Monaſterio quam Eccleſiæ memoratæ invenimus utilem & fructuoſam. Ideo petitionibus nobis, ut præmittitur, oblatis ſupra præmiſſis tanquam juſtis, rationabilibus, & juri conſonis favorabiliter annuentes, dictos Monaſterium, & Plebanum ad agros priſtinos, in quorum poſſeſſione ante dictam permutationem fuerant, reſtituimus, decernentes præſentibus ut agri in *Libiz* ad Monaſterium *Brzeunovienſe*, & agri in *Zep* ad eandem Eccleſiam & ipſius Matricem in *Libiz* ſpectent & pertineant prout prius ante dictam permutationem ſpectaverunt, & pertinuerunt. In Cujus &c. Datum *Pragæ* anno Domini 1407. die 16. menſis *Junii*.

CLXVIII.

Sbinconis Archiepiſcopi Pragenſis literæ confirmatoriæ ejusdem recuperationis. dd. Pragæ anno 1407. In eodem Archivo Tomo. VII. Erectionum.

CLXVIIII.

Diviſſius Abbas & Monaſterium Brewnovienſe permutat certos cenſus cum Domino Joanne Altariſta S. Margarethæ in eccleſia S. Caſtuli. dd. Brewnovii 17. *Aprilis anno* 1408. Ex Archivo Metrop. Tomo. VIII. Erectionum. B. 10.

Joannes Kbel Decretorum Doctor &c. Univerſis, & ſingulis præſentibus & futuris, ad quorum notitiam præſentes contigerit pervenire. Notum facimus per præſentes quod ad Noſtram notitiam eſt deductum per Ve-

Venerabilem Virum *Diviſſium* Abbatem Monaſterii *Brzeunovienſis* Ordinis ſancti *Benedicti* & honorabilem Virum Dominum *Joannem* Rectorem Altaris S. *Margaretbæ* in Eccleſia S. *Caſtuli* Majoris Civitatis *Pragenſis*; qualiter ipſe Dominus Abbas dicti ſui Monaſterii, & Dominus *Joannes* dicti ſui Altaris conditionem cupientes facere meliorem, præmiſſis debitis tractatibus, quos habent in villis & hominibus infra ſcriptis: videlicet Dominus Abbas cenſum annuum 2 ſexagenarum groſſorum Pragenſis monetæ| in villa *Welties* ſuper *Antonio* laico, & Dominus *Joannes* cenſum 1 ſexagenæ cum 36 groſſ. Prag. groſſorum antedictorum ſimiliter annui in Villa *Korziczan* ſuper *Przibikone* & ipſorum hæreditatibus ad invicem permutare diſpoſuerunt, & quantum in ipſis fuit & eſt, permutarunt, petentes hujuſmodi permutationem per nos admitti, ipſamque approbari, ratificari, auctorizari, & ordinaria auctoritate confirmari, cenſus quoque antedictos videlicet in *Korziczan* dicto Monaſterio *Brzeunovienſi*, & in *Welties* præſcripto Altari & ipſorum Rectoribus perpetuo annecti, uniri, applicari, inviſcerari, & incorporari. Nos vero informari cupientes an ex præmiſſa permutatione, utilitas & commodum præſcriptis Monaſterio, Altari & ipſorum Rectoribus proveniat, inquiſitionem ſuper hoc per honorabilem Virum Dominum Plebanum Eccleſiæ in *Magna Villa*, ejusdem Villæ dictæ, a teſtibus fide dignis juramento cujuslibet præcedente fieri fecimus diligentem, & quia ex inquiſitione per nos viſa invenimus & comperimus utilitatem & commodum non modicum præſcriptis Monaſterio & Altari & ipſorum Rectoribus provenire, ideo petitionibus memoratorum Dominorum Abbatis & *Joannis* tanquam juſtis rationibus & juri conſonis favorabiliter annuentes præfatam permutationem, prout rite & rationabiliter facta exiſtit, admiſimus & admittimus per præſentes, ipſamque approbamus, ratificamus, auctorizamus, & auctoritate ordinaria confirmamus, cenſus quoque ſuperius deſcriptos videlicet in *Korziczan* prædicto Monaſterio *Brzeunovienſi* & in *Welties* dicto Altari *S. Margarethæ* & ipſorum Rectoribus perpetuo annectimus, unimus, applicamus, & incorporamus. In cujus rei &c. Datum *Pragæ* anno Domini 1408. die 17. menſis *Aprilis*.

CLXX.

Religioſus Vir Rzivinus profeſſus monaſterii Brewnovienſis fatetur Ziffridi (b) & totius Conventus nomine, quod ad eccleſiam in Swrlin cer-

(b) Ziegelbauerus anno eodem 1409. Diviſſium obiiſſe ſcribit, quod ſi ita eſt, ipſo anni

certi agri ſpectent. dd. 26. Februarii anno 1409. Habetur in Archivo Metrop. Tomo. XII. Erectionum.

CLXXI.

Zyffridus Abbas Brewnovienſis confirmat ſexagenam annui cenſus a Mathuſſio & Nyetba conjuge illius Policenſi Monaſterio pro anniverſario ſolvendam. dd. in Brewnov 1411. *in die S. Georgii.* Ex Archivo Brewnov.

Nos *Zyffridus* Divina miſeratione Abbas. *Nicolaus* Prior, *Johannes* ſubprior, *Clemens* Præpoſitus, *Nicolaus* Sacriſtanus, *Gregorius* Pitanciarius totuſque Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. Benedicti, recognoſcimus tenore præſentium univerſis, & ſingulis præſentibus & futuris præſens privilegium viſuris, lecturis, auditutis, quod Frater *Wenceslaus* ejusdem Monaſterii *Brewnovienſis* profeſſus, tunc vero in *Brunow* plebanus exiſtens, ac *Hermannus* carnifex civis ejusdem noſtræ civitatis *Brumovienſis*, nec non *Elizabeth* legitima conjux dicti *Hermanni* carnificis de conſenſu *Diviſſii* Abbatis dicti Monaſterii *Brewnovienſis* noſtri anteceſſoris ac Fratris *Nicolai* tunc in *Brumow* Præpoſiti exiſtentis emerunt quatuor laneos, ſive manſos liberos, & ſolutos, ad judicium quondam pertinentes in villa *Scboenow* dictæ noſtræ Præpoſituræ *Brumovienſis* a *Nicolao* dicto *Horczycze* cliente de *Tholmeczendorff* alias *Kunczycze*, & *Dorothea* legitima conjuge ipſius *Nicolai Horczycze* ſupradicti, ſibi & ſuis hæredibus perpetuis temporibus utendis, poſſidendis, ac fruendis, pro quadraginta ſexagenis groſſorum *Pragenſium*, quas eidem dicto *Nicolao Horczycze* & *Dorotheæ* conjugi ipſius plene, & integre perſolverunt, prout hæc, & alia de dicta venditione & emptione in privilegio deſuper confecto ſub tribus ſigillis, videlicet dicti *Nicolai Horczycze*, & *Ottonis* dicti *Maltuicz* fratris dicti *Nicolai Horczycze*, nec non civium noſtræ Civitatis *Brumovienſis* plenius ſunt expreſſa. Qui quidem quatuor lanei in dictum *Nicolaum Horczycze* legitime ſunt devoluti per matrimonium contractum cum dicta *Dorothea*, quam de & cum eisdem quatuor laneis, qui in villa *Scboenow* continentur, duxit legitimam in uxorem. Nam in eandem *Dorotheam* ſupradictam jure hæreditario fuerunt dicti quatuor lanei legitime devoluti, de quibus ſupradictis quatuor laneis in villa *Scboenow* ſolvuntur quatuor

ni principio mortuum fuiſſe oportet, cum iſthic jam 26. Februarii legatur Ziffridus, qui juxta eundem numero XXV. Abbas conſtituitur, diemque ſupremum anno 1419. clauſiſſe refertur.

tuor ſexagenæ annui & perpetui, veri & legitimi cenſus, fratri *Wenceslao* ſuperius dicto duæ, & *Hermanno* carnifici cum ſuis hæredibus duæ indiviſim tamen circa feſtum S. *Galli*. Qui Frater *Wenceslaus* ſæpe dictus in eisdem quatuor laneis in villa *Schoenow* vendidit unam ſexagenam dicti annui, & perpetui cenſus provido, ac Diſcreto viro *Mathiæ*, alias *Mathuſſio*, & *Nyethyæ* legitimæ conjugi ipſius *Mathuſſii* natis quondam de diſtrictu noſtræ Præpoſituræ *Policenſis*, nec non hæredibus eorundem *Mathuſſii*, & *Nyethyæ* ſupradictorum pacifice & quiete perpetuis temporibus poſſidendam pro decem ſexagenis groſſorum *Pragenſium*, quas quidem decem ſexagenas perſolvit dictus *Mathuſſius* dicto fratri *Wenceslao* plene & integre cum effectu: Qui quidem *Mathuſſius* & *Nyethya* ſuperius memorati dictam ſexagenam annui, & perpetui cenſus, dederunt, legaverunt, & aſſignaverunt fratribus Conventualibus pro pitancia ipſorum in Præpoſitura *Policenſi* manentibus, nunc & futuris fratribus dictæ Præpoſituræ *Policenſis* perpetuis temporibus poſſidendam, utendam, fruendam, in dictis quatuor laneis in villa *Schoenow* cum omni jure, & utilitate ſibi, & ſuis hæredibus in dicto cenſu nihil omnino juris relinquentes pro remedio animarum ſuarum dicti videlicet *Mathuſſii* & *Nyethyæ* conjugis ſuæ, nec non prædeceſſorum ſuorum ſub hiis conditionibus, ut in depoſitione ipſorum *Mathuſſii* & *Nyethyæ* ſupradictorum duntaxat, & non aliorum Miſſa & vigiliæ decantentur, dum eorum fuerint dictis fratribus in *Policz* obitus nunciatus. Vigilias vero & Miſſam ſemel in anno perpetuis temporibus circa feſtum S. *Wenceslai* a primo anno dationis ſeu receptionis dicti cenſus incipientes, & deinceps ſingulis annis debent, & tenebuntur decantare pro ſuffragio animarum jam dictorum *Mathuſſii* & *Nyethyæ*, nec non prædeceſſorum ipſorum, qualibet excuſatione non obſtante omnino, vel contradicente. Quod ſi aliter dicti Fratres fecerint, quod abſit, & dictas vigilias & Miſſam, ut præfertur, non decantaverint ſemel in anno, ex tunc dicti *Mathuſſius* & *Nyethya* ac hæredes ipſorum ſeu teſtamentarii, vel commiſſarii eorundem habent, habebunt plenam, & omnimodam poteſtatem auferre, & alienare a dictis fratribus in *Policz* dictam ſexagenam cenſus, & dare, ubi, vel cui placuerit ſine omni ſtrepitu defenſionis, contradictionis tam ſpiritualis, quam ſæcularis judicii, & perſonæ vel cujuslibet poteſtatis. Quam ſexagenam prætacti cenſus debent, & poſſunt prædicti fratres in *Policz* manentes per ſe, vel nuncium ſeu quemlibet Commiſſarium ſuum in dictis quatuor laneis ſeu hominibus dictos

quatuor laneos poſſidentibus & tenentibus in villa *Schoenow* colligere, recipere dictam ſexagenam cenſus jam ſuperius expreſſam. Nos vero *Zyffridus* divina providentia Abbas ſuperius memoratus cum omnibus fratribus noſtri Monaſterii *Brzewnovienſis* antedicti omnia ſupra ſcripta, videlicet venditiones, emptiones, legationes, obligationes, & omnes alias clauſulas ratificamus, approbamus, confirmamus, tenere, teneriqúe volumus perpetuis temporibus per nos, ac noſtros ſucceſſores Abbates, Præpoſitos, Conventualesque Fratres, quantum ſe jus, & contractus extendit inter nos, & ſpecialiter Fratres Præpoſituræ *Policenſis*, ac dictum *Matbuſſium* & *Nyetbyam* ipſius legitimam conthoralem hæredesque ipſorum, promittentes omnia, & ſingula ſupraſcripta rata, grata, firmaque tenere, & teneri perpetuis temporibus inviolabiliter ſine dolo. In cujus rei teſtimonium roburque firmiſſimum ſigilla noſtra videlicet Abbatis & Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* ſunt appenſa. Acta ſunt hæc anno Domini MCCCCXI. in die ſanctorum *Georgii*, *Adalberti* Patroni noſtri glorioſi, in Monaſterio noſtro *Brzewnovienſi* ſuperius memorato.

CLXXII.

Inſeruntur in libros Erectionum, & confirmantur literæ Diviſſii quondam Abbatis Brewnov. de anno 1388, *quibus Anniverſarium diem in obitu Adalberti Canonici Prag. & prandium tredecim ſcholaribus præbendum pro libris donatis decrevit. dd.* 5. *Maji.* Habetur in Archivo Metrop. Tomo X. Erectionum.

CLXXIII.

Magiſtratus Minoris Urbis Pragenſis teſtatur Johannem Fipe duas ſexagenas annui cenſus in domo & area ſua monaſterio Brewnovienſi pro pietancia vendidiſſe. dd. Pragæ anno 1417. *Sabbatho proximo ante octavam S. Procopii.* Ex Archivo Brewnovienſi.

In nomine Domini Amen. Nos *Ondraczko* judex, *Tibencius Rak*, magiſter civium, *Herſſo de Chotiſſ*, *Ffrana* Notarius actorum, *Machuta*, *Sigismundus Pertoldi*, *Stepanko* Camerarius, *Diviſſius Stari*, *Pawlico Kaczcze*, *Johannes Sternberski*, *Jan Raczek*, *Ottiko* & *Crux* notarius Conſules jurati, & cives Novæ civitatis ſub Caſtro *Pragenſi* tenore præſentium recognoſcimus coram univerſis, quod honeſtus vir *Johannes Fipe* concivis noſter coram nobis ante quatuor ſcampna judiciaria, dum judicio pleno, & rigoroſo præſideremus, ubi quævis hominum geſta plenam obtinent & habent roboris firmitatem, perſonaliter conſtitutus re-

recognovit, & ſuo, & *Margaritæ* uxoris ſuæ, & hæredum, & ſucceſſorum ſuorum omnium nomine duas ſexagenas groſſorum denariorum *Pragenſium* cenſus annui liberi, & perpetui, ab omnibus noſtræ Civitatis juribus penitus exempti, in & ſuper domo ſua & area ipſius ſitis in noſtra Civitate inter domos *Vitkonis* magiſtri *Wlazkonis* ex una, & *Jacobi* judicis parte ab altera honorabilibus & religioſis viris, Priori, & Pietanciario, cæteriſque Fratribus Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti* pro pietancia, pro viginti ſexagenis groſſorum prædictorum, rite & rationabiliter ac juſto venditionis titulo vendidiſſe, & reſignaſſe, ad habendum, tenendum, & percipiendum per omnia in hunc modum, videlicet unam ſexagenam groſſorum in feſto S. *Galli* nunc proxime venturo, & unam ſexagenam in feſto *S. Georgii* tunc immediate ſecuturo, & ſic deinceps ſingulis feſtis & terminis prædictis ſub anno quolibet occurentibus in omnem eventum de prædicta domo, & ejus area perpetuo ſolvi debet cenſus prænotatus. Et ſi unquam moneta præſens immutata fuerit, ex tunc valor dictorum groſſorum ſolvi, & adimpleri debebitur pagamento, & ſolutione tunc temporis grato, dativo pariter & tranſitivo in ſingulis feſtis, & terminis memoratis. In quocunque autem prædictorum feſtorum feſto, & terminorum termino, & infra ipſius quindenam immediate tunc ſequentem præſcriptus cenſus præfatis Priori, Pietanciario, & Fratribus Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prædicti, qui pro tunc fuerint, non fuerit perſolutus, ex tunc mox quatuor groſſi nomine pœnæ accreſcent, & conſimilis pœna creſcere debet ſingulis quindenis tam diu, quam diu præfatus cenſus una cum omnibus pœnis prædictis plene fuerit perſolutus. Pro quibus quidem cenſu & pœnis non ſolutis præfati Prior, Pietanciarius, & Conventus Monaſterii prædicti, & eorum ſucceſſores univerſi poterunt, dum ipſis placuerit, per ſe, vel nuncium ſuum cum adjutorio judicis & Juratorum noſtræ civitatis, qui pro tempore fuerint, prædictum Johannem *Ffipe*, & domus prædictæ ſucceſſores univerſos libere, & licite impignorare in tantum, & toties, in quantum, & quoties ipſis neceſſarium fuerit & opportunum, & quouſque ipſis præfatus cenſus cum ſuis pœnis omnibus fuerit plene perſolutus. Si vero pignora pro prædicto cenſu & pœnis ſufficientia nequiverint infra revolutionem unius anni in prædicta domo inveniri, & ipſius area, ex tunc mox domus prædicta ad præfatos Priorem, & Fratres Conventuales devolvi debet ſalvis tamen juribus noſtræ Civitatis & hominum aliorum.

In cujus rei teſtimonium ſigillum majus noſtræ Civitatis prædictæ de certa noſtra ſcientia præſentibus eſt appenſum. Datum & actum anno Domini MCCCCXVII. Sabbato proximo ante octavam S. *Procopii* Confeſſoris eximii.

CLXXIV.

Nicolaus Abbas, & Conventus Monaſterii Brzewnovienſis commutant villam Frzerow cum munitione, araturis & aliis appertinentibus pro munitione & villis Bratrkowicz & Nabdyn, dd. Pragæ in die ſancti Georgii anno 1419. Ex apographo Archivi Brewnov.

Ego *Petrus* de *Trkow* notum facio tenore preſentium univerſis præſentibus, & futuris, quod Honorabiles & Religioſi Viri *Nicolaus* (*b*) Abbas, *Nicolaus* Prior, *Clemens* ſupprior, *Paulus* Præpoſitus, *Hermannus* ſacriſtanus, *Trojanus* Pitanciarius, (*i*) totuſque Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* prope *Pragam*, Ordinis ſancti *Benedicti*, cupientes ſtatum & conditionem ſuam, & Monaſterii ſui predicti facere meliorem, diligentique prius ac matura deliberatione inter eos capitulariter præhabita, & conſenſu Principis ſereniſſimi, & Domini Domini *Wenceslai* Romanorum & Boemiæ Regis commutaverunt mihi bona ſua, & Monaſterii ſui prædicti, videlicet villam ſuam *Przerow* cum munitione, & duabus araturis ad eandem ſpectantibus, cum ſylvis, & rubetis una cum vinea, cum tribus piſcinis, ſtagnis, paludibus, cum pratis, paſcuis, & cum omnibus cenſibus, & utilitatibus, robotis, & pertinentiis univerſis ad prædicta bona *Przerow* ſpectantibus, pro munitione & villis, videlicet, *Bratrkowicz* & *Nabdin*, quas ab ipſis emeram ad tempora vitæ meæ, & Contoralis meæ ſolius tantum duntaxat, & non ultra, de qua quidem munitione, villa, & curia mihi *Petro* de *Trkow* prædicto condeſcenderunt plene, & in toto, talibus tamen conditionibus interjectis, videlicet, quod ego *Petrus* prædictus jus meum, quod habeo in villa prædicta & munitione, nulli hominum potero exponere, dare ſive ſublocare ſine conſenſu ipſorum ſpeciali requiſito & habito. Eſt etiam expreſſum, quod ego *Petrus* prædictus de *Trkow* ſtructuras, & ædificia dictæ munitionis debeo conſervare, & ea ipſis relinquere in eodem ſtatu & valore, vel meliori, prout mihi condeſcenderunt. Si vero aliquid ibidem ædificavero, vel melioravero, hoc mihi cedat in remedium animæ meæ, nec ipſi mihi aut cui-

(*b*) Eundem Nicolaum Ziegelbauerus Num. XXVII. Abbatem facit, eumque ab anno præſente uſque ad annum 1426. præfuiſſe tradit. (*i*) Hodie *culinæ Præfectum* appellamus.

cuiquam alteri tenebuntur aliquam pecuniam pro ædificiis dare. Etiam ego dictus *Petrus* de *Trkow* Plebano Ecclesiæ in *Brzyeslic* ligna de sylvis prædictæ villæ *Przyerow* pro curia Plebani necessaria, ut puta, in duabus stubis plebani cremanda, pro braxaturis, (*k*) & pro igne in coquina faciendo dare debeo, illaque ligna recipere debet annis singulis, ubi sibi duxero demonstranda. Quando autem me *Petrum* de *Trkow* prædictum viam universæ carnis ingredi contigerit, ex tunc prædicta bona in *Przierow* cum villa, munitione, curia, & duabus araturis ad eandem spectantibus, una cum vinea, & cum robotis, sylvis, tribus piscinis, stagnis, paludibus, cum pratis, pascuis, cum agris, & cum omnibus censibus, utilitatibus, proventibus, ac pertinentiis universis, ad prædicta bona *Przierow* spectantibus ad ipsos, ad Monasterium ipsorum prædictum sine datione cujuslibet pecuniæ libere devolvantur, cujuslibet etiam hominis impedimento procul moto. Nec alicui homini post mortem meam, videlicet *Petri* de *Trkow* prædicti jus alicui competet in præmissis omnibus bonis, nisi Monasterio ipsorum *Brevnovienſi* prædicto. Est etiam notanter expressum, quod post mortem meam, videlicet *Petri* prædicti de *Trkow* Domina *Anna* filia quondam *Benneda* de *Swynna* conthoralis mea videlicet *Petri* prædicti debet ipsis omnes res mobiles, annonas cujuslibet grani, & omnia animalia parva & magna, pecudes & pecora, & omnia bona mobilia & immobilia ibidem in *Przyerow* existentia quibuscunque nominibus appellentur, debet ipsis dimittere tali sub conditione, videlicet, quod ipse Abbas, & Conventus prædicti debent, & tenentur prædictæ Dominæ *Annæ* dare centum & viginti sexagenas grossorum pecuniæ paratæ, aut eidem bene fidejussoria cautione firmare, & quandocunque Abbas ipsi, & Conventus prædictæ *Annæ* pecuniam prædictam dederint, videlicet centum, & viginti sexagenas grossorum, aut fidejussoria cautione firmaverint, tunc mox prædicta Domina *Anna* de prædictis bonis in *Przerow* omnibus mobilibus, & immobilibus, quibuscunque nominibus possunt appellari, ipsis & monasterio ipsorum debet cedere omni occasione procul mota, hoc tamen adjecto, quod vestimenta sua, & mea, videlicet *Petri* de *Trkow* prædicti omnia, ac etiam arma, & equos equestres potest, & debet recipere & abducere, quocunque sibi placuerit, aliis rebus mobilibus omni-

(*k*) Hem indicium! eo adhuc tempore apud nos jus, moremque fuisse, quod quisque plebanus domi suæ pro usu suo familiæque suæ cervisiam coxerit seu braxaverit.

nibus dimiſſis. Eſt etiam notanter adjectum, quod Domina *Anna* prædicta debeat ſe ipſis Abbati & Conventui, ſub pœna excommunicationis acticare in actis Curiæ Archiepiſcopalis Pragenſis (*l*) quod poſt mortem meam, videlicet *Petri* de *Trkow* prædicti, quando ipſi ſibi ſecundum tenorem præſentis literæ pro rebus mobilibus pecuniam prædictam dederint, aut fidejuſſoria cautione firmaverint, debet ipſis ſtatim de munitione in *Przyerow*, & omnibus bonis ibidem exiſtentibus cedere, omnibus omnino occaſionibus, & exceptionibus procul motis. Quodſi prædictam Dominam *Annam* conthoralem meam videlicet *Petri* de *Trkow*, prius quam me *Petrum* de *Trkow* prædictum mori, contingeret, tunc Commiſſarii mei, quos ego *Petrus* prædictus elegero, & quibus commiſero, poſt mortem meam habent plenum jus ad omnia ſuperius deſcripta. In cujus rei teſtimonium, & robur firmius valiturum, ſigillum meum proprium, & ad petitionem meam ſigilla ſtrenuorum militum *Nicolai* dicti *Kozychlawa* Magiſtri Curiæ Regis *Romanorum*, & *Bohemiæ* Regis, & *Joannis* de *Zaſad* dicti *Kygiata*, magiſtri Curiæ Reginæ *Bohemiæ*, & famoſorum *Petri* de *Chotyetyg*, & *Mſcydrubonis* de *Zadlar* præſentibus ſunt appenſa. Datum *Prage* anno Domini milleſimo, quadringenteſimo decimo nono, in die ſancti *Georgii* Martyris Glorioſi.

CLXXV.

Sigismundus Romanorum & Boemie Rex obligat Joanni & Wilhelmo de Ryzenberg 1271. *ſexagenis groſſ. villam Nezamyslicz Monaſterii Brzewnovienſis* (*m*) *aliaque oppida & villas monaſteriorum Cladrubienſis & Zderaſienſis. dd. In montibus Chuttnis feria quinta ante feſtum S. Bartholomæi. anno* 1420. Ex autographo Archivi Regii.

Nos *Sigismundus* Dei gratia *Romanorum* Rex ſemper Auguſtus, ac *Hungariæ*, *Boemiæ*, *Dalmaciæ*, *Croaciæ Rex* &c. Notum facimus tenore preſentium univerſis, quod habita & poſita ratione cum nobili *Joanne* de *Ryzmberg*, alias de *Skal*, pro ipſius & Nobilis fratris ſui *Wilbel-*

(*l*) Hoc eſt in acta ſeu libros Erectionum Archiepiſcopatus Pragenſis Reverſales imponere. (*m*) Hæc oppignoratio accidit, poſtquam eodem anno in Majo ab Huſſitis everſum fuiſſet monaſterium Brewnovienſe monachis partim diſpulſis, partim internecioni datis, de quo videri poteſt Ziegelbauer p. 169. Verosimillime autem Sigismundus iſta monaſteriorum bona in ſe recepit, ut ne penitus ab Huſſitis devaſtarentur, quæ aliquando pace reddita, & pignore reſtituto monaſteriis reddere intendebat.

helmi ſimiliter de *Ryzmberg* fidelium noſtrorum dilectorum ſtipendio retento, fatemur nos eisdem fratribus in mille ducentis, & ſeptuaginta una ſexagena groſſorum *Boemicalium* debitorie obligari. Pro qua quidem ſumma predictis fratribus *Joanni & Wilhelmo*, nec non eorum heredibus oppidum *Przeſtticze*, & villam *Sobiekury*, cum eorum pertinenciis Monaſterii *Cladrubienſis*; item villam *Nezamyslicz*, & curiam aralem inibi, cum omnibus villis & cenſibus ad eadem bona pertinentibus Monaſterii *Brewnovienſis*; item villam *Bor* & Curiam araturæ inibi *Cruciferorum* Monaſterii *Zderazienſis*, cum omnibus dictæ curiæ, bonorum villis, villarumque pertinentiis, ac utilitatibus, videlicet terris, agris, cultis, & incultis, ſilvis, rubetis, pratis, paſcuis, molendinis, molendinorumque locis, piſcinis, aquis, aquarumque decurſibus, & cunctis & ſingulis proventibus, quæ ad prædicta oppidum, villas, & bona debent de jure pertinere; & pro predicta ſumma mille ducentis & ſeptuaginta & una ſexagena groſſorum prædictis fratribus *Johanni & Wilhelmo*, & eorum heredibus obligavimus pignoris nomine, immo impignoramus, & obligamus per preſentes per eosdem tenendum, habendum, poſſidendum, ac cum pleno dominio nichil inde excipiendi, utifruendum tamdiu, donec ipſis fratribus *Joanni & Wilhelmo* aut eorum heredibus, per nos aut ſucceſſores noſtros Reges *Boemie*, vel per alios noſtro nomine predicte mille ducente ſeptuaginta & una ſexagena groſſorum predictorum non fuerint integraliter perſolute. Hoc adjecto, quod predicti fratres, homines predictorum bonorum debeant circa ipſorum jura, libertates & conſvetudines antiquas conſervare, ſub tali conditione, quando ipſis fratribus, aut eorum heredibus predicte mille ducente ſeptuaginta cum una ſexagena groſſ. perſolutæ fuerint, ut premittitur, tunc ſine aliqua contradictione mox teneantur bona predicta Monaſteriis predictis remittere & reſignare. Et qui preſentes litteras de voluntate predictorum fratrum habuerint, eisdem jus competit omnium premiſſorum preſentium litterarum, quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio mediante. Datum in *montibus Chuttnis*, feria quinta proxime ante feſtum ſancti *Bartholomei* Apoſtoli, anno Domini milleſimo quadrigenteſimo viceſimo, Regnorum noſtrorum anno *Hungariæ* &c. XXXIV. *Romanorum* decimo, *Boemie* vero primo.

CLXXVI.

CLXXVI.

Sigismundus Imperator oppignorat tutelæ & protectionis nomine Rynſo de Zedlikowicz villas Suerken, Naboly & Ugyesdecz monaſterii Brzewnovienſis pretio 150 ſexagenarum, quas ei debet pro ſtipendio & defenſione caſtri Pragenſis, ita quidem ut quandocunque reluere placuerit, hæ villæ reſtituantur monaſterio. dd. Weronæ 1420. die feſto SS. Simonis & Judæ. Ex Autographo Archivi ditionum Boh. Zweybrikenſium.

Nos Sigismundus Dei gracia Rom. Rex ſemper Auguſtus ac Hungarie Bohemie, Dalmacie Croacie &c. Rex Memorie commendamus tenore preſencium ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quod nos quaſdam villas Suerken & Naholy ac Ugyesdecz vocatas clauſtri eccleſiæ Brewnovienſis ſimul cum omnibus earum proventibus, ac univerſis pertinenciis juſtis & legitimis, & quibuslibet utilitatibus quovis nominis vocabulo vocitatis ad easdem villas de jure ſpectantibus cum pleno dominio earundem villarum, nihil inde excipiendo, fideli noſtro Rynſo de Zedlikowycz tum cauſa tutele, protecccionis & conſervacionis talium villarum, tum etiam pro centum triginta ſexagenis groſſorum Bohemicalium, quibus pro ſervicio ipſius Rynſo per ipſum cum decem armatis equeſtribus a preſenti feſto beatorum Simonis & Jude Apoſtolorum viginti ſex ſeptimanis uſque octavum diem feſti beati Georgi martyris proxime venturi nobis in conſervacione caſtri noſtri Pragenſis exhibendo eidem perhibemur obligari. Item pro viginti ſexagenis ſimilium groſſorum Bohemicalium quibus ſibi tum pro dampnis per ipſum in iniciis noſtris perceptis, tum etiam ratione ſtipendii ſui per nos alias retenti tenemur, pignori duximus obligandas, ymo obligamus & impignoramus per preſentes. Ita tamen, quod quandocunque nos aut noſtri ſucceſſores Reges, ut puta, Bohemie, vel alii quorum interfuerit, de premiſſa ſumma pecunie eidem Rynſo vel ſuis heredibus ſatifecerimus vel ſatifecerint, ex tunc ipſe Rynſo vel ſui heredes, rehabitis premiſſis centum quinquaginta ſexagenis groſſorum predictas villas Suerken Naholy & Ugyesdecz ſimul cum predictis omnibus earum utilitatibus predicto clauſtro Brewnovienſi remittere, & reſignare deabeat, & teneatur difficultate ſine omni (*n*) Et quis vel qui preſentes literas cum ejusdem Rynſo vo-

(*n*) Hem Sigismundum Imperatorem bona monaſteriorum tutelæ & protectionis nomine non alio fine partim recepiſſe, partim aliis obligaſſe, quam ut tumultibus Huſſitis compoſitis ea monaſteriis reſtituantur.

voluntate habuerit ſeu habuerint, illi, vel illis jus competit omnium premiſſorum. Harum numero quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio literarum, quæ dum nobis in ſpecie fuerint reportate, ſigillo numero majori Imperiali facienus muniri. Datum in civitate noſtra Werona vocata in feſto beatorum Simonis & Jude Apoſtolorum ſupra dicto. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, regnorum noſtrorum anno Hungarie XXXIV. Romanorum undecimo & Bohemie primo.

CLXXVII.

Simon & Beneſſius de Tynisſtie vendunt Geczmoni Abbati Brewnovienſi balneum ſub civitate Brauna pretio XV. ſexagenarum groſſorum Pragenſium. dd. 1434. *die Jovis ante* S. *Antonii feſtum.* Ex Archivi Brewnovienſis autographo vernaculo in latinum ſermonem translato.

Ego Simon de Tynisſtie, & ego Beneſs ex eodem loco teſtamur ſimul his literis coram omnibus, qui eas lecturi, ſeu legendas audituri ſunt, quod vendiderimus, & vi literarum harum vendamus omne illud jus, quod habuimus in balneum ſitum ſub civitate Braunovienſi (nihil prorſus juris in eo nobis relinquendo) Venerabili Sacerdoti Geczmoni Abbati Brewnovienſi (*p*) ejuſque ſucceſſoribus pretio quindecim ſexagenarum bonorum argenteorum groſſorum monetæ Pragenſis, quam ſummam quindecim ſexagenarum ſupra nominatus Sacerdos Abbas dedit & ſolvit utpote Vir probus & honeſtus, & nos ſupra ſcripti Simon & Beneſs tradidimus illi balneum iſtud cum omni eo jure, quod in id habimus coram honeſtis viris coram conſule & ſenatoribus civitatis Braunovienſis, & virtute harum literarum cedimus nos omne jus non ſolum noſtro ſed & univerſorum heredum noſtrorum nomine, quibus ſimul declaramus neque nos neque heredes noſtros, neque quemcunque alium amplius jus in ſepius dictum balneum aut pretenſionem quacunque prætenſione aut obtentu habere. Cujus rei confirmandæ cauſa nos cum certa noſtra ſcientia noſtra ſigilla his literis appendimus, & pro majore ſecuritate oravimus Nobilem Dominum Joannem de Lichten-

(*p*) Vernaculi Bohemici verba ſunt *Poczeſtiwem Knieży Geczmonowi Opatu Brzewnowiskemu.* Sed quis ille Abbas *Geczmo*, cujus Ziegelbauer non meminit, nec ulli Brzewnovienſium hodiernorum cognitus eſt. Inſerendus igitur Seriei Abbatum Brzewnovienſium inter Nicolaum & Hermannum, quorum priorem Ziegelbauerus jam anno 1426. demortuum ſcribit. An non fortaſſis *Gezo* appellatus, nam & primus Abbas Strahoſienſis idem nomen ferebat.

burg reſidentem in Abersbach & Slowtruch, Dominos Matthæum Salawa de Lipa reſidentem in Skala, Otikum Zagicz C. & Hanuſſium ex Albipoli, ut penes noſtra ſua ſigilla his literis appenderent. Et nos Joannes Cruſſina de Lichtenburg reſidens in Abersbach, Matthæus Salawa de Lipi reſidens in Skala, Ottik Zagicz, Hanuſſi ex Albipoli ad preces ſupraſcriptorum Simonis & Beneſſii filii ejus ultro & ſpontanee ad confirmandam rerum ſupra memoratarum extraditionem his literis ſigilla noſtra appendimus. Actum & ſcriptum anno poſt Nativitatem filii Dei milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto die Jovis ante S. Antonii feſtum.

CLXXVIII.

Sigismundus Romanorum & Bohemiæ Rex ad petitionem Hermanni Abbatis Brewnovienſis (q) omnes donationes & privilegia a Præceſſoribus ſuis Monaſterio Brewnovienſi conceſſa renovat, & confirmat. dd. Pragæ 13. *Septembris anno* 1436. Habetur integrum exculum apud Ziegelbauer p. 301. & ſeqq.

CLXXVIIII.

Sigismundus Imperator & Bohemiæ Rex oppignorat pagum Trzebunitz ad Monaſterium Brewnovienſe pertinentem, pretio centum ſexagenarum groſſorum Pragenſium, Wenceslao Czwok Civi Neo-Pragenſi, jure reluendi reſervato. dd. Pragæ die Sabbathi poſt Aſcenſionem Chriſti anno 1437. Ex autographo vernaculo Archivi Brzewnovienſis in latinum translatum.

Nos *Sigismundus* Dei gratia *Romanorum* Imperator, ſemper Auguſtus *Hungariæ*, *Bohemiæ* &c. &c. Rex; recognoſcimus his literis coram omnibus, qui easdem viderint, aut legi auderint, quod provido *Wenceslao* dicto *Czwok* Civi Novæ Civitatis noſtræ *Pragenſis* fideli noſtro dilecto teneamur pro neceſſariis nobis & aulæ noſtræ ſuppeditatis centum ſexagenas groſſorum bonorum argenteorum *Pragenſium*, pro quibus ſatisfacere volentes, bono & libero animo de conſilio noſtrorum eidem *Czwok*, ejus hæredibus, & ſucceſſoribus oppignoravimus, & oppignoramus, inſcripſimus, & his literis inſcribimus pagum dictum *Trzebunicz* ad monaſterium *Brewnovienſe* pertinentem, cum fructibus, obventionibus, omni jure, & pertinentiis ad hunc pagum ab antiquo ſpectantibus, nullo omnino prætermiſſo, pretio videlicet memorato centum ſexagenarum groſſorum bonorum, ejusdem, ut ſupra ſcribitur, mo-

(q) Interjecto inter Nicolaum & Hermannum Abbates Geczmone ſeu Gezone minime Hermanno XXIII. anni Abbatiæ, ut vult Ziegelbauer p. 69, concedi poſſunt.

monetæ. Et quidem hoc modo, ut antea nominatus *Wenceslaus Czwok*, ejus hæredes, & ſucceſſores hunc pagum cum appertinentiis ejus, prout ſupra ſcriptum eſt, teneat, & teneant, fruatur & fruantur tamdiu abſque noſtro, noſtrorum ſucceſſorum *Bohemiæ* Regum, & omnium aliorum impedimento, & contradictione, donec per nos, noſtros ſucceſſores Reges *Bohemiæ*, aut illos, ad quos hæc exſolutio juſte pertinuerit, eidem, aut ejus hæredibus & ſucceſſoribus illæ centum ſexagenæ groſſorum datæ, præſente pecunia plenarie & integre ſolutæ fuerint. Illud adjicientes, ut homines hunc pagum inhabitantes præter ſolitum ſuum cenſum, & fructus non aggraventur in detrimentum hujus boni, quoquo modo. Et quicunque has literas habuerit, cum ſupra ſcripti *Czwok*, & hæredum ac ſucceſſorum ejus bona & libera voluntate, ille jus omne habebit, ſicut ille ipſe, in cujus confirmationem ſigillum noſtrum (r) appendi juſſimus. Datum *Pragæ* anno a *Nativitate* Filii Dei milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, die *Sabbati* poſt *Aſcenſionem Chriſti*, anno Regnorum noſtrorum *Hungariæ* &c. quinquageſimo primo, *Romanorum* vigeſimo ſeptimo, *Bohemiæ* decimo ſeptimo, & Imperii anno quinto.

Ad Relationem *Joannis* de *Cunvald*
Sub-Camerarii.

CLXXX.

Sigismundus Imperator oppignorat Joanni de Ryzmberg, pagum Nezamislicz cum villa, aliosque pagos tam ad Brewnovienſe quam Cladrubienſe & Zderaſienſe monaſteria pertinentes. dd. Beneſchovii die lunæ feſto S. Martini, anno 1437. Ex autographo Archivi Regii vernaculo in latinum traslatum.

Nos *Sigismundus* Dei gratia *Romanorum* Imperator, ſemper Auguſtus, *Hungariæ Bohemiæ* &c. &c. Rex, præſentibus literis recognoſcimus coram omnibus, qui eas viderint, vel legi audiverint, quod a Nobili *Joanne* de *Ryzmberg*, aliter de *Rab*, dicto fideli noſtro dilecto vero emtionis titulo emerimus jus, quod habuit ad Judicium *Klattovienſe*, quodque eidem poſt mortem Nobilis & Generoſi *Buſſik*, bonæ memoriæ, de *Byſtricz* Patruelis ſui adjudicatum fuit pretio DL. ſexa-

(r) Sigillum integrum hodie appenſum eſt.

genarum groſſorum Pragenſium argenteorum bonorum, (s) quemadmodum literæ ſereniſſimi Principis Domini *Caroli* Romanorum Imperatoris Patris, & *Wenceslai* fratris noſtrorum Chariſſimorum, *Bohemiæ* Regum traditæ & coram nobis ac Regni Magnatibus exhibitæ teſtantur. Præterea eidem debemus juſto titulo, pro ſervitio & damnis ejusdem (computu confecto, & recepto) octingentas ſexagenas groſſorum, ejusdem, ut jam dictum eſt, monetæ, quam ſummam eidem a quibusdam mercatoribus, ſolvendam Chyrographa, quæ nobis reſtituit, aſſignaveramus. Voluntatem igitur ejus optimam noſtræ Serenitati in hoc exhibitam ponderantes, meritaque ejus varia, quæ jam pridem circa Nos tam in his, quam in aliis regionibus poſuit, conſtanter ponit, & deinceps ponere valet, ac intendit, æſtimantes, eademque remunerari volentes, bono & libero animo, de conſilio noſtrorum fidelium huic *Joanni*, ejus hæredibus, & ſucceſſoribus integrum debitum ſupra ſcriptum (cujus ſumma eſt mille trecentarum quinquaginta ſexagenarum groſſorum argenteorum Bohemicorum bonæ monetæ) inſeruimus & adſcripſimus his literis noſtris, ſcilicet adjecto illo debito, ſuper quo jam pridem literas noſtras idem *Joannes* & *Wilhelmus* ejus frater habet, nempe ſuper oppido *Przeſticz*, pago *Sobiekur*, & omnibus appertinentiis; item ſuper pago *Nezamislicz* cum villa, item ſuper omnibus pagis & ſolutionibus ad hæc bona pertinentibus, Monaſterii *Brzeznovienſis*; item ſuper pago *Bor* cum villa *Crucigerorum* Monaſterii *Pragenſis*, cum omnibus dictorum bonorum pagis, appertinentiis, & eorum fructibus, id eſt fundis arabilibus, & non arabilibus, ſilvis, rubetis, campis, pratis, paſcuis, molendinis, piſcinis, fluviis, rivis, aquarum defluxibus, & cum omnibus & variis juribus, ad ſupra ſcriptum oppidum, pagos, & bona, pertinentibus, ita plenarie, & integre nullo penitus omiſſo prout id literæ noſtræ, de quibus ſupra ſit mentio, teſtantur & noviter his literis de auctoritate Regia nomine noſtro, & noſtrorum ſucceſſorum *Bohemiæ* Regum addimus, & adſcribimus gratioſe, volentes, ut ſupra nominatus *Joannes*, ejus hæredes, & ſucceſſores, oppidum, pagos, & bona antea dicta pretio harum mille trecentarum

&

(s) *Boni* groſſi his temporibus vocati veteriores a Regibus excuſi, ad differentiam eorum, qui durantibus diſturbiis Huſſiticis a diverſis factionibus (ex quæ Kuttenbergenſes argentarias, domumque ibidem monetariam occupabant) fuerunt ſignis priorum Regum excuſi.

& quinquaginta ſexagenarum, his literis inſcriptarum (prout & in ſumma primis literis, de quibus ſupra fit mentio, inſcriptæ ſunt,) ſimul & indiviſim teneat, habeat, poſſideat, & illis, prout illi melius videtur, aut videbitur, ſine noſtro, noſtrorum ſucceſſorum Regum *Bohemiæ*, & quorumvis aliorum contradictione & impedimento fruatur tamdiu, donec per nos, noſtros ſucceſſores *Bohemiæ* Reges, aut illos, ad quos hæc exſolutio juſte ſpectabit, eidem *Joanni*, ejus hæredibus, aut ſucceſſoribus hæc integra ſumma, prioribus, & his literis conſignata, plenarie ac integre data & ex toto ſoluta fuerit. Promittentes verbo ac fide Cæſarea tam pro nobis, quam noſtris ſucceſſoribus Regibus *Bohemiæ*, quod in his eis nullo modo obeſſe, aut his unquam contravenire, ſed illas in omnibus, contra quoſcunque invaſores, uſque ad plenariam & finalem ſummæ prædictæ exſolutionem defendere velimus. Et quicunque has literas cum ſupra ſcripti *Johannis*, ejus hæredum & ſucceſſorum bona & libera voluntate habuerit, ille habeat poteſtatem & jus ad omnia, ſicut ille ipſemet. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum, his literis juſſimus apponi. Datum *Beneſchovii*, anno a Nativitate Filii *Dei* milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, die lunæ feſto S. *Martini*, & Regnorum noſtrorum *Hungariæ* &c. &c. quinquageſimo primo, *Romanorum* vigeſimo octavo, *Bohemiæ* decimo octavo, Imperii vero anno quinto.

Ad Relationem D. *Menhardi* de *Nova Domo*.

CLXXXI.

Albertus Romanorum & Bohemiæ Rex Monaſterium Brzewnovienſe in protectionem ſuam ſuſcipit, omnia privilegia Præceſſorum ſuorum renovat & confirmat. dd. Wratislaviæ 6. Decembris anno 1438. Habetur apud Ziegelbauerum p. 314.

CLXXXII.

Ladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex Johannem (t) Abbatem & Coenobium Brewnovienſe cum omnibus rebus, poſſeſſionibus & hominibus ejus in tutelam Regiam recipit, eorumque privilegia & donationes quaſcun-

(t) Johannes hic hujus nominis I. eſt, quem Ziegelbauerus ordine XXIX. Abbatem facit, atque ab anno 1449. uſque 1462. præfuiſſe tradit. Sed ſequens diploma oſtendit jam anno 1461. Gallum Abbatialem inſulam geſſiſſe.

cunque renovat & confirmat. dd. Pragæ 10. *Novemb. anno* 1457. Habetur apud eundem Ziegelbauer p. 317.

CLXXXIII.

Georgius Rex Bohemiæ confirmat & renovat omnia privilegia a Præceſſoribus ſuis Ducibus & Regibus Bohemiæ Abbati & Monaſterio Brewnovienſi conceſſa. dd. Pragæ 28. *Maji anno* 1460. Habetur apud Ziegelbauerum p. 319.

CLXXXIV.

Gallus Abbas & Conventus Monaſterii Brzewnovienſis jure Emphyteutico tradunt Joanni Holenka Curiam in diſtrictu Policenſi in villa Suchdol ſitam ſub annuo cenſu. dd. feria tertia ante Nativitatem Chriſti. anno 1461. Ex authographo Archivi Brewnovienſis.

In nomine Domini Amen. Nos *Gallus* (*u*) Dei & Apoſtolice Sedis gracia Abbas, *Johannes* Prepoſitus *Brewnovienſis* (*x*), *Henricus* Prepoſitus *Reigradenſis*, Simon Prior *Brewnovienſis*, totusque Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis S. *Benedicti*, nullo medio ad *Romanam* Eccleſiam pertinentis; notum facimus univerſis, quod nos cupientes conditionem noſtri Monaſterii facere meliorem, animo deliberato ſana ratione, de communi conſenſu noſtrum omnium Curiam noſtram, noſtrique Monaſterii in Diſtrictu *Policenſi* in villa *Suchdol* ſitam ad menſam Abbatis pertinentem, quam quondam Predeceſſor noſter pie memorie Dominus *Diviſſius* Abbas noſtri Monaſterii antedicti locaverat, ſeu expoſuerat in jus Emphyteoticum perpetuis temporibus cuidam *Krzizkoni*, heredibus, ac ſucceſſoribus ſuis, ſub tali conditione, quod *Krzizko* & heredes ſui de ipſa Curia & omnibus ad eam pertinentibus debebat ſolvere duas ſexagenas groſſorum bonorum argenteorum *Pragenſium* denariorum ſingulis annis diviſim in feſto ſancti *Georgii* unam ſexagenam, & in feſto ſancti *Galli* unam ſexagenam. Nos vero conſiderantes, quod noſtris temporibus periculoſis, diverſis gverris exortis dicta bona per frequentes rapinas in tantum ſunt devaſtata, quod dictus cenſus vix, aut difficulter de dicta curia dari poteſt, dictam curiam cum omnibus juribus ad ipſam curiam ſpectantibus, cum

fil-

(*u*) Is ſecundum Ziegelbauerum Numero XXX. Abbas fuit, quem per tres annos & dimidium præfuiſſe, annoque 1466. mortuum ſcribit. (*x*) Is veroſimillime idem eſt qui poſtea Abbas factus *Joannis* II. nomine, quique Petro II. ſucceſſit. Ziegelbauer p. 70.

ſilvis, & rubetis, que in eisdem agris prefate curie continentur, expoſuimus, locavimus Diſcreto Viro *Joanni* dicto *Holenka*, & omnibus heredibus, & ſucceſſoribus ſuis legitimis in perpetuum poſſidendam ſub pactis, & conditionibus infra ſcriptis, videlicet, quod ipſe *Johannes Holenka*, & omnes ſui heredes, & ſucceſſores ex ſpeciali gracia ipſis per nos facta, tenebuntur, & debent nobis, & noſtro Monaſterio in omnem eventum duas marcas *Polonicales*, pro qualibet marca quatuor ſolidos groſſos, vel quadraginta octo groſſos computando ſolvere diviſim ſingulis annis in terminis infra ſcriptis, videlicet in feſto ſancti *Georgii* proxime venturo unam marcam groſſorum ſupradictorum, & in feſto ſancti *Galli* poſt hoc immediate ſequenti ſimiliter unam marcam groſſorum predictorum, & pro berna Regali, quocieſcunque toti terre *Bohemie* impoſita fuerit tunc pro ipſa berna dictus *Johannes*, heredes, ſeu ſucceſſores ſui ſolvere, & dare tenebuntur quatuordecim groſſos, prout curie agrorum in *Radymow* & *Petrowicz* perſolvunt. Et hoc notanter eſt expreſſum, quod dictus *Johannes*, & heredes, ſeu ſucceſſores ſui, quicunque dictam curiam tenuerint, loco judicis omnes cenſus ac redditus dicte ville ſingulis annis debent, colligere, & nobis aut officiali noſtro fideliter preſentare. Et ſi quandoque futuris temporibus pretactus *Johannes*, aut ſucceſſores ſui in taberna ipſorum, que eis ex parte officii pertinet, extraneos quoſcunque potus, aut vina propinare voluerint, id ipſis agere licebit, ita tamen, quod nobis, vel poſteris noſtris de quolibet vaſe, quantum compoſuerint, ſolvant, & de hoc ſecundum noſtram voluntatem ſatisfaciant. Eſt eciam expreſſum, quod dictus *Johanes* ſeu heredes & ſucceſſores ſui predictum jus, quod ipſis in predicta curia competit, nulli hominum vendere, ſive ſublocare, aut quovis modo impignorare poterunt, nec debent ſine ſcitu noſtro & conſenſu, ſeu licencia ſpeciali. Et quicunque ab ipſis dictam curiam emerint, illi tenebuntur decimum denarium Domino Abbati perſolvere ſine aliqua contradiccione, prout jus monaſterii noſtri exquirit. Adjectum eciam eſt, quodſi prefati *Joannis* pecora abſque ipſius, atque ſuorum induſtria & fraude ſilvam Monaſterii intraverint, ut id ipſum ſibi graviter non ponderetur. In quorum omnium evidens teſtimonium preſentem literam fieri voluimus, ac minori ſigillo noſtro, (y) videlicet Abbatis & Conventus de certa noſtra ſciencia

ro-

(y) Sigillum utrumque avulſum eſt.

roborari. Acta ſunt hec anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo, feria tertia ante Nativitatem *Chriſti.*

CLXXXV.

Petrus Abbas monaſterii Brewnovienſis chartam Elizabethæ Bohemiæ & Poloniæ Reginæ ſuper vinea in Moravia a Strahofienſi Abbate monaſterio Brewnovienſi venditâ, quæ Num. LXXX. per extenſum ſupra relata eſt, per Notarium Publicum & teſtes recognoſci tranſumi, & vidimari facit. dd. Glatzii in Æſtuario Canonicorum Regularium 9. *Januarii* 1467. Ex autographo Archivi Brewnovienſis.

In nomine Domini Amen. Sub anno Nativitatis ejusdem MCCCCLXVII. Indictione quindecima Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini *Pauli* divina favente clementia Papæ ſecundi, anno vero ejus quarto, nono die menſis Januarii hora tertiarum vel quaſi, & in ſtuba majori ſeu æſtuario honorabilium & Religioſorum Fratrum & Dominorum Canonicorum Regularium Ordinis S. *Auguſtini* Monaſterii B. M. V. in *Glatz* ſupra montem, *Pragenſis* Dioeceſis in mei Notarii Publici infra ſcripti, teſtiumque ſubſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum præſentia conſtitutus perſonaliter Venerabilis in Chriſto Pater & Dominus Dominus *Petrus* (z) divina miſeratione Abbas Monaſterii *Brewnovienſis* prope *Pragam* Ordinis ſancti *Benedicti* Pragenſis Dioeceſis quandam patentem literam ſalvam ſanam & integram non corruptam non cancellatam, neque in aliqua ſui parte ſuſpectam, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentem coram Venerabili Patre & Domino *Michaele* Præpoſito Canonic. Regul. Ordinis S. *Auguſtini* Monaſterii B. M. V. in *Glatz* ſupra Montem exhibuit & produxit, ſupplicando eandem conſpicere, & legere: quam quidem D. *Michael* Præpoſitus ſupradictus de Vener. in Chriſto P. & D. D. *Petri* Abbatis ſupra tacti Monaſterii manibus dictam literam reverenter ſuſcipiens, qua viſa, & perlecta, mihi Notario publico infraſcripto præſentavit ex petitione & requiſitione prænominati *Petri* Abbatis petens ipſam ſimiliter legi, tranſumi, & publicari, ac eidem de verbo ad verbum intimari. Cujus quidem literæ tenor ſequitur per omnia, & eſt talis: *Nos Elyzabeth Dei gratia Regina Domini Wenczeslai Bohemie & Polonie olim Regis relicta ad univerſorum* &c. Et huic literæ quidem duo

(z) Petrus is numero II. anno 1466. Gregorio II. ſucceſſiſſe, & naturæ debitum 1477. abſolviſſe a Ziegelbauero. p. 70. aſſeritur.

duo ſigilla de cera alba & communi, majus vero rotondum pendens in zona ſerica rubei & glauci coloris. In cujus quidem ſigilli ad faciem apparebat imago muliebris in tabernaculo (*a*) ſedere, coronam in capite habens, & peplum a partibus utriuſque de capite pendens, cum manu dextra tenens ligaturam pallii ipſius imaginis ligati, in manu vero læva pomum rotundum, in quo crux ſtare videbatur. Ad dextrum autem latus duo clypei, ſuperior leonem & inferior aquilam; ſimiliter ad ſiniſtrum latus duo clypei, ſuperior aquilam inferior leonem in ſe continentes, & ex utroque latere duæ turres cum mæniis ſine tectu videbantur. In circumferentia quoque dicti ſigilli tales literæ capitales pro titulo legebantur: SIGILLUM ELIZABETH DEI GRATIA BOHEMIE & POLONIE REGIS REGINA. Secundum vero & minus ſigillum de cera alba & communi oblongæ figuræ pendens in pendili pergameno: in cujus quidem ſigilli apparebat quædam imago ſub tabernaculo ſtans deſignans Abbatiſſam, & peplum a partibus utriuſque de capite pendens, in dextera manu tenens baculum paſtoralem, in læva vero libellum. Sed in ſuperiori parte quædam imago muliebris inter ciborium (*b*) videbatur bajulans puerum in humeris, effigiem Virginis benedictæ cum puero deſignans. In inferiori vero parte imaginis ſub pedibus iterum quædam imago muliebris geniculando, & coronam in capite gerendo, nec non eccleſiam cum turri in ambabus manibus portando apparebat. In circumferentia dicti ſigilli tales literæ capitales pro titulo legebantur: SIGILLUM ABBATISSE IN AULA SANCTE MARIE. Ut autem omnia & ſingula ſupraſcripta univerſis, ad quos prevenient, evidentius innoteſcant, præſens publicum inſtrumentum tenorem literæ in ſe continens per me *Nicolaum Stanewicz* de *Strigonia* Clericum *Wratiſlavienſem* Imperiali auctoritate Notarium Publicum infra ſcriptum ex petitione & requiſitione Venenabilis in Chriſto Patris & D. D. *Petri* Abbatis Monaſterii Brewnovienſis ſæpe nominati eſt conſcriptum. Acta ſunt hæc anno, Indictione, Pontificatu, die, menſe & loco, quibus ſupra. Præſentibus ibidem Religioſo & devoto fratre & Sacerdote *Michaele* Ordinis Canon. Regul. S. Auguſt. diſcreto viro *Johanne Stor* Altariſta Parochialis eccleſiæ *Sweidnicenſis*. Circumſpecto Mathia Heydenreich, & quam pluribus aliis per-

(*a*) Tabernaculum hic pro throno accipi verosimile eſt. (*b*) Ciborium inquit Dufreſnius: *pro quavis ſuperiore concamerazione, quæ quatuor potiſſ. manu pilis vel columnis ſuſtentatur*, ſumi ſolet. Voce *Ciborium*.

perſonis fide dignis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Ego *Nicolaus de Strigonia* natus quondam *Andreæ* Stanewicz Clericus *Wratislavienſis* Imperiali auctoritate *Notarius Publicus* &c. (*c*)

CLXXXVI.

Regis Wladislai literæ Auguſtales pro Wilhelmo de Konicz ſuper quibusdam pagis ad Monaſterium Brewnovienſe pertinentibus. dd. Pragæ die Jovis Magno, (*d*) *anno* 1478. Ex apographo vernaculo Archivi Regii in latinum Translatum.

Nos *Wladislaus* Dei gracia *Bohemiæ* Rex, Marchio *Moraviæ*, *Lucemburgenſis* & *Sileſiæ* Dux, ac *Luſatiæ* Marchio &c. Notum facimus his literis univerſis, quod exhibitæ nobis ſint literæ ſereniſſimi Regis *Georgii* Prædeceſſoris noſtri felicis memoriæ, quibus oppignoravit Nobili *Wilhelmo* de *Konicz* in *Kamayk* fideli noſtro Dilecto bona infra ſcripta. Curiam araturæ & pagum *Hrdle*, & pagos *Dolenka*, *Bohuſſowicz*, *Trawczicz*, *Poczapl*, cum omnibus horum pagorum appertinentiis ad monaſterium noſtrum *Brewnovienſe* ſpectantibus, ſcilicet cum fundis, pratis, campis, agris, ſilvis cum mola, fluvio, gallinis, anſeribus, ovis, & cum uno ſubdito in pago *Trawczicz* cum omnibus ſolutionibus ex his pagis provenientibus pretio mille florenorum Ungaricorum quatuor millium ſexagenarum groſſorum bonæ monetæ, quam pecuniam idem *Wilhelmus* ſupra ſcripto Regi *Georgio* mutuo dedit. Quia vero idem *Wilhelmus* nobis etiam ducentas ſexagenas groſſorum monetæ bonæ, in bonum publicum Coronæ noſtræ convertendas, mutuo dedit, reſtituitque nobis ſupra dictas literas Regis *Georgii*; nos volentes eum ſecurum reddere, ne damnum ſentiat ex hoc mutuo, & literarum reſtitutione: bono & libero animo, de conſilio fidelium noſtrorum, de poteſtate *Regia* eidem *Wilhelmo* in vim ſcriptæ ſummæ ducentorum florenorum Hungaricorum bonorum, ſupra memoratos pagos & villas adſcripſimus, & hiſce literis adſcribimus, ita ut ille ſupra ſcriptam villam & pagum *Hrdly*, pagos *Dolanka*, *Bohuſſowicz*, *Trawczicz*, *Poczapl*, & quæcunque in his pagis ſunt, & ad Monaſterium *Brzewnovienſe* ſpectant, cum fundis, pratis, campis, ſilvis, cum mola, fluvio, gallinis, anſeribus, ovis, robotis, & cum uno ſubdito in pago *Trawczicz*,

(*c*) Sequitur clauſula communis Notariis. Ex parte dextra monogramma ejusdem expreſſum eſt ſpiram quadratam repræſentans, in cujus pede primo *N. 6.* in altero *Nicl. Strig.* legitur. (*d*) Id eſt ſacræ hebdomadæ.

czicz, cum aliis omnibus, & variis appertinentiis, ſolutionibus, *fructibus*, hebeat, poſſideat, & fruatur, abſque noſtro, ſucceſſorum noſtrorum *Bohemiæ* Regum, & omnium aliorum hominum quocunque impedimento tam diu, donec nos, aut ſucceſſores noſtri *Bohemiæ* Reges, aut illæ perſonæ, quibus hæc exſolutio juſte competit, mille ſexcentos florenos *Ungaricos* in auro, & pondere juſto eidem dederint, & plenarie perſolverint. Dum vero illi hos mille ſexcentos florenos *Ungaricos* dabimus, & plene perſolvemus, tum nobis, aut illis, a quibus ſummam hanc recipiet, ſupra ſcriptam villam, & pagos cum appertinentibus cedere debet, & has literas reſtituere ſine omni contradictione. Qui vero has literas habuerit cum ſupra ſcripti *Wilhelmi* bona & libera voluntate, volumus, ut eidem competat jus plenum ad omnia ſupra ſcripta. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum Regium his litteris appendi juſſimus. Datum *Pragæ* die *Jovis Magno*, anno a Nativitate Filii *Dei* milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo, Regni noſtri anno ſeptimo.

CLXXXVII.

Inſtrumentum publicum ſuper electionis confirmatione, & inveſtitura F. Simeonis Præpoſiti Raygradenſis in Abbatem Willemovienſem facta a Joanne de Colovrat Præpoſito eccleſiæ Prag. & Archiepiſcopo eccleſiæ Pragenſis & Archiepiſcopatus ejusdem Adminiſtratore. dd. in caſtro Pragenſi die 9. Decembris anno 1481. (e) Excuſum jam eſt in Diplomatario noſtro Moravico Tomo IV. Monumentorum p. 460.

CLXXXVIII.

Wladislaus Rex Bohemiæ promittit, quod pagum Wayſſicz Monaſterio Brzewnovienſi a Marquardo de Rakowicz ſine exſolutione prævia traditum, a dicto monaſterio nunquam alienare velit. dd. Pragæ die S. Ambroſii anno 1483. Ex autographo Archivi Brewnov.

Nos *Wladislaus* Dei gratia *Bohemiæ* Rex, Marchio *Moraviæ*, *Lucemburgenſis*, & *Sileſiæ* Dux, & Marchio *Luſatiæ* &c. Notum facimus hac pagina omnibus, quod Nos honeſtus Sacerdos *Gregorius* Abbas, & totus Conventus Monaſterii *Brewnovienſis* devoti nobis dilecti informa-

(e) In hac charta bis fit memoria Gregorii Abbatis Brzewnovienſis, quem Ziegelhauerus p. 70. Joanni II. Abbati ordine XXXIII. anno 1484. demortuo ſucceſſiſſe memorat; quod prorſum erroneum eſſe charta præſens convincit, e qua manifeſtum fit Gregorium jam anno 1481. Abbatiæ Brewnovienſi præfuiſſe.

verint, qualiter ſtrenuus *Marquardus de Rakowitz* fidelis nobis dilectus, tenens quendam pagum Monaſterii *Brewnovienſis Wayſſicze* dictum titulo alicujus in-vel-tranſcriptionis (einer Verſchreibung) eundem pagum pro bono hujus Monaſterii & in honorem Dei una cum Inſtrumento in-vel-tranſcriptionis ſine exſolutione eidem Monaſterio reſtituere velit, attamen ſub hac conditione, ut nos, & ſucceſſores quoque noſtri Bohemiæ Reges, aut ullus alius jam nominatum pagum ab hoc Monaſterio, & Religioſis inibi commorantibus non abalienemus, nec ullo modo in-& tranſcribamus. Nos igitur bonam intentionem præfati *Marqvardi* agnoſcentes, & intendentes ut ſub nobis gloria, & honor Domini Dei omnipotentis non minuatur, quin imo potius augeatur, deliberato animo, & conſilio noſtrorum fidelium de poteſtate Regia his literis pro nobis & ſucceſſoribus etiam noſtris *Bohemiæ* Regibus ſpondemus, quod ex nunc, & in futura perpetua tempora præattactum pagum *Wayſſicz* cum ſuis appertinentiis a Monaſterio nominato & Religioſis ibi habitantibus non abſtrahemus, non tranſcribemus, nec quoquo modo abalienabimus, & ſi forte ex oblivione vel alia quavis ratione quandocunque nos vel ſucceſſores noſtri *Bohemiæ* Reges hunc pagum ab hoc Monaſterio abſtraheremus tranſcriberemus, vel abalienaremus, volumus, ut hoc nullam vim aut robur habeat, nec habere poſſit contra noſtras has literas, ſed ut hic pagus penes hoc Monaſterium & Religioſos ibi degentes maneat in perpetuum. In Cujus rei teſtimonium mandavimus ſigillum noſtrum Regium appendi his literis datis *Pragæ* die Veneris in feſto ſancti *Ambroſii* anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio Regni noſtri anno duodecimo.

Ad relationem Domini Joannis de Schelnberg
Cancellarii Regni Boemiæ.

CLXXXIX.

Literæ Ceſſionis, quibus Joannes de Libocz D. Paulo Abbati & Conventui Brewnovienſi cedit curiam in villa Libocz. dd. die Sabbathi S. Michaelis anno 1492. Ex autographo vernaculo Archivi Brewnovienſis in latinum translatum.

Ego *Joannes* de *Libocz* recognoſco his literis publice coram omnibus, ubi legentur, aut legi audientur, quod literas in-pargameno cum pendentibus ſigillis mihi & hæredibus meis datas a Nobilibus Domi-

minis Domino Joanne *Henrico*, & Domino *Ozenck* fratribus de *Roztok* & de *Klinſtein* ſuper curia in *Libocz* (prout illæ literæ hæc omnia plenius continent, & teſtantur) libere dederim, & vi harum literarum cum libera & plena voluntate dem, ac tradam Honorabili Patri *Paulo* (*f*) Abbati Monaſterii *Brzewnovienſis*, & toti conventui Monaſterii hujus Curiam in *Libocz* ſupra ſcriptam ad poſſidendum, tenendum, libere fruendum, & cum ea, ac ſupranominatis literis, mihi, & hæredibus meis ſuper hanc curiam datis, quando, & quidquid illis libet, ac libuerit, utpote cum propria re ſua agendum, & diſponendum absque omni meo, hæredum, ſucceſſorum meorum, & aliorum hominum impedimento, & contradictione. In cujus confirmationem, & perpetuam rei memoriam Sigillum meum proprium his literis libere appendi juſſi, rogans Nobilem Dominum *Nicolaum* ſeniorem de *Kolowrath* & in *Bezdruzicz*, Nobiles Dominos *Georgium* de *Weſelicz*, & *Hinconem Bradleczky* de *Mezkow*, ut etiam ſigilla ſua, ſine ullo tamen ſui præjudicio in teſtimonium præſentium penes meum his litteris appendi faciant. (*g*) Datum anno a nativitate filii *Dei* milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, die *Sabbathi* ſancti *Michaelis Archangeli.*

CXC.

Thiema de Scalizdorff profitetur ſe Clementi abbati Brzewnovienſi vendidiſſe pagos ſuperiorem & inferiorem Wiznow nec non Wermorzovice dd. anno 1499. *feria tertia poſt feſtum S. Maraini.* Ex archivo Brewnov.

Ego *Thiema de Scalicdorff* teſtor hacce pagina publice coram omnibus ubi legetur vel legi audietur, ſiqvidem animo meo deliberato Venerabili ſacerdoti *Clementi* (*h*) Abbati Monaſterii *Brzeunovienſis* & in Brauna & Conventui hujus Monaſterii vendidi hæreditates ſuperius *Wiznow* & inferius *Wiznow* & pagum *Tevto-Wermorzouicze* cum omnibus earum pertinentiis, ſupra quas hæreditates dedi duas in-

vel

(*f*) Paulus is eſt Ziegelbauero nomine IV. atque XXXV. Abbas quem annis quatuor ſupra decem præfuiſſe, annoque 1505. mortuum ſcribit. Sed eum oppido falſum fuiſſe oſtendit mox ſequens charta, quæ jam anno 1499 Clementem infulam abbatialem geſſiſſe perhibet. (*g*) Sigilla tria confracta ſunt, unum adhuc integrum appenſum eſt. (*h*) Et hic chronologiæ Ziegelbaueri non reſpondet, quem poſt Paulum anno 1505. exſtinctum *anno nondum circumacto* Abbatiæ renunciaſſe memorat.

vel tranſcriptiones Regis *Georgii* altæ memoriæ, & adhuc alias literas ejusdem tenoris ſuper his hæreditatibus ſecundum iſtas quibus teſtificans ſupra has eidem Sacerdoti Abbati & Conventui ſupra ſcripti Monaſterii *Brzeunovienſis* feci & dedi meam bonam Voluntatem ordinate ſcriptam, ſicut terra *Bohema* pro jure habet. Præterea ſi ſupra ſcriptum ſacerdotem Abbatem & Conventum quoad prædictas hæreditates ſive Eccleſiaſtico, ſive Laicali judicio quis impeteret, Ego ſupra ſcriptus *Thiema* cum hæredibus, & ſucceſſoribus meis virtute hujus paginæ promitto bona fide ſine dolo in his omnibus eos tueri & defenſare & eis has vindicare ſic ſicut terra *Boema* pro more & jure habet. In majorem fidem & robur ſigillum meum proprium appendi feci huic paginæ, que data eſt anno a Nativitate filii Dei Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono feria tertia poſt feſtum ſancti *Martini* Episcopi.

CXCI.

Wladislaus Rex Bohemiæ inhibet, ne bona Monaſteriorum Braunovienſis & Policenſis unquam amplius a quocunque abalienentur. dd. Budæ die Iovis ante diem S. Urbani, Anno 1500. Ex autographo vernaculo Archivi Brewnov. in latinum verſum.

Nos *Wladislaus* Dei gratia *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Dalmatiæ*, *Croatiæ* &c. Rex, Marchio *Moraviæ*, *Lucemburgenſis*, & *Sileſiæ* Dux, ac *Luſatiæ* Marchio notum facimus his literis univerſis, Poſtquam nobis auxiliantibus, Abbas & Conventus monaſterii *Braunovienſis* ordinis Sancti *Benedicti* devoti noſtri dilecti denuo veniſſent in poſſeſſionem hujus monaſterii, & bonorum *Braunovienſium* & *Policenſium* cum omnibus eorum appertinentiis, rogati fuimus ab Abbate *Brzewnovienſi* devoto noſtro dilecto, ut monaſterio *Braunovienſi* & *Policenſi* eorumque ſingulis bonis & appertinentiis gratioſius providere dignaremur, ut ne deinceps a nobis, & ſucceſſoribus noſtris *Bohemiæ* Regibus, neque ab Abbatibus & fratribus hujus ordinis præſentibus & futuris, nec ab ullo alio oppignorentur, aut quomodocunque obligentur, ad aliud monaſterium transferantur, aut alienentur. Ad ejusmodi petitionem juſtam inclinati, deliberatione matura, & de conſilio fidelium noſtrorum, auctoritate Regia *Bohemiæ* aſſenſimus, & conſenſum præbuimus, & his literis conſentimus, volentes, atque his literis ex poteſtate noſtra Regia pro honore & laude *Dei* Omnipotentis, & ſanctorum ejus *Benedicti* ordinis hujus & *Adalberti* horum monaſteriorum fundatoris, ſta-

ſtatuentes ac confirmantes, ne monaſteria ſupra ſcripta cum omnibus bonis & appertinentiis eorum, nec junctim, neque diviſim, ulli hominum quoquo modo a nobis, aut ſucceſſoribus *Bohemiæ* Regibus, aut ab Abbatibus & Conventibus hujus ordinis oppignorentur, obligentur, aut ad alium ordinem transferantur, neque nunc, aut in futura perpetua tempora alienari poſſint. Quod ſi vero Nos, aut Succeſſores noſtri *Bohemiæ* Reges, aut Abbates, Conventus, vel quidam alius quæpiam ex his oppignorarent, venderent, vel alio converterent ex oblivione, inadvertentia, vel inſcie, id robur & firmitatem non habeat, nec habebit in perpetuum; ſed hæc omnia irritentur, & in nihilum redigantur; ita ut in his monaſteriis laus & honor *Dei* Omnipotentis, Beatæ *Mariæ* Virginis, & ſanctorum ejus propagetur, & augeatur, ob quas cauſas etiam fundata & dotata fuerunt, nunc & in perpetua futura tempora, & illud quidem absque noſtro, ſucceſſorum noſtrorum *Bohemiæ* Regum, & quorumcunque aliorum hominum impedimento, & contradictione. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum Regium (*i*) his literis appendi juſſimus. Datum *Budæ* die *Iovis* ante diem *S. Urbani*, anno Domini milleſimo quingenteſimo, & Regnorum noſtrorum *Hungariæ* decimo, & *Bohemiæ* vigeſimo nono.

Ad Relationem Magnifici Domini *Joannis* de *Sſelnberg*, ſupremi Cancellarii Regni *Bohemæ.i*

CXCII.

Leo X Papa confirmat omnia privilegia tam Pontificum, quam Imperatorum Regum Principumque quandocunque monaſterio Brewnovienſi conceſſa. dd *Romæ VII. Kal. Aprilis anno* 1515. Habetur apud Ziegelbauerum p. 324.

CXCIII.

Ludovicus Bohemiæ Rex, concedit Sigismundo Hromada de Boſſi & filio ejus Joanni, ut bona quædam Præpoſituræ Wiſſehradenſis, Præpoſituræ Pragenſis, Monaſterii Brzewnovienſis, & Teplicenſis oppignorata, exſolvere poſſint & poſſidere, donec illa bona a ſe aut illis Religioſis, vel perſonis Eccleſiaſticis ad quas pertinent, exſoluta denuo fuerint. dd *Pragæ*

(*i*) Sigillum hodie appenſum eſt.

gæ die Mercurii poſt diviſionem Apoſtolorum. Anno 1522. Ex Apographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Nos *Ludovicus* Dei gratia *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *&c.* Rex, Marchio *Moraviæ*, *Lucemburgenſis* & *Sileſiæ* Dux, & *Luſatiæ* Marchio &c. notum facimus his literis univerſis, quod rogati fuerimus a nobili *Sigismundo Hromada* de *Boſſi*, & Generoſo *Joanne Hromada* filio ejusdem *Sigismundi* de *Boſſi*, fidelibus noſtris dilectis, ut eisdem, & hæredibus, ac ſucceſſoribus illorum concedere dignaremur exſolutionem pagorum, *Hoſtin* ad Præpoſituram *Wiſſehradenſem*, *Weleticz* ad Præpoſituram arcis *Pragenſis*, *Przemiſſen* pro parte ad Monaſterium *Brzeunovienſe*, pro parte vero ad monaſterium *Teplicenſe*, *Wietruſſitz* ad Eccleſiam *Wiſſehradenſem*, *Zdib* ad monaſterium *S. Catharinæ*, *Zlonin* ad Eccleſiam arcis *Pragenſis*, & *Znogiczicz* ad Præpoſituram arcis *Pragenſis*, pertinentium: Quorum precibus inclinati, pro ſervitiis eorum, quæ nobis exhibuerunt, & exhibere non deſinunt, matura deliberatione, conſilio fidelium noſtrorum dilectorum, & poteſtate Regia *Bohemiæ* ſupra ſcripto *Sigismundo* & *Joanni* filio ejus, ac eorum hæredibus ac ſucceſſoribus exſolutionem ſupra ſcriptorum pagorum cum omnibus eorum appertinentiis, conceſſimus & præſentibus literis concedimus, ut illi hæc omnia a poſſeſſoribus hodiernis aut futuris redimere, atque exſolvere poſſint ac valeant conjunctim aut ſeparatim, quandocunque illis, illorum hæredibus & ſucceſſoribus placuerit, & libuerit, depoſituri pro reluitione horum pagorum appertinentiumque plenarie & complete ſummam conſignatam in literis juxta tenorem literarum; qua depoſita illis hæc omnino tradantur. Hos vero pagos ſupra nominatos, ubi ſupra ſcripti *Sigismundus* & *Joannes* exſolverint, eos poſſideant, illisque fruantur eouſque cum hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, donec a nobis, ſucceſſoribus noſtris *Bohemiæ* Regibus, aut perſonis Religioſis eccleſiaſticis vel præſentibus vel futuris, illis nempe conjunctim vel ſeparatim, quibus hæc reluitio juſte competit &c. exſoluti fuerint. Id enim nos illique in proprium commodum facere ſemper poterimus, vel poterunt, quando nobis vel illis id agere placuerit, & videbitur, daturi eis & hæredibus, aut ſucceſſoribus eorum ſecundum literas illorum prius edictionis notitiam, finito autem termino edictionis, depoſita plenarie ſumma conſignata, ſuſceptaque ſtatim tenebuntur ſupra ſcriptos pagos cum omnibus eorum pertinentiis, prout ipſimet poſſederunt, & fruebantur, nobis aut perſonis illis Religioſis

vel

vel eccleſiaſticis conjunctim vel ſeparatim, eedere, & has literas cum aliis, terras has attingentibus, reſtituere ſine ulla contradictione & impedimento. Si vero cuidam alteri ex oblivione, aut inadvertentia ſupradictarum villarum pagorumque exſolutionem admitteremus, id hiſce literis annihilamus & caſſamus, volentes, ut tales literæ, nullum robur & firmitatem habeant, nec abhinc in perpetuum habère queant. Et quicunque has literas habuerit, ſive *Sigismundus* ſive *Joannes* ſupra ſcriptus, ſive eorum hæredes cum illorum bona voluntate, volumus, ut eis competat jus omnium rerum ſupra & infra ſcriptarum. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum Regium his literis appendi juſſimus. Datum in arce *Pragenſi* die Mercurii poſt *Diviſionem Apoſtolorum*, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo regnorum noſtrorum *Hungariæ* & *Bohemiæ*, ſeptimo.

Ad relationem Magnifici Domini *Hynconis Borzita* de *Martinitz* in *Smeczno*, Marſchal. Curiæ Regiæ Majeſtatis.

CXCIV.

Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex jura, poſſeſſiones & privilegia Monaſterio Brewnovienſi a quibuscunque conceſſa ſecundum omnia puncta, articulos & clauſulas renovat & confirmat ad petitionem Jacobi (k) Abbatis Brewnovienſis. dd. Pragæ fer. VI. poſt translationem S. Wenceſlai anno 1523. Habetur apud Ziegelbauerum p. 321.

CXCV.

Ferdinandus I. Hungariæ & Bohemiæ Rex ad petitionem Jacobi Abbatis Brewnovienſis renovat & confirmat omnia indulta, poſſeſiones, privilegia quandocunque monaſterio Brewnovienſi conceſſa, datque facultatem oppignoratas & alienatas terras vindicandi & reluendi. dd. Budvicii fer. VI. poſt Diviſionem Apoſtolorum anno 1529. (l) Habetur apud Ziegelbauer p. 326.

(k) Is Ziegelbauero numero XXXIX. Abbas eſt, quemque anno 1537. exſtinctum tradit. Id valde dubitamus num fidem mitatur: cum pag. 71. ſcribit Iacobum Ferdinando I. reſuſcitationem Archiepiſcopatus Pragenſis perſuaſiſſe, quem demum anno 1561. adeoque viginti quatuor poſt obitum ejus annis reſuſcitatum conſtat.

(l) Ejusdem diplomatis habentur literæ, ut vocant, vidimatoriæ conſulis & ſenatus Glazenſis *dd.* Glatz 19. Maii anno 1537. in eodem Archivo Brewnovienſi.

CXCVI.

Joannes Abbas Strahoficenſis ord. Præmonſtratenſis teſtatur ſe vidiſſe autographas literas Ulrici Abbatis Brewnovienſis ad annum 1360 recenſas de villa Trnowa, quas tranſumi fecit anno 1529 10. Novembris. Ex Autographo Archivi Brewnov.

Nos Johannes Divina miſeratione ordinis Præmonſtratenſium Abbas Montis Syon, alias Strahovienſis recognoſcimus præſentium tenore univerſis, quibus intereſt, vel qvibus hoc præſens tranſcriptum exhibitum, lectum, aut oſtenſum fuerit, qvod nos ad juſtam reverendi Patris, Domini Jacobi ordinis S. Benedicti Monaſterii Brewnovienſis Abbatis petitionem, literas qvasdam proſcriptionis villæ cujusdam *Trnawa* nomine, coram nobis perlegi fecimus, poſt etiam proprias in manus recipientes, integras, ſanas, inſuſpectasque in pergameno ſcriptas ſub appenſis in pergameno duobus ſigillis Abbatis, & Conventus *Brewnovienſis* inviolatas, nec in aliqva ſui parte vitiatas, comperimus, atque ſic in transſumptum, aut *vidimus* reſcribi, & redigi fecimus de verbo ad verbum, ut ſeqvitur. In hujus rei evidens teſtimonium & robur præſentes literas recognitionales, tranſſumptum, ac Vidimus Abbatialis noſtri ſigilli ſub appenſione fecimus communire. Anno a *Chriſto* nato MDXXIX. decima die menſis *Novembris*.

CXCVII.

Teſtimonium Benedictionis Abbatialis Brewnovienſi Abbati Mathiæ collatæ ab Epiſcopo Viennenſi dd. Pragæ anno 1537. die 25 Julii. Ex autographo Archivi Brewnov.

Nos *Johannes* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Episcopus *Viennenſis*. Coadjutor novæ Civitatis, ac ſereniſſimi Principis & Domini, Domini *Ferdinandi* Divina favente Clementia *Romanorum*, *Hungariæ*, *Boemiæque* &c. Regis &c. Conſiliarius: Notum facimus univerſis, qvod cum ſuperioribus diebus Monaſterium & illius Conventus *Brzewnovienſis*, Ordinis S. *Benedicti* & Diæceſis ſanctæ metropolitanæ Eccleſiæ *Pragenſis*, ſuo careret paſtore, & Prælato, & religioſi Conventuales dicti Monaſterii Capitulariter in Spiritu ſancto congregati, unanimiter in ſuum abbatem, & Prælatum elegerunt Reverendum, & Venerabilem nobis in Chriſto dilectum *Mathiam*, prout in dicti Abbatis & Conventus literis de legitima electione nobis plena & authentica fides facta, & oſtenſa eſt, nobisque inſuper tum ab Abbate, tum a fratribus ſupplicatum, qvatenus nos authoritate nobis in hac parte conceſſa, munus benedictionis

veluti

veluti Catholicus Antiſtes eidem memorato Domino *Mathiæ* impartiri dignaremur. Nos autem conſiderantes periculum eſſe in Eccleſia Dei, ſi qvando oves & ſubditi paſtore ſuo caruerint, nec illi juxta Catholicum ritum & ſanctiones Patrum manus impoſita fuerit. Propterea hanc & præmemoratam ſupplicationem nobis factam juſtam & honeſtam arbitrati ſumus ac judicavimus. Et propterea in Divi *Jacobi* feſto, qvod erat qvarta feria poſt *Mariæ Magdalenæ* feſtum, hic *Pragæ* in Veteri civitate, in Eccleſia S. *Jacobi* ejusdem, eundem & præfatum *Mathiam* in forma Eccleſiæ conſueta in præſentia multorum Prælatorum, & teſtium fide dignorum ac Catholicorum, in Nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti benediximus, eumque mitra, annulo, baculo, chyrothecis & aliis ornamentis, & inſigniis Abbatialibus authoritate nobis in hac parte commiſſa adornavimus, & inſignivimus, illius plenam poteſtatem, authoritatem, & jurisdictionem Abbatiale ſuum officium, & ſuæ Prælaturæ dignitatem exercendi, & exequendi, omnia & ſingula ei dantes & impertientes, qvæ ad ipſum, & ipſius anteceſſores omnes ex conceſſionibus Apoſtolicis, ac ſuæ Regulæ ad profeſſionis conſvetudinem pertinent, aut pertinere poſſunt: non dubitantes ipſe, qvamdiu vita ſuperſtes fuerit, ſanctam Matrem Eccleſiam Catholicam & illius orthodoxam Religionem in debita veneratione ſervabit, nec a vera religione aliqvando in hæreſes conſentiet, qvodqve ſui Monaſterii, ac confratrum ſuorum utilitatem, honorem, & devotionem pro viribus promovebit, ac defendet juxta juramentum Deo ac nobis ad ſancta Dei Evangelia publice factum, inconcuſſe & fideliter ſervabit. In qvorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præſentes literas benedictionales & confirmatorias ſæpe memorato Abbati dedimus, ac per præſentes damus, illasque propria manu ſubſcripſimus, & noſtri Pontificalis ſigilli appenſione communivimus. Datum *Pragæ* in *Boemia*, in Divi *Jacobi* feſto, quod erat vigeſima qvinta dies Menſis *Julii* anno a Nativitate Domini & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti MDXXXVII.

CXCVIII.

Mathias Abbas Brzewnovienſis cum ſuis Præpoſitis & conventu confirmat Jacobo Scholtz Iudicaturam hæreditariam in Werkesdorff. dd. Braunæ anno 1542 *die veneris poſt feſtum Corporis Chriſti.* Ex autographo Archivi Brewnov.

Wir Mathiaß Von Gottes Erbarmunge Abtt, Bonaventura Probſt deß Kloſterß Braune, Valentinus Probſt zum Raygrad, Johanneß Prior, Caspar Probſt zu Brewne, und daß gantze Convent deß Kloſters Brewne, bekennen mitt dießem unßerem Briefe, wer den lieſſet, oder hörett leßen, daß vor Unß kommen iſt Vnßer lieber getrewer Vnderthaner Jacob Scholtz zu Werkeeßdorff Vndt Erbrychter daſelbſt, Vndt hatt Vns durch ſich Vndt ſeine gutte freunde mitt gantzem fleiſſ gebeten, ihm Vndt ſeinen Erben Vndt nachkömlingen, daß gerichte daſelbſt gelegen, mit aller zugehörige zubeſtätigen, Vndt Coufirmiren. Welches wir ihm nach geholdenem rath mit Vnſern brüdern, zugeſaget haben, Vndt thuen in krafft dieſeß brieffeß: nemblich das wir ihm daß gerichte mit nachgeſchriebener alter gerechtigkeit, Vndt außgedrukten ſtucken beſtätigen Vndt Confirmiren, Vndt wollen das er vor Vnß, Vndt Vnſern nachkömlingen deßſelbigen alſo zubrauchen, wie er daß ietz undt im gebrauch hatt, Vndt ſeine Vorfahren gehabenn hän, Vnverhindert ſoll bleiben, doch Vnſeren rechten, ſo wir auff dem gerichte, Vndt auff den vor angezeigten ſtücken haben, ohne nachtheil. Zum Erſten weil Vnſer Vorfahrender Abt herr Jacob, milder gedächtnuß, daß gerichte gekaufft, daß aufgebawet, vndt wederumb Verkaufft Valten Meißnern, von dem es Jacob Scholtz an ſich gebracht hatt durch ein redlichen kauff, in allen alten reinen vndt gräntzen, daß ihm ober reichet, wollen wir ihn auch alſo dabey gehalten haben. Dieweil aber vnſer vorfahrer die mülſtad darvon zu dem Eſtiffte gezogen, vndt vor dießelbige mülſtadt die Wüſtunge zwiſchen Barthel Knollen vndt dem gerichte gelegen, ihm vndt ſeinen nachkömlingen ohn allen Zinß gegeben, wollen wir auch ihn vndt alle nachkömlinge dabey gehälten haben. Auch geben wir ihm von einer halben huben järlich Zinß auff dem gutte, ſo Procop Scholtz im beſütze hatt. Aber mitt den andern gaben vndt robott ſoll der Vorgenandte Procop Scholtz vndt ein jeder beßitzer deß gutteß der Herrſchafft außrichten, undt geben. Auch geben wir auß ſonderlicher genade ihm zu, vndt allen nachkömlingen aldo, in

dem

dem gerichte zu Wekerßdorff braunisch Bier zuschäncken vndt kein anderß vor Unß vndt nachkommender herschafft aller vnser Unterthaner Unvorhinderth. Er soll auch im drittendiege, sonach Weynachten wirdt gehalten, von den innwohnern deß Dorffeß die Zinßheller einfodern vndt nehmen, dergegen soll er vnßerem Probste vndt geßandten ein essen machen, vndt so offte daß gutt mit der Wüstunge Verkaufft wirdt, soll vns der Kauffer den Zehenden groschen geben, vndt weil er vnß den pflichtigen Dienst nicht thut neben andern richtern im brauweischen weichbilde gelegen, soll er jährlich vierzig groschen dazu acht pfennigen auff Weynachten außrichten. Zu wahrer bestätunge, vndt kräfftlicher haltunge aller oben geschriebnen artikel undt stücke ihm vndt seinen nachkömlingen Unvorbrächlich zuhalten haben wir vorgenandter Abt, vnser Abbtey vndt deß Convents insigel hieran hengen lassen. Geben zu Brawne am Freytag nach deß Heiligen Leychnamstag, nach Christi geburrt Tausendt fünfhundert im zwey vndt viertzigsten Jahre.

CXCIX.

Rex Ferdinandus consentit, ut Abbas & Conventus Braunovienſis agrum & pratum oppignorare possit. dd. Pragæ die Martis S. Jacobi. Ap. 1544. Ex apographo Archivi Regii e vernaculo in latinum translatum.

Nos *Ferdinandus* &c. Notum facimus his literis universis, quod suppliciter rogati fuerimus a Venerabili *Mathia* (*m*) Abbate & Conventu Monasterii *Braunovienſis* fidelibus nostris dilectis, ut eisdem gratiosum nostrum consensum concedere dignaremur, quo unum agrum, & duas partes prati a fundis & pratis suis provido *Joanni* scribæ suo centum sexagenis grossorum *Bohemicorum* oppignorare valeant; & quoniam idem scriba (sicut nobis retulerunt) illis, & prædecessoribus eorum semper bene & sedulo servivit, atque per incendium prædii sui (propter necessitates monasterii alio missus) magnum detrimentum passus fuit; quapropter ad illam oppignorationem agri & pratorum nostrum gratiosum consensum dare dignati fuimus, & hisce literis nostris auctoritate Regia *Bohemiæ*, cum consilio fidelium nostrorum di-

(*m*) Is Ziegelbauero numero XL. Abbas fuit, qui anno 1551. exstinctus.

dilectorum damus videlicet, ut prædictus Abbas & Conventus cum eodem *Joanne* ſcriba de illa oppignoratione agri & pratorum conventionem ad centum ſexagenas groſſorum *Bohemicorum* inſtituant, literas deſuper ſub Abbatiali & Conventus ſigillo in hunc finem extradant, ut nobis, hæredibus. & ſucceſſoribus noſtris *Bohemiæ* Regibus, ipſique monaſterio reluitio omni tempore libera permaneat, aliter autem nequaquam. Demum poſtquam idem Abbas & Conventus cum eodem *Joanne* ſcriba ſuo hanc conventionem inſtituerint, & agrum ac prata oppignoraverint, volumus, ut idem Joannes ſcriba hac oppignoratione cum hæredibus & ſucceſſoribus ſuis frui, & dictum agrum ac prata poſſidere poſſit ea penitus ſecuritate, quaſi a nobis deſuper literas in pergameno cum ſigillo pendente accepiſſet, ſine omni impedimento. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum Regium literis his apponi juſſimus. Datum in Arce *Pragenſi* die Martis poſt *S. Jacobi* diem, anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto, & Regnorum noſtrorum *Romani* decimo quarto, & aliorum decimo *Octavo*.

CC.

Ferdinandus Rex Bohemiæ conſentit, ut Georgius Parochus Beatæ Virginis ad Cunas, & Paulus Parochus ad S. Michaelem in fundis Monaſteriorum aulæ Regiæ, & S Margaretbæ Brewnovii theſauros quærere poſſint. dd. Pragæ die Veneris poſt feſtum S. Hieronymi A. 1545. Ex apographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Nos *Ferdinandus* &c. notum facimus præſentibus literis univerſis, quod comparentes coram nobis Honeſti viri *Georgius* Parochus Eccleſiæ Matris *Dei* ad *Cunas*, & *Paulus* Parochus Eccleſiæ S. *Michaelis* in antiqua civitate *Pragenſi* inſinuarunt nobis, quod a fide dignis hominibus perceperint, in fundis Monaſterii *Aulæ regiæ*, & Monaſterii *S. Margarethæ* Virginis quosdam theſauros ſcilicet aurum & argentum latere, quod illi ſe inventuros, & auxilio quorundam hominum levaturos ſperarent. Nos pro conſenſu & licentia ad hæc tentanda humiliter implorantes. Cum igitur convenientius eſſe agnoſcamus, ut theſauri ſubterranei in emolumentum hominum effodiantur, quam ut absque fructu ſub terra deliteſcant, petitioni illorum annuere, & conſen um noſtrum ad hæc præbere dignati fuimus, quam etiam hiſce literis præbemus, videlicet ut illi in fundis ſupra ſcriptorum monaſteriorum, cum ſcitu tamen Abbatis & Præpoſiti horum monaſteriorum, & absque damno hominum, & horum monaſteriorum tales theſauros quærere,

&

& eos, ſi ad hos pervenire potuerint, levare poſſint, id quidem a dato harum literarum intra unum annum continuum. Quidcunque vero de auro, argento, moneta, clenodiis invenerint, & levaverint, horum omnium Parochi ſupra ſcripti juſtam medietatem ad Cameram noſtram Cæſaream ſtatim deponere teneantur, reliquum ſibi ſervaturi. Abbas tamen & Præpoſitus dictorum monaſteriorum ſemper hominem fidelem ſub foſſione & inquiſitione habeant præſentem, & ſi jam ſpes eſſet, ut in locum, theſauri devenirent, tunc tempori id conſiliariis noſtræ Cameræ arcis *Pragenſis* inſinuent, ut aliquem loco noſtri ad levandum hunc theſaurum deputent. Ceterum Parochi illi, & eorum adjutores ſincere & fideliter, ſicut ad clericos ſpectat, erga nos ſe exhibeant. Volumus tamen, ut hæc noſtra admiſſio & licentia, aliis, quibus pariter, theſauros quærendi facultatem dedimus, in damnum & præjudicium non ſit. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum Regium his literis appendi juſſimus. Datum in arce *Pragenſi* die *Veneris* poſt diem *S. Hieronymi*, anno a Nativitate *Filii Dei* milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, & Regnorum noſtrorum, *Romani* decimo quinto, & aliorum decimo nono.

CCI.

Rex Ferdinandus conſentit, ut incolæ pagorum ad Brzewnovienſe monaſterium pertinentium Doxanæ propiores, cereviſiam e braxatorio Præpoſiti Doxanenſis emere poſſint. dd. Pragæ die Mercurii poſt feſtum S. Mathæi Ap. 1549. Ex apographo vernaculo Archivi Regii in latinum tranſlatum.

Nos *Ferdinandus* &c. Notum facimus præſentibus literis univerſis, quod ad ſupplicem petitionem Venerabilis *Joannis* (*n*) Præpoſiti, & totius Conventus Monaſterii *Doxanenſis* fidelis, & devotorum noſtrorum dilectorum gratioſum conſenſum dederimus, & præſentibus literis demus, ut caupones aut pocillatores ex pagis *Bauſſowicz*, *Hrdle*, *Poczapl*, & *Dolanek*, ad Monaſterium Brzewnovienſe pertinentibus, quoniam monaſterio Doxanenſi propiores ſunt, inde cereviſiam emant, & accipiant, ac emere & accipere teneantur, & id eouſque dum aliud voluerimus & ſtatuerimus, (*o*) cum hac tamen conditione, ut Præpoſitus

(*n*) Reverendiſſimo Joſepho Mika hic Joannes nomine V. Præpoſitus eſt, qui anno 1565. mortuus. (*o*) Ex his conjicere fas eſt tum Hrdlenſem ditionem monaſterii Brewnovienſis braxatorio caruiſſe.

ſitus *Doxanenſis* cereviſiam bonam, & idoneam coqui curet, & competenti pretio citra omnem prætaxationem eandem vendat. Quodſi vero cauponum nonnemo! contra voluntatem ſupra ſcripti Præpoſiti *Doxanenſis* frivole aliunde cereviſiam acceperit, & emerit, quilibet eorum eidem Præpoſito de quolibet vaſe mediam ſexagenam groſſorum *Bohemicorum* in pœna dabit, quam mulctam ab eisdem, ſicut aliud quodvis debitum repetere, & quidem toties poterit, quoties quis transgreſſus fuerit mandatum noſtrum, & contra illud agere præſumpſerit. Qua propter mandamus cauponibus ſupra nominatis, ut vos ita, prouti vobis mandamus, geratis, ab eodem Præpoſito, & non ex alio loco cereviſiam ematis, & obedientiam in hoc præſtetis, ſi damnum, mulctam, ac pœnam evitare vultis. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum Regium his literis appendi juſſimus. Datum in arce noſtra *Pragenſi* die Mercurii poſt feſtum *S. Mathæi*, anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, & Regnorum noſtrorum *Romani* decimo nono, & aliorum vigeſimo tertio.

NB. Duplex Brevnovienſe documentum in Auctario proceſſus Briewnovienſis de Ioanne Præpoſito Brewnov. electo adminiſtratore archepiſcopatus Prag. Ad annum 1553 in meo regiſtro N. 27 & 28. item tertium ad annum 1560. N. 22. continetur.

CCII.

Teſtimonium Georgii Hamer Notarii publici de legitima electione Joannis Præpoſiti Brevnovienſis in Abbatem Brewnovienſem dd. 21. *Septembris* 1553. *Sede Archiepiſcopali Pragenſe vacante.* Habetur excuſum in Auctario recentiſſime repertorum documentorum &c. p. m. 13.

CCIII.

Valentinus Eccleſiæ Prag. Decanus, Joannes a Pucbov Archidiaconus Pragenſis, Archiepiſcopatus Pragenſis auctoritate Apoſtolica ſede vacante Adminiſtratores confirmant electionem Joannis Abbatis Brewnovienſis dd. in arce Pragenſi 26. *Septembris* 1553. Habetur excuſum in eodem Auctario p. m. 16.

CCIV.

Ferdinandus I. confirmat Joannem neo-electum Abbatem Braunovienſem dd. *Viennæ die Iovis poſt feſtum S. Martini anno* 1553. Ex apographo vernaculo Archivi Brewnovienſis in latinum tranſlatum.

Nos

Nos Ferdinandus &c. Notum facimus his literis omnibus & ſingulis: quod honorabiles viri Prior & Conventus monaſterii Brzewnovienſis aliter Braunovienſis dicti nuperrime concordi voluntate & ſuffragio rite elegerint confratem ſuum Venerabilem ſacerdotem Joannem in Abbatem, & idem Joannes ſacerdos a Venerabilibus Adminiſtratoribus Archiepiſcopatus Pragenſis eidem monaſterio, uti ordo rerum expoſcit & ſervatur, in Abbatem datus & confirmatus ſit. Idem igitur neo-electus Abbas nobis humillime ſupplex factus eſt, ut & nos huic electioni noſtrum gratioſum aſſenſum impertiremur, & noſtræ Majeſtatis literis eandem confirmaremus. Ad cujus humillimas preces inclinati matura deliberatione ex certa ſcientia, ex conſilio fidelium noſtrorum dilectorum & poteſtate Regia conſenſum noſtrum clementiſſime impertiti ſumus, & his literis nox nominatum Joannem Abbatem & Rectorem dicti monaſterii omniumque ad idem monaſterium ſpectantium bonorum, quemadmodum a ſuo Conventu delectus, & a ſupra ſcriptis Adminiſtratoribus rite recognitus atque approbatus eſt, regia auctoritate confirmamus eo fine, ut monaſterium Brzewnovienſe ejusque bona tanquam verus ejusdem ordinis filius rite, diligenter atque ſolerter gubernet, nullos exceſſus, qui contra Deum, regulas ejusdem ordinis, privilegia, & veteres bonas conſuetudines vergerent, ullo modo admittat, quin imo omnia juſto & debito ordine adminiſtrans in id unum oculum cogitatumque intendat, ut Deo ferventer ſerviatur, & ejus gloria promoveatur. Quare vobis modernis & ſecuturis Archiepiſcopatus Pragenſis Adminiſtratoribus, Tibi Priori & reliquo Conventui ejusdem monaſterii Brzewnovienſis mandamus, ut crebrius memoratum Joannem legitime electum Abbatem recipiatis, & inviolabiliter manuteneatis, idemque omni populo & ſubditis ad idem monaſterium ſpectantibus ſerio injungatis, atque hac ratione idem Joannes fructu Confirmationis regiæ noſtræ clementiſſime eidem conceſſæ perpetuo gaudeat, nunquam admittentes, ut ei, ſeu illius Conventui a quoquo demum hominum genere impedimentum aliquod inferatur ſub graviſſimis indignationis noſtræ atque ſucceſſorum noſtrorum poenis. In rei hujus teſtimonium noſtrum regium minus ſigillum literis iſtis apponi juſſimus. Actum Viennæ die Jovis poſt feſtum S. Martini anno Domini 1553. Regnorum noſtrorum Romani vigeſimo tertio, Hungarici vigeſimo ſeptimo & Bohemici vigeſimo octavo.

CCV.

Teſtimonium benedictionis Abbatialis Domino Abbati Joanni de Chottow collatæ a Wenceslao Suffraganeo Olomucenſi tum Abbate Saarenſi dd. Saaræ anno 1554. *die* 25. *Januarii.* Ex Archivo Brevnov.

Nos *Wenceslaus* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus *Nicopolienſis*, Suffraganeus *Olomucenſis* & Abbas *Sarenſis*. Notum facimus univerſis, quod cum ſuperioribus diebus Monaſterium, & illius Conventus *Brzenovienſis* ordinis *S. Benedicti*, & Dioceſis ſanctæ metropolitanæ Eccleſiæ *Pragenſis* ſuo careret Paſtore, & Prælato, & religioſi Conventuales dicti Monaſterii Capitulariter in Spiritu ſancto congregati unanimiter in ſuum Abbatem, & Prælatum elegerunt Reverendum ac Venerabilem nobis in Chriſto dilectum *Joannem a Chotow*, prout in dicti Abbatis & Conventus literis de legitima electione nobis plena & authentica fides facta, & oſtenſa eſt, nobisque inſuper tum ab Abbate; tum a Venerabilibus Dominis, Domino *Valentino* Eccleſiæ *Pragenſis* Decano, Domino *Joanne a Puchow* Archi-Diacono, Archiepiſcopatus *Pragenſis* Adminiſtratoribus ſupplicatum, quatenus nos authoritate nobis in hac parte conceſſa munus benedictionis veluti Catholicus Antiſtes eidem memorato Domino *Joanni* impartiri dignaremur. Nos autem conſiderantes periculum eſſe in Eccleſia Dei, ſi quando oves & ſubditi paſtore ſuo caruerint, nec illi juxta Catholicum ritum, & ſanctiones Patrum manus impoſita fuerit: propterea hanc & præmemoratam ſupplicationem nobis factam juſtam & honeſtam arbitrati ſumus ac judicavimus: Et propterea die Dominica poſt feſtum *Epiphaniarum* Domini, quæ erat ſeptima menſis *Januarii* in Eccleſia Monaſterii *Sedlecenſis* ordinis *Ciſtercienſis* eundem & præfatum *Johannem* in forma Eccleſiæ conſveta in præſentia multorum Prælatorum & teſtium fide dignorum ac Catholicorum in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti benediximus, eumque mitra, annulo, baculo, chirothecis, & aliis ornamentis, & inſigniis abbatialibus authoritate nobis in hac parte commiſſa adornavimus & inſignivimus, illique plenam poteſtatem authoritatem, & jurisdictionem Abbatialem, ſuum officium, & ſuæ Prælaturæ dignitatem exercendi, & exequendi omnia & ſingula ei dantes & impertientes, quæ ad ipſum, & ipſius anteceſſores omnes ex conceſſionibus Apoſtolicis, ac ſuæ Regulæ ad profeſſionis conſvetudinem pertinent, aut pertinere poſſunt. Non dubitantes, ipſe quam diu vita ſuperſtes fuerit, ſanctam Matrem Eccleſiam Catholicam, & illius Orthodoxam Religionem in debita veneratione

tione ſervabit, nec a vera religione aliquando in hæreſes conſentiet, quodque ſui Monaſterii ac confratrum ſuorum utilitatem, honorem, & devotionem pro viribus promovebit ac defendet, juxta juramentum Deo ac nobis ad ſancta Dei Evangelia publice factum, inconcuſſe ac fideliter ſervabit. In quorum omnia & ſingulorum fidem & teſtimonium præſentes literas benedictionales, confirmatorias ſæpe memorato Abbati dedimus, ac per præſentes damus, illasque propria manu ſubſcripſimus, & noſtri pontificalis ſigilli appenſione communivimus. Datum in Cœnobio noſtro *Sarenſi* feria quinta *Converſionis D. Pauli*, que erat vigeſima quinta menſis *Januarii* Anno a Nativitate Domini, & Salvatoris noſtri *Jeſu Chriſti* MDLIV.

CCVI.

Ferdinandus Rex Bohemiæ confirmat Joanni Drozensky de Policz ternas literas ſuper cenſibus agris &c. eidem ab Abbate Brzewnovienſi datas. dd. Pragæ die Mercurii poſt feſtum SS. Trium Regum. Ap. 1558. Ex apographo vernaculo Archivi regii in latinum translatum.

Nos *Ferdinandus* &c. Notum facimus præſentibus literis univerſis, quod nobis Providus *Joannes Drozensky* de *Policz* ſcriba & ſervus Venerabilis *Joannis Chotowsky* Abbatis Monaſterii *Brzewnovienſis* triplices literas cum ſigillis pendentibus exhibuerit, humiliter ſupplicans, ut eidem has literas, & conceſſiones gratioſe confirmare dignaremur. Primæ literæ ſunt *Mathiæ* quondam Abbatis, & totius Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis*, & *Braunovienſis*, quibus pro ſedulis & fidelibus ſervitiis dicto *Joanni* ſcribæ ſuo, & ejus hæredibus, ac ſucceſſoribus ſub annuo cenſu quatuordecim groſſorum alborum & quibusdam conditionibus in uſum concedit unum agrum apud pagum *Bukowicz*, & duas partes pratorum inter prata hujus monaſterii ſitorum, cujus datum eſt *Braunovii* anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo, die lunæ, feſto *S. Mariæ Magdalenæ*. Secundæ literæ ſunt ejusdem *Mathiæ* Abbatis & Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* & *Braunovienſis*, quibus dicto *Joanni* ſcribæ pariter ſub cenſu annuo decem groſſorum alborum dat quasdam partes pratorum apud *Wochoz* cum rivulo ad fruendum & hæreditarie tenendum; cujus datum eſt *Braunovii* anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto die Mercurii poſt Dominicam *Reſurrectionis Chriſti* Domini. Tertiæ literæ ſunt *Joannis Chotowsky* Abbatis & totius Conventus ſupra ſcripti Monaſterii, quibus eidem *Joanni* ſcribæ ſupra ſcriptas partes agri, pratorum cum rivulo

item domum in oppido *Policz* (in horto retro rivulum e regione villæ) noviter ædificatam sub annuo censu sex grossorum alborum confirmat, cujus datum *Braunoviæ* die Mercurii festo S. S. *Philippi* & *Jacobi* Apostolorum. Ad ejusmodi igitur humiles preces supra nominati *Joannis* scribæ, cum jam tot annis in hoc monasterio serviverit, & notum sit, quod huic monasterio de his fundis, pratis, & rivulo census annuus rite solvatur, superioritas illis Religiosis permaneat, nec abinde aliquid alienetur; has triplices literas supra scriptas duorum Abbatum, & Conventus Monasterii *Braunovienſis* matura deliberatione de certa nostra scientia, ex potestate Regia *Bohemiæ*, & cum consilio fidelium nostrorum dilectorum in omnibus articulis, punctis, & clausulis, ac tenore, ac si his nostris literis, de verbo ad verbum inscriptæ forent, confirmamus, & approbamus, volentes, ut supra scriptus *Joannes Drozensky* scriba *Braunovienſis*, ejus hæredes, & successores in omnibus illis, quæ in his literis continentur, absque immutatione, & imminutione conserventur, hos fundos, prata, agros cum rivulo, simul & domum de novo ædificatam possideant, donare, vendere, permutare, & cum his omnibus, quasi cum re propria, agere possint, (attamen sub censu, & conditionibus quas literæ præscribunt) sine nostro, hæredum, & successorum nostrorum Regum *Bohemiæ*, Abbatum, & conventus *Braunovienſis* præsentium, & futurorum, atque aliorum quorumlibet hominum impedimento. Singularem etiam huic *Joanni Drozensky* pro fidelibus suis tam diuturnis servitiis, quæ huic monasterio, & etiam Policzensi oppido exhibuit, gratiam præstamus, ut ille, ejus hæredes, & successores, & quivis, qui hanc domum noviter exstructam in horto, possederit, possit, & possint in eadem domo libere, & sine impedimento superiorum loci, & Civium *Policenſium* præsentium, & futurorum, aut aliorum quorumlibet hominum quamcunque civilem negociationem sive per coctura m, sive venditionem, sive pocillationem cerevisiæ, aut qnomodocungue exercere omni eo modo, jure, ordine & consvetudine, quibus alii cives hujus oppidi, domus suas in foro habentes, de jure, & consvetudine fruuntur. In quorum testimonium sigillum nostrum Regium his literis appendi jussimus. Datum in Arce nostra *Pragenſi* die Mercurii post diem sanctorum *Trium Regum*, anno a Nativitate *Filii Dei* millesimo quingentesimo octavo, & Regnorum nostrorum *Romani* vigesimo octavo, & aliorum trigesimo secundo.

CCVII.

CCVII.

Ferdinandus I. præcipit Præpoſitis & Prioribus monaſteriorum Brewnovienſis, Raybradenſis, Policenſis, & Braunenſis, ut electo Abbati Joanni obedientiam præſtent dd. Viennæ anno 1560 die lunæ poſt feſtum Luciæ. Ex autographo Archivi Brewnov.

Nos *Ferdinandus* Dei gratia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, & Croatiæ Rex &c. Infans Hiſpaniæ, Archidux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgiæ & Sileſiæ Dux, ac Luſatiæ Marchio. &c. Notum facimus hiſce literis omnibus. Quandoquidem Venerabilem *Joannem* ab honeſtis Priore, & Conventu Monaſterii Brzewnovienſis electum & a Venerabilibus N. Adminiſtratoribus Eccleſiæ Archi epiſcopatus Arcis Pragenſis in dictum Monaſterium, prout ordo in hoc obſervatur, introductum, in Abbatem hujus Monaſterii & Regulæ S. Benedicti Authoritate Noſtra Cæſarea pro priori ſtabilire & confirmationem ipſi ſuper hoc dari mandare dignabamur. Quapropter vobis omnibus præſertim Præpoſitis & Prioribus Monaſteriorum *Brzeunovienſis*, *Raybradenſis*, *Policenſis* & *Braunenſis*, Sacerdotibus, & Conventibus eorum & aliis omnibus, qui ad Monaſterium Brzeunovienſe ſecundum Privilegia & Regulam hujus Monaſterii ſub ſuperioratum & obedientiam ſupra memorati *Joannis* Abbatis pertinetis, mandare & ſevere præcipere dignamur, ut Vos cum ſæpe memorato *Joanne* Abbate *Brzeunovienſi* tanquam Prælato primario & ſeniore Veſtro, juxta Regulam hujus ordinis, prout ipſi tanquam Abbati & ordinario Veſtro obligati eſtis, dirigatis, & ipſi omnem debitam obedientiam exhibeatis, aliter nullatenus facientes ſub actuali & certa pæna noſtra, & idem Abbas ſe etiam erga vos in omnibus competenter & debite gerere debet. In teſtimonium hujus ſigillum Noſtrum Cæſareum his literis apprimi mandare dignati ſumus Datis *Viennæ* die Lunæ poſt feſtum S. *Luciæ* Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo; Et Regnorum noſtrorum Romani trigeſimo, Hungariæ trigeſimo quarto, & Boemiæ trigeſimo quinto.

Ferdinandus. *Sholdtk.*

Ioachim de Nova domo Vice Cancel.
S. R. Bohemiæ Cancel.

CCVIII.

CCVIII.

Antonius Archiepiſcopus Pragenſis fatetur ſe vidiſſe literas Autographas Epponis militis de anno 1043 *& Ottocari Regis de anno* 1258. *quas ad petitionem Joannis Abbatis Brewnovienſis tranſumit, & renovat. dd. Pragæ* 25. *Auguſti Anno* 1565. Ex autographo archivi Brewnovienſis.

Nos *Antonius* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus *Pragenſis*, Legatus natus, & Generalis Magiſter *Crucigerorum* cum *Rubea ſtella* per *Bohemiam*, *Moraviam*, *Sileſiam*, & *Poloniam* recognoſcimus, & per præſentes notum facimus, quod Reverendus Devotus nobis Dilectus *Joannes* Abbas monaſterii *Brewnovienſis* obtulit nobis binas literas, unas a ſtrenuo quondam milite *Eppone* tempore illuſtriſſimi Principis Domini *Bretiſlai* Ducis *Bohemiæ* exaratas ac dependente in Zona membranea ſigillo ejusdem Principis in teſtimonium roboratas & firmatas. Alteras a Sereniſſimo quondam Principe & Domino Domino *Ottocharo* Rege *Bohemiæ*, Duce *Auſtriæ*, & Marchione *Moraviæ* &c. felicis recordationis conſcriptas, ac ſigillo quoque ſuæ Majeſtatis appendente in Zona ſeritii flavei & rubei coloris communitas. Et nos qua decet, ſolemnitate, rogavit, ut easdem literas in authenticum tranſumti exemplar, quo tam foris, quam domi in cauſis ſuis inſtantibus uti poſſit, tranſcribi curaremus. Itaque nos perpendentes dicti Abbatis petitionem eſſe honeſtam & juſtam, ac literas originales deliberato animo conſiderantes, & per omnia ſalvas, ſanas, integras, non cancellatas, nec aliquo vitio notatas videntes, manibus noſtris tractavimus, legi audivimus, & in præſens tranſumti exemplar conſcribi facimus, interponentes noſtram authoritatem, ut præſenti tranſumto in vel extra judicia non ſecius, ac ſi ipſum originale appareat, plena & indubitata fides adhibeatur. Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum eſt talis: *Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, quod ego Eppo miles Breciſlao Duce famoſiſſimo Ducatum tenente &c.* (*p*) Alterarum vero talis eſt tenor: *Ottacharus Dei gratia Dominus regni Boemiæ, Dux Auſtriæ, Marchio Moraviæ; Univerſis hanc literam inſpecturis in perpetuum. Ut affectum, quem gerimus, cordis circa Venerabilem Abbatem de Brewnow Martinum nomine &c.* (*q*) In quorum fidem & tes-

(*p*) Diploma idem eſt quod ſupra numero IV. notavimus. (*q*) Diploma id jam ad annum 1258 excuſum dedimus.

teſtimonium hoc exemplar tranſumti ſeu *Vidimus* ſigillo noſtro appenſo (r) communiri fecimus, & propria nos manu ſubſcripſimus. Datum *Pragæ* in ædibus noſtræ Archiepiſcopalis Reſidentiæ in *Hradſchano* die vigeſima quinta Auguſti, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto.

Antonius

CCVIIII.

Imperatoris Rudolphi conſenſus datus Braunovienſi Abbati, ut quosdam monaſterii fundos oppignorare poſſit. dd. Ratisbonæ die Martis S. Galli. Anno 1576. Ex apographo vernaculo Archivi Regii in latinum tranſlatum.

Nos *Rudolphus* &c. Notum facimus præſentibus literis univerſis, quod piæ recordationis Imperator *Maximilianus* hujus nominis *Secundus* Dominus Pater noſter chariſſimus ab omnibus Prælatis, & Clero Regni *Bohemiæ* poſtulaverit, ut pro ſumme urgentibus neceſſitatibus, in cauſa belli turcici ad expungendam quandam ſyngraphan, qua quædam monaſteria nobili Joanni *Wchinsky* oppignorata fuere, ſuæ Majeſtati certa ſumma deponeretur. Et vero agnoverunt illi ſe ſuæ Majeſtati, utpote Imperatori, & Domino ſuo obnoxios, obligarique ad petitam ſummam deponendam; verum obtenderant tum, quod ex proventibus monaſteriorum absque oppignoratione quorundam pagorum & fundorum hanc ſummam deponere minime poſſint. Cum igitur nobis jam, ut Imperatori, & Domino eorum, poſt mortem ſupra ſcripti Domini Genitoris noſtri, incumbat, ejusmodi conſenſum dare, ſupplicavit nobis humiliter venerabilis *Martinus* (s) Abbas Monaſterii *Brzewnovienſis* & *Braunovienſis*, ut conſenſum noſtrum gratioſum daremus, quo pro acquiſitione quatuor millium, ducentarum, quinquaginta ſexagenarum *Mi*[illegible]*enſium*, quæ nobis deponere promiſit, oppignorare poſſit civibus *Braunovienſibus* monaſterii ſui ſubditis pagum *Wisniow* pretio mille quingentarum ſexagenarum, & quidem *Chriſtophoro Rydl* civi *Braunovienſi* molam in *Weykſtorff* trecentis ſexagenis; Iudici in pago *Martinkowicz* alteram molam trecentis ſexagenis

(r) Sigillum hodie appenſum Num. XIII. æri inciſum ſiſtimus. (s) Hic Ziegelbauero Numero XLII. Abbas eſt, quemque atterrimo carbone notat. Eum a Rudolpho Imp. Anno 1602. ex auctoratum illique Wolfgangum ſubſtitutum ſcribit.

genis Miſnenſibus. Præterea ut a *Joanne Baptiſta*, & *Rotnſſtek* civibus *Wratislavienſibus* ſub cenſu annuo mutuos accipere poſſit mille imperiales (dando videlicet de centum taleris annue octo taleros) item a *Michaele Heymanl* de *Iaur* quadringentos taleros; item a civibus *Braunovienſibus Michaele*, *Donato*, *Waczl*, *Scholcz*, & *Joanne Forberk* trecentos taleros, ſub conſveto cenſu annuo, ſecundum inſtitutionem novam & mandatum. Animadvertentes igitur ejusmodi mutuum in bonum totius Chriſtianitatis, atque idcirco etiam eorundem Religioſorum vergere, matura deliberatione cum noſtra certa ſcientia, de conſilio fidelium noſtrorum dilectorum, & poteſtate Regia *Bohemiæ*, conſenſimus, & his literis noſtris conſentimus, ut ſupra nominatus Abbas cum Conventu ſuo prædictum pagum, & molas cum omnibus appertinentiis ſupra ſcriptis perſonis oppignorare, pariter & pecuniæ ſummas prædictas ſub cenſu annuo a civibus *Wratislavienſibus*, & *Braunovienſibus* ſupra nominatis mutuas accipere, has etiam ſummas de proventibus monaſterii denuo exſolvere cum ſucceſſoribus ſuis ſine impedimento cujuscunque hominis poſſit & valeat. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum Cæſareum his literis apponi juſſimus. Datum in Civitate noſtra Imperiali *Rzeznæ* (*t*) die Martis ſancti *Galli*, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, & Regnorum Noſtrorum *Romani* primo *Hungariæ quinto*, & *Bohemiæ* ſecundo.

Rudolphus.

Joachym de Kollowrath. Ad mandatum Domini Electi Imperatoris proprium.

Willhelmus Opperſtorff.

CCX.

Hertwigii Zeydlitz literæ Reverſales, quod villa & mola in Bradkowicz, quas ſub oppignoratione poſſidet, a Monaſterio Brzewnovienſi relui poſſint. dd. die Sabbathi poſt S. Galli diem A. 1586. Ex autographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Ego

(*t*) Ita Bohemice appellatur Ratisbona.

Ego *Hertwigius Zeydlitz* de *Schenfeld* in *Zwoliniewes*, ſuæ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, & ſupremus Capitaneus omnium ſuæ Majeſtatis Dominiorum in Regno *Bohemiæ*, notum facio his literis coram omnibus, quod ad humiles preces meas ſereniſſimus & invictiſſimus Princeps & Dominus Dominus *Rudolphus Secundus*, Dei gratia Electus *Romanorum* Imperator &c. *Hungariæ*, & *Bohemiæ* &c. Rex. &c. Dominus meus Gratioſiſſimus villam in pago *Bradkowicz* ſitam, cum mola, & rivulo, quæ inibi ſunt, cum fundis arabilibus, & inarabilibus, pratis ad hanc villam pertinentibus, & unitis, una cum iis; quæ nuper per piſcinam ſupra molam pagi *Bradkowicz* ſitam, vaſtata fuerunt, ac cum omnibus aliis appertinentiis, prout ego hoc tempore (neſcius, an hæc bona hæreditaria, an vero oneri & debito alicui obligata ſint) omnia poſſideo; illaque pretio ſeptingentarum ſexaginta duarum ſexagenarum & mediæ groſſorum *Bohemicorum* jure hæreditario in Tabulas Regni meo nomine inſeri mandavit. In partem vero ſummæ hujus reluendæ ſuæ Majeſtati Cæſareæ atque officio Cameræ præſentis pecuniæ ducentas ſexaginta duas & mediam ſexagenam groſſorum *Bohemicorum* depoſui, & numeravi, poſtquam reliquum, quingentas nempe ſexagenas groſſorum *Bohemicorum*, ſua Majeſtas mihi in ædificium & reparationem hujus boni gratioſe remiſiſſet, ſub hac tamen conditione, ut ſi Abbas, & Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* pagum *Bradkowicz* a me aut ſucceſſoribus meis ad ſuum proprium uſum (uti literæ ſuæ Majeſtatis perhibent) redemerint, inſuper etiam demonſtratum fuerit, quod hæc villa & mola in *Bradkowicz*, cum omnibus ſupra ſcriptis pertinentiis ad hoc monaſterium *Brzewnovienſe* antiquitus pertinuerint, & ad illud hucusque pertineant, tunc Abbas & Conventus, ſi hæc in propriam poſſeſſionem & fructum (prout clauſula & conditio in prædictis Majeſtatis literis ſuper pago *Bradkowicz* & *Nabdyn* datis perhibet) vindicare voluerint, vindicare omnino poterunt, ita tamen, ut eandem ſummam, qua ſua Majeſtas Cæſarea &c. Dominus meus Gratioſiſſimus hoc bonum in Tabulas Regni nomine meo referri fecit, nempe ſeptingentas ſaxaginta duas ſexagenas & mediam groſſorum *Bohemicorum*, plenarie ſolvant & deponant. Nam, ut ſupra dictum eſt, quingentæ ſexagenæ groſſorum *Bohemicorum* in ædificium impendendæ, & ſpeciali Regiſterio demonſtrandæ ſunt. Reſarciendum præterea mihi eſt, ſi poſthac inveniretur, quod bona memorata jam alio quocunque onere aut debito fuiſſent gravata. Recepturus itaque

ſummam integram, mihique juſto titulo competentem, me obligatum profiteor, hanc villam & molam cum ſupra ſcriptis appertinentiis plenarie reſtituere. Quodſi vero Abbas & Conventus Monaſterii *Brzewnovienſis* præſentes aut futuri reluitione facta villæ & molæ in *Bradkowicz*, ea iterum alicui alteri oppignorare, vendere, vel quocunque modo alienare vellent, ac proinde ipſi uſufrui nollent, etiam me, hæredes, ac ſucceſſores meos earum omnium poenarum, quæ in Majeſtatis ſuæ literis adverſus alienationem pagorum *Bradkowicz* & *Nabdin*, item ejusdem villæ & molæ feriuntur, reum, & reos futuros declaro, non ſecus, ac ſi hæc omnia hic de verbo ad verbum præſentibus inſcripta eſſent. In quorum fidem & teſtimonium ſigillum meum his Reverſalibus appoſui. Datum die *Sabbathi* poſt *S. Galli*, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto.

CCXI.

Rudolphus Imperator confirmat contractum ratione villæ & quorundam fundorum in pago Bezdiekow initum inter Joannem Sladowsky, & Abbatem Brzewnovienſem. dd. Pragæ die Veneris S. Marthæ feſto, anno 1599. Ex apographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Nos *Rudolphus Secundus* &c. Notum facimus his literis univerſis, quod *Joannes* de *Chotow* quondam Abbas *Brzewnovienſis*, *Michael* Prior *Braunovienſis*, *Adamus* Prior *Brzewnovienſis*, *Martinus* Præpoſitus *Reihradenſis*, & *Joannes* Parochus & Præpoſitus *Policenſis*, & totus Conventus Monaſterii noſtri *Brzewnovienſis*, *Stanislao Sladowsky* de *Sladow* per literas aut contractum, cujus datum eſt anno a nativitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto die *Dominica* feſto *S. Lamberti* Martyris, ſervitute eliberaverint villam cum caſa *Andreæ Bernart*, & locum unum deſertum *Joannis Kaſſ*, alterum ejusmodi locum deſertum *Pauli Niemecz*, qui omnes fundi ad pagum *Bezdiekow* ſpectantes cum agris, pratis, rubetis, & aliis omnibus ad hanc villam & loca deſerta pertinentibus, hac conditione empti, ut idem *Stanislaus Sladowsky*, ejus hæredes, & ſucceſſores loco cenſuum, laborum, gallinarum, quæ antea de his fundis & villa in *Bezdiekow*, ac locis deſertis dabantur, jam futuris perpetuis temporibus annue duas ſexagenas *Miſnenſes*, & quidem in die *S. Galli* unam ſexagenam, & in die *S. Georgii* etiam unam ſexagenam eidem monaſterio ſolvant, ad nullas vero

vero alias ſolutiones, cenſus, labores, gallinarumque penſiones obligentur, prout idem contractus hæc cum quibusdam aliis clauſulis & conditionibus fuſius continet. Supplicatum igitur nobis fuit humiliter a provido *Joanne Sladowsky* de *Sladowa*, & in *Bezdiekow*, tanquam filio & hærede ſupra nominati *Stanislai Sladowsky* fideli dilecto, pro ſua hæredum, & ſucceſſorum ſuorum meliori ſecuritate, atque emolumento, ut hunc contractum (Hauff ſbt) & hos fundos, illorum exſolutionem & liberationem gratioſe confirmaremus. Nos igitur ad ejus humiles & juſtas preces inclinati prævia matura deliberatione, cum noſtra certa ſcientia, de poteſtate Regia *Bohemiæ*, & conſilio fidelium noſtrorum dilectorum, has literas, & contractum ſupra nominatum in omnibus ejus punctis, clauſulis, & articulis, ac tenore haud aliter, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus literis inſerta forent, integre & plenarie collaudavimus, confirmavimus, & his literis collaudamus, & confirmamus; mandantes vobis omnibus Statibus, & incolis Regni noſtri *Bohemiæ*, ut dictum *Joannem Sladowsky*, ejus hæredes & ſucceſſores ſecundum hujus contractus tenorem & confirmationem noſtram manuteneatis, nullum impedimentum eisdem præſentibus, & futuris temporibus cauſando. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum minus his literis appendi juſſimus, Datum in Arce noſtra *Pragenſi* die *Veneris* peſt feſtum *S. Marthæ*, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, & Regnorum &c.

CCXII.

Inveſtitura Domini Wolffgangi Sellenderii in Abbatiam Braunovienſem facta 20. *Septembris anni Domini* 1602. Ex libro M S. Inſtrumentorum Georgii Bartholdi Pontani Metrop. Eccleſiæ Prag Decani.

In nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Cum Admodum Reverendus Dominus *Martinus* Abbas Monaſterii ſancti *Wenceslai Braunovienſis*, ordinis & congregationis ſancti Benedicti in Dioceſi Pragenſi & Regno Bohemiæ ſiti, ac Monaſteriorum ejusdem Ordinis & Congregationis per Bohemiam & Moraviam Generalis Viſitator jam diu advertiſſet, & experimento comprobaſſet, quod non ſolum propter gravem ejus ſenectutem, & prope exactam ætatem, ſed adverſam valetudinem, qua valde continuo conflictatur, vix poſſet amplius regimini dicti Monaſterii præeſſe, laboresque & curas, quos tale onus neceſſario poſtulat, ſuſtinere, animum propterea jam dudum induxerit,

præfato Monaſterio, & ejus Regimini ſponte & libere cedere, ut ejus vita adhuc durante alius ad labores, & regimen ipſum magis idoneus eidem monaſterio præficeretur, & in ipſius locum eligeretur, ne interea propter cauſas præmiſſas Monaſterium ipſum aliquod in ſpiritualibus, vel temporalibus detrimentum pateretur. Et ut præcaverentur pericula, quæ eidem monaſterio immínerent, ſi eundem Abbatem certe nondum aliquo ejus ſucceſſore conſtituto ex hac vita migrare contingeret, & ad id etiam per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Principem Dominum D. *Sbigneum Berka* Archiepiſcopum Pragenſem, legatum natum &c. pro officii ſui cura & paſtorali ſollicitudine, proque ea paterna, ac præcipua Charitate, qua omnes eccleſias ſibi ſubjectas, & adeo inſigne Monaſterium, quod inter alia hujus Regni antiquius & præcipuum eſt, complectitur, in viſceribus Chriſti fuerit Abbas ipſe paterne monitus, & ſæpe ac ſæpius hortatus, cum Illuſtriſſima Celſitudo optime perſpecta haberet, & ſatis unumquemque docere poſſint complura aliarum hujus Regni Eccleſiarum & Monaſteriorum exempla, quorum acerba eſt recordatio, quæque eo magis Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam angebant, & ſollicitum reddebant, propterea quod calamitoſam, & perdifficilem horum temporum conditionem optime noſſet, quibus hæreſum incendia longe, lateque graſſantur, & luctuoſis diſſenſionibus, & bellorum motu, armorumque ſtrepitu omnia ſint tanquam fluctibus agitata, quibus ſane incommodis, & periculis ex Celſitudinis ſuæ Illuſtriſſimæ conſilio & ſententia opportune proviſum, atque una & eadem opera, & memorato monaſterio, & ipſius Abbatis ſaluti, & quieti optime conſultum foret, ſi eo adhuc vivente alius vitæ integritate, & cæteris, quæ requiruntur, idoneus in ejus locum eligeretur, quam ſane ex electione indubitatum eſſet, multiplicem Deo bene juvante utilitatem redundaturam, & nihil perturbationis Monaſterium prædictum ex predicti Abbatis obitu ſentiturum, cum eum Dominus ex hoc exilio evocaverit, legitimo iam ſucceſſore electo & conſtituto. Cumque eas ob cauſas idem D. Abbas *Martinus* omnes dicti Monaſterii Conventuales, ac alios ejusdem ordinis & Congregationis huius Regni Abbates, & Prælatos, ad quos Abbatis, dum pro tempore memoratum Monaſterium vacat, electio de jure, & conſvetudine pertinet, Braumoviam ad ſe in Monaſterio eodem, quo loci ab antiquo jam tempore antedicti Monaſterii Abbates reſidere ſolent, advocaſſet, & re cum eis communicata, ipſi die ad ejusmodi electionem efficiendam per eos

con-

conſtituta conveniſſent, & licet nulliter, ac præter, & contra ſacrorum Canonum, & ordinis conſtitutionum præſcriptum, ac omnibus ſolennitatibus requiſitis penitus poſtpoſitis, & omiſſis, ac dicto Monaſterio nondum vacante, attento, quod idem Dominus Martinus eidem adhuc non ceſſerat, nec renunciaverat, ad electionem ipſam tunc deveniſſent; Verum tamen haud omnes in unum conſenſiſſent, ſed ſuborta inter eos discordia illorum pars unum, altera alterum in Abbatem elegiſſet. Cumque ex hujusmodi diſcordia, & diviſione multa mala, & incommoda promanarent, & majora, niſi tempeſtive illis obviam iretur, timeri poſſent, & præmiſſa omnia ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. D. *Philippum* Archiepiſcopum *Spinellum* apud ſacram Cæſaream, & Regiam Majeſtatem S. D. N. D. *Clementis* P. P. octavi, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ cum poteſtate legati de latere nuntium delata fuiſſent, hinc factum eſt, quod Illuſtriſſima Dominatio ſua, de totius rei, & negotii ſerie ad unguem informatus, volens pro officii ſui munere omnibus malis & incommodis, quæ inde oriri poſſent, quantum in ſe fuit, occurrere, matura ſuper omnibus habita conſideratione, ex juſtis, & rationabilibus cauſis Apoſtolica Authoritate, qua fungitur, electionem ſupradictam viribus non ſubſiſtere, ſed nullam, invalidam, & illegitimam fuiſſe, & eſſe, tanquam præter, & contra formam Iuris, & Sacrorum Canorum, & ordinis conſtitutionum, haudque in ea, nec ante, nec poſt eam ſervatis de jure ſervandis, nullaque præcedente dicti Domini Abbatis *Martini* ceſſione, vel reſignatione, ſine qua dictum Monaſterium nullo modo vacabat, nec ad aſſertam electionem deveniri poterat, factam, attentatam, & publicatam declaravit, eamque, & omnia in ea acta, & geſta caſſavit, & annullavit, ac pro caſſis, & nullis haberi, & reputari, & electis in ea nullum jus, nullamque actionem in prædicto Monaſterio ejusdem electionis vigore competere voluit, & decrevit, ac ſupra dictis *Martino* Abbati, Prælatis, & Conventualibus, ad quos electio ipſa ſpectat, paterne injunxit, ut eodem Abbate in propoſito adhuc propter cauſas præmiſſas reſignandi perſiſtente, tunc eadem reſignatione ſubſecuta, electionem ipſam rite & legitime juxta ſacrorum Canonum, ac Conſtitutionum præſcriptum inſtituere, & perficere debeant, ſemotisque omnibus diſcordiis, & odiis eum in Abbatem eligere, ſeu poſtulare, qui Religionis zelo, doctrina, pietate, aliisque tanto Prælato dignis virtutibus præſtans merito confirmari mereatur, quique Divina cooperante Gratia omnibus

gra-

gratus, acceptus, & jucundus, atque insigni Monasterio prædicto utilitati, & ornamento singulari, populo vero fideli salutaris in Domino sit futurus, quique denique omnia sua consilia, studia, & actiones ad Dei gloriam, & laudem sit directurus, quemadmodum etiam per præfatum illustrissimum D. Archiepiscopum Pragensem pro munere suo iteratis vicibus paterne hortati, & moniti fuerunt. Cum autem idem D. Abbas *Martinus* in priori suo proposito, & sententia resignandi permaneret, ideo ipse, & reliqui ejus Conventuales, & Abbates, ac Prælati ordinis, & congregationis sancti Benedicti hujus Bohemiæ inferius designati, quibus, ut supra narratum est, de jure, & ex inveterata consvetudine supra dicti Abbatis, dum pro tempore Monasterium ipsum vacat, electio competit simul supradicta de causa convocati, & congregati, & de præmissis omnibus, & singulis plene certiorati, matura & provida deliberatione præhabita, hodiernam diem feriam sextam, vigiliam sancti *Bartholomæi* Apostoli 20. *Septembris*, cum continuatione, si opus fuerit, sequentium dierum, ad electionem, seu postulationem novi, seu futuri Abbatis, postquam facta fuerit per supradictum Dominum Abbatem *Martinum* ejusdem Monasterii ejuratio, celebrandam unanimiter, & concordibus animis assignarunt, & præfixerunt, & ad hoc Ecclesiam, & Monasterium ejusdem Congregationis, & ordinis sub titulo sanctæ *Margaretbæ* in *Brewnow* prope *Pragam* locum alias consvetum, & omnibus commodum, ac totius Congregationis caput destinarunt, & deputarunt, ac de iis absentes certiores fecerunt, & admonuerunt, ut sese loco & tempore præfixis sistere possint. Quoniam vero ex inveterata consvetudine dictæ electioni duo ex Prælatis, seu Canonicis venerabilis Capituli sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis, tanquam testes, ac negotii directores assistere, & intervenire solent, ea propter Venerabile Capitulum ipsum de præmissis commonifecerunt, & rogarunt, ut juxta memoratam consvetudinem ex ejusdem Capituli duos ex eorum gremio in eum finem ad locum prædictum statuto tempore ablegare vellent. Comparetur itaque die præfixo in præmisso destinato loco, nimirum Ecclesia sancti *Benedicti* Monasterii sanctæ *Margaretbæ* in Brewnow, & ibidem in mei notarii Publici testiumque infra scriptorum præsentia, assistentibus etiam, & præsentibus Admodum Reverendis, & Magnificis viris Dominis Magistro *Martino Pfeifferio* Decano, & *Wenceslao Albino* Scholastico supradictæ Metropolitanæ ecclesiæ Pragensis, a memorato Venerabili Capitulo ad præsentem actionem, & actum destiti-

tinatis, & ablegatis perſonaliter conſtituti. Admodum Reverendi Domini, *Don Paulus* Abbas Monaſterii *Slavorum* in Nova Civitate Pragenſi. Frater *Stanislaus Thomanides* Abbas ſancti *Procopii*. Frater *Chriſtophorus* Præpoſitus *Regeradenſis*, Frater *Martinus* Præpoſitus *Brewnovienſis*, Frater *Simon* Præpoſitus *Policenſis*, Frater *Andreas Bartholomæus* Prior *Brumovienſis*. Frater *Jacobus* ſubprior & Profeſſus *Brumovienſis*. Qui Capitulariter congregati, & Capitulum, ſive Collegium ac Conventum ſupra dicti Monaſterii, & totius Congregationis Regni Bohemiæ inter ſeſe facientes, & repræſentantes, audito prius per eosdem confeſſos, & contritos ſacro ibidem hac de cauſa ad invocandam gratiam Spiritus ſancti facto, & Sacro Sancto D. N. Ieſu Chriſti Corpore devote ſumpto juxta Concilii *Baſilienſis*, & ſacrorum Canonum inſtitutum in dicta eccleſia remanſerunt, & coram eis, & in eorum manibus dictus D. *Martinus* Abbas ceſſit, & renunciavit Monaſterio prædicto ſancti *Wenceslai Braumovienſi*, & ejus regimini, & bonis, nihil penitus in ſe retento, jurans admota manu, more religioſorum, quod in ejusmodi reſignatione non intervenit, nec intervenerit fraus, dolus, ſimoniæ labes, aut alia quævis illicita factio, aut corruptela, rogans, & obteſtans pro Deo, & propter Deum eosdem Conventuales, & Prælatos confratres ſuos, ut hanc ejus reſignationem admittere, & acceptare, ac in ejus locum dicti Monaſterii Abbatem alium idoneum eligere, & ſubrogare vellent. (*u*) Qui quidem Domini Conventuales & Prælati Electores viſa dicta reſignatione eam admiſerunt, & acceptarunt, & volentes ad electionem ſeu poſtulationem novi, ſeu futuri Abbatis ſupra dicti Monaſterii, ut præfertur, vacantis rite & legittime procedere, & ex nunc prout ea de cauſa ſunt congregati devenire, ne Monaſterium ipſum ſolatio Abbatis deſtitutum aliqua in ſpiritualibus, & temporalibus diſpendia patiatur, placuit ipſis omnibus, & ſingulis poſt deliberationem habitam, per quam formam eſſet

(*u*) Nimium atro carbone hunc Martinum notavit Ziegelbauerus, p. 72. 73 eumque a Rudolpho Imp. ad reſignationem coactum fuiſſe memorat, cum ex hoc inſtrumento plane diverſa innoteſcant. Supereſt aliud Inſtrumentum in Archivo Braunovienſi Commiſſariorum Regiorum, qui Martini reſignationem pure liberam & ſpontaneam ſolius imbecillitatis & nimium provectæ ætatis cauſa factum teſtantur. Neſcio igitur quo fonte Ziegelbauerus ſcribere potuerit. *Exauctoratus autem Martinus Polycii* cum ſponte & liberrime renunciaverit non quidem Policii ſed Brzewnovii, ut præſens charta teſtatur.

eſſet in hoc electionis negotio procedendum, ut per formam ſcrutinii, dato ab eorum quolibet ſuffragio oretenus, & in ſchedula ejus propria manu ſcripta, prædicto Monaſterio vacanti de Abbate habili provideretur. Unde memorati Domini Abbates, Prælati, & Conventuales Electores negotium ſubeuntes, & continuantes, cum ipſi tam pauci ſint in numero; elegerunt & deputarunt unanimiter in ſcrutatores, & votorum ac ſchedularum collectores ſupradictos Dominos Decanum & Scholaſticum Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis huic electioni aſſiſtentes, eos pro Deo, & per Deum orantes, & ſub gravamine eorum conſcientiæ obteſtantes, ut fideliter ſcrutari, & ſingulorum vota, ac ſchedulas ſingulariter ad partem, & ſeorſim, & de eis exinde ipſis Dominis Electoribus & Capitulo relationem facere vellent. Qui Domini Scrutatores deputati hanc ſibi traditam poteſtatem acceptantes monuerunt, & in Domino hortati ſunt eosdem Dominos Prælatos, Abbates & Conventuales Electores, ut eum eligant, quem pro eorum cujuslibet conſcientia credunt dicto Monaſterio ac Ordini futurum in ſpiritualibus & temporalibus utiliorem, nec promiſſione, vel alicujus rei temporalis datione, aut aliter directe, vel indirecte ſeſe facturos jurare debeant, & ita ipſi ad præmiſſa etiam ſeſe invicem monentes & hortantes, eiusmodi juramentum ſubivere, & unus quisque eorum tacto manu dextra pectore ſecundum morem Religioſorum ſe facturum Deo, divo *Benedicto*, & ſancto *Wenceslao*, cui dedicatum eſt Monaſterium prædictum, juravit, & ſancte promiſit. Hoc peracto dicti Domini Scrutatores ad ejusmodi officium eis commiſſum perficiendum ſecedentes, ad angulum dictæ Eccleſiæ, me Notario, ac teſtibus infra ſcriptis ſibi aſſociatis, ad ſcrutinium ſecreto, & ſingillatim votum cujuslibet exquirentes, & excipientes, proceſſerunt ut infra.

Et imprimis vocarunt præfatum Dominum Abbatem *Martinum*, qui renunciavit, eumque adhortati ſunt, & per Deum vivum, & Sanctiſſimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum adjurarunt, ut ſecundum conſcientiam ſemotis odio, timore, amore, precio, & prece in eum dirigat votum ſuum, qui magis dicto Monaſterio utilis ſibi videretur. Qui Dominus *Martinus* Abbas ita adjuratus reſpondit, & ſuffragium ſuum dedit in hunc modum. Ego *Martinus* certis de cauſis animum meum moventibus, nomino, eligo, & poſtulo in futurum Abbatem Braunovienſem D. *Wolffgangum Sellenderium*, fratrem

or-

ordinis S. Benedicti tanquam habilem, & idoneum. Cum autem ipse Dominus *Martinus* propter nimiam ejus senectutem (*x*) in schedula ejusmodi votum suum scribere haud posset, ipso & Dominis Scrutatoribus jubentibus in scriptis redactum, & registratum fuit per me Notarium infra scriptum. Postea vero absque intervallo per eosdem Dominos Scrutatores Dominus *Paulus* Abbas Monasterii *Slavorum* in Nova Civitate Pragensi vocatus, admonitus, ac etiam juxta formam præmissam adjuratus consensit in prædictum Dominum *Wolffgangum Sellenderium* in hunc modum descriptam in schedula manu ejus scripta, quam tradidit Dominis Scrutatoribus tenoris infra scripti: Ego *Paulus* Abbas Monasterii *Sclavorum* in nova Civitate Pragensi do votum postulationis Admodum Reverendo D. *Wolffgango Sellenderio* confratri Ordinis S. Benedicti fieri Abbatem Braumoviensem, tanquam digniſſimo hoc munere, & optime a sua Cæsarea Majestate & aliis &c. commendato. Actum feria sexta in vigilia sancti *Mathæi* Apostoli. Anno. 1602. *Paulus* Abbas. Dein Dominus frater *Stanislaus Thomanides* Abbas sancti *Procopii* per eosdem Scrutatores vocatus & admonitus, ac adjuratus, ut juxta suam conscientiam nominaret, & eligeret aliquem bonum virum idoneum, & habilem in futurum Abbatem Braumoviensem, qui sic adjaratus nominavit, & postulavit prædictum Dominum *Wolffgangum Sellenderium* in omnibus prout continetur in schedula ejus manu scripta, quam dictis Dominis Scrutatoribus dedit hujus tenoris. Ego frater *Stanislaus Thomanides* Abbas sancti *Procopii* postulo Admodum Reverendum Dominum *Wolffgangum Sellenderium* pro Abbate Braumoviensi, & illi do votum. Subsequenter frater *Christophorus* D. Præpositus Regeradensis a Scrutatoribus vocatus, admonitus & adjuratus consensit in dictum D. *Wolffgangum Sellenderium* sub hac verborum forma expressa in schedula, quam Dominis Scrutatoribus dedit, ejus manu scripta. Ego frater *Christophorus* Præpositus Regeradensis dignum censeo, ut Reverendus Dominus *Wolffgangus Sellenderius* in Abbatem Braumoviensis Monasterii præficiatur, ac gubernacula ejusdem Monasterii commendentur, cui ego votum meum do secundum postulationem totius Congregationis. Post hoc Dominus frater *Martinus* Præpositus Brewnoviensis vocatus, monitus, & adjuratus præmisso modo elegit, & postu-

(*x*) Hem nimiam senectutem viri, ut par haud esset suffragio suo scribendo.

lavit eundem D. *Wolffgangum Sellenderium* per hæc verba deſcripta in ſchedula, quam Dominis Scrutatoribus reliquit infra ſcripti tenoris. Ego frater *Martinus* Præpoſitus Brewnovienſis poſtulo admodum Reverendum D. *Wolffgangum Sellenderium* pro Abbate Braumovienſi, & do illi votum. Deinde Dominus frater *Simon* Præpoſitus *Policenſis* a Scrutatoribus vocatus, & pariter admonitus, & adjuratus ſic ut ſupra, & ita in memoratum fratrem *Wolffgangum Sellenderium* conſenſit, eumque nominavit, ac poſtulavit, prout continetur in ſchedula ejus manu ſcripta & Dominis Scrutatoribus exhibita in hunc modum: Ego frater *Simon* Præpoſitus Policenſis poſtulo admodum Reverendum D. *Wolffgangum* pro Abbate Braumovienſi, & illi do votum. Similiter frater *Andreas Bartholamæus* Prior Brumovienſis vocatus & per eosdem Scrutatores monitus, & adjuratus juxta formam ſupra ſcriptam, conſenſit pariter in præfatum dominum *Wolffgangum* ſub his verbis in ſchedula ejus manu ſcripta, quam Dominis Scrutatoribus obtulit, expreſſis, nimirum: Ego frater *Andreas Bartholomæus* Prior Braumovienſis ſecundum poſtulationem eligo mihi in Abbatem meum Braumovienſem Reverendum Dominum fratrem *Wolffgangum Sellenderium.* Ultimo fuit per eosdem Dominos Scrutatores vocatus, & monitus, ſub eadem forma adjuratus frater *Jacobus* ſub-Prior Braumovienſis, qui etiam poſtulavit, & nominavit prædictum fratrem *Wolffangum Sellenderium,* prout & ſicut in ejus ſchedula, quam ipſis Dominis Scrutatoribus tradidit, & reliquit, legitur hujus tenoris: Ego frater *Jacobus* Sub-Prior & Profeſſus Braumovienſis do votum meum Poſtulationis Reverendo in Chriſto Patri *Wolffgango Sellenderio* Domino Abbati Braumovienſi ordinis ſancti Benedicti. Actum & ſignatum *Braunæ* in vigilia ſancti Mathæi. Diligenter igitur perſcrutatis, exquiſitis, & exceptis ſigillatim & in ſecreto ſingulorum omnium votis, & voluntatibus, & per me Notarium publicum, & ejusmodi ſcrutinii ſcribam in ſcriptis redactis, ipſi Domini Scrutatores de loco ſcrutinii recedentes, ſe ſe ad præfatos Dominos eligentes, & poſtulantes in priore adhuc loco, eccleſia ſcilicet ſupra ſcripta exiſtentes, ut ſupra, Capitulariter congregatos, & Capitulum facientes, & repræſentantes receperunt, & eisdem organo vivæ vocis præfati Domini Pragenſis Decani Conſcrutatoris de ejusmodi ſcrutinio peracto fidelem relationem fecerunt.

Ex

Exinde antequam ad aliud procederetur, ipſis Dominis eligentibus, & poſtulantibus ita jubentibus, relatæ ſunt literæ ad eosdem datæ per Dominum *Vitum* Abbatem *Cladrubienſem* abſentem, vocem tamen & ſuffragium habentem, & ad hanc electionem vocatum, qui in ſæpe nominatum fratrem *Wolffgangum Sellenderium* nominandum & poſtalandum animi ejus votum, voluntatem & conſenſum per easdem literas ſignificavit, & expreſſit, & ad hoc vices & voces ſuas ipſis Dominis eligentibus, & Capitularibus plene commiſit.

Et quia omnium & ſingulorum Dominorum Prælatorum, ac Conventualium ſupradictorum eligentium vota in ſupradictum Dominum *Wolffgangum Sellenderium* in ſcrutinio unanimiter directa inventa ſunt. Conſideratis etiam laudabilibus probitatis & virtutum meritis, zelo, vitaque & morum honeſtate, & integritate, quibus ipſius Domini *Wolfgangi* perſona eſt inſignita, quodque ipſe eſt ex hoc Regno oriundus, & ab honeſtis & Catholicis parentibus genus ducit, quodque ipſe jam diu eſt in ordine, & profeſſus, ac Capitularis in Monaſterio ſancti *Emerami* civitatis Ratisbonenſis. Præterea, quod ipſe quam plurima obivit ordinis munera, tum in regimine, tum in viſitationibus, & reformat onibus, & eſt uſu rerum peritus, & non pauca tractavit Religionis negotia tum Romæ coram ſummo Pontifice, & ejus Curia, tum hic Pragæ apud Cæſaream Majeſtatem, tum etiam alibi, adeo quod de ejus idoneitate, & habilitate nullus remaneat dubitandi locus. Idcirco eum in Abbatem ſupra dicti Monaſterii ſancti Wenceslai Braumovienſis organo vivæ vocis memorati Domini Pragenſis Decani ex authoritate ab eis ſibi tradita nominarunt, elegerunt, poſtularunt, pronunciarunt, & publicarunt in hunc modum:

Nos Abbates, Prælati, & Conventuales ordinis & Congregationis ſancti Benedicti Regni Bohemiæ vice noſtra, ac totius Collegii & Congregationis Regni Bohemiæ, & Conventus Monaſterii prædicti præſentibus & conſentientibus omnibus Admodum Reverendum Dominum Dom. *Wolffgangum Sellenderium* noſtri Ordinis ſancti Benedicti Monachum in Abbatem ſupra dicti Monaſterii ſancti Wenceslai Braumovienſis invocata Spiritus Sancti gratia in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti nominamus, & eligimus, poſtulamus, pronunciamus, & publicamus.

Quam quidem electionem, nominationem, & poſtulationem, ſicut præmittitur, factam, & ſol[illegible]miter publicatam, ſupra dicti Domini eligentes ſive poſtulantes ibidem præſentes, & Capitulum, ſive Collegium facientes, & repræſentantes unanimiter, nemine diſcrepante, ita quod non ſit dubium, quin ex inſtinctu Spritus ſancti proceſſerit, receperunt, & approbaverunt, ac in præfatum Dominum *Wolffgangum* conſenſerunt, eumque in prædicto Monaſterio ſanctæ Margarethæ exiſtentem, per præfatum Dominum Pragenſem Decanum ad ſe ſe ea ipſa hora accerſiri, & duci curarunt, qui cum comparuiſſet, & coram eisdem Dominis eligentibus & poſtulantibus ibidem adhuc omnibus congregatis præſentibus, Capitulum ſive Collegium facientibus, & repræſentantibus conſtitutus eſſet, eidem organo vivæ vocis ſæpius nominati Domini Pragenſis Decani vice, & nomine ipſorum, & totius Capituli, & Congregationis, ſupra dictam nominationem, electionem, & poſtulationem de ipſo, ſicut ſupra factam, intimarunt, & denunciarunt, eum per Deum rogantes, quatenus dictæ electioni & poſtulationi aſſentiri non recuſaret. Cum autem ipſe Dominus poſtulatus poſt actas eisdem Dominis eligentibus, & poſtulantibus ingentes gratias pro propenſa in ipſum eorum voluntate ſe excuſaret, & dictæ electioni & poſtulationi aſſentiri aliquamdiu renuiſſet, eo, quod ad ejusmodi regimen & onus officii parum idoneum & habilem ſe noſſet. Demum ab eisdem Dominis poſtulantibus iterum rogatus, nolens, ſicut non debet, nec poſſet Spiritui ſancto reſiſtere, minus vocationem ſuam ad hoc regimen deſpicere, ſupra dictæ electioni & poſtulationi de perſona ſua, ſicut præmittitur, factæ conſenſit, ſuumque aſſenſum, & liberum conſenſum præbuit, eamque uti a Domino Deo ſibi gratioſe oblatam, & datam humili & libenti animo acceptavit.

Quibus quidem conſenſu, & acceptatione ſecutis, præfati Domini eligentes & poſtulantes eundem ad altare majus ſupra dictæ Eccleſiæ illico accedere & aſſociari, ac ſupra Cathedram ibi in medio paratam ſedere fecerunt, & Abbatem prædicti Monaſterii ſancti Wenceslai Brumovienſis unus poſt alium ſinguli ſalutarunt, & ei ſunt congratulati, quos omnes & ſingulos idem Dominus poſtulatus Abbas benigne, & benevole excepit, atque amplexatus, & oſculatus eſt.

Qui-

Quibus omnibus præmiſſo modo in Spiritus ſancti nomine peractis, & in eodem Monaſterio ſanctæ Margarethæ campanis pulſatis, præfati Domini poſtulatus eligentesque & poſtulantes, illico Gratias Domino Deo egerunt, hymnum Te Deum Laudamus, decantantes, & divinam Majeſtatem ſuam benedicentes de unanimi conſenſu, electione, nominatione, poſtulatione, & acceptatione præmiſſis. Præterea populo, & omnibus ibidem, ac in dicto Monaſterio ſanctæ Margarethæ præſentibus per præfatum Dominum Pragenſem Decanum eandem nominationem, & poſtulationem, acceptationemque, & alia præmiſſa intimarunt, publicarunt, & denunciarunt.

Ut autem de omnibus, & ſingulis præmiſſis perpetuo conſtare poſſit, prædicti Domini Abbas poſtulatus, & eligentes, ac poſtulantes, præſens publicum Capitulare, ſive Conventuale decretum ſigilli dicti Monaſterii Braunovienſis appenſione roborari, & communiri, ac ſuperioribus, & omnibus, quorum intereſt, & intereſſe habent, & quibus neceſſe habetur, illud præſentari voluerunt, deque & ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis per me Notarium infra ſcriptum fieri, atque confici unum ſeu plura Inſtrumenta, & in eo, ſive eis ſingulorum eligentium vota, & ſchedulas, omniaque & ſingula præmiſſa, ſicut ſupra acta, & geſta ſunt, regiſtrare, & annotare voluerunt, & petierunt.

Acta hæc omnia fuerunt in Eccleſia Monaſterii ſupra memorati Sanctæ Margarethæ Brewnovienſi anno a Nativitate Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Indictione, Die vero Veneris vigeſima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. *Clementis* divina providentia Papæ octavi, anno ejusdem undecimo, Regnante, & Imperante invictiſſimo & Glorioſiſſimo Romanorum, & Germanorum Rege & Imperatore, ſemper Auguſto *Rudolpho* ſecundo, ac præſentibus & aſſiſtentibus ibidem ſupra dictis *Reverendis Dominis Capituli ejusdem Eccleſiæ ablegatis*, nec non præſentibus Admodum Reverendo Domino *Joanne Lobelio* Abbate monaſterii *Montis Sion* vulgo *Strahoff*, ordinis Præmonſtratenſis, ac etiam Magnificis, & Nobilibus viris Dominis *Jacobo Menſchikio* ſacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Procuratore, & *Mathia Puchelio* Aulæ Regiæ Iudice, Conſiliariis Regis.

Ego

Ego *Adamus Klaſſterski* ab *Roſengarten* Publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis una cum prænominatis teſtibus interfui, ideo rogatus ea omnia in ſcriptis redegi, & præſens electionis, ſive poſtulationis Decretum & Inſtrumentum confeci, & in hanc formam per alium mihi fidum extrahi feci. In quorum omnium fidem & teſtimonium hic me ſubſcripſi, cum appenſione ſoliti mei ſigni tabellionatus. Georgius Bartholdus Pontanus a Braitenberg.

CCXIII.

Introductio ſolemnis D. Wolfgangi Sellender in Abbatiam Braunenſem, prout ipſe ad Doxanenſem Præpoſitum ſcribens verbis his annotavit. dd. Brunoviæ 1602. *die* 5. *Octobr.* Ex Archivo Brewnov.

Poſtquam Dei Omnipotentis voluntate benigniſſima & diſpoſitione, ſacræque Cæſareæ Majeſtatis commendatione clementiſſima, electione liberrima & legitima in Abbatem *Brzewnovienſem* & Dominum in *Brauna* communibus ſuffragiis omnium requirendorum poſtulatus, rite electus ſum: Eidem Sacræ Cæſareæ Majeſtati viſum fuit clementiſſime, per Dominos Commiſſarios eccleſiaſtici & ſæcularis Ordinis in hoc deputatos, viros primarios, inveſtituram & poſſeſſionem plenariam mihi ſolenniter conferri: ſicque feria quarta ſecunda Octobris mane in *Polica* cum Commiſſariis advenimus, collataque poſſeſſione, ſumpto prandio *Brunoviam* illico perreximus, ibidem a communitate civium armatorum, frequenti apparatu, & Clero cum ſcholaſtico cætu, in proceſſione ſolenni obviam extra civitatem venientibus, honorifice excepti, traditione clavium civitatis, & omni ſubmiſſione congratulantibus, ad eccleſiam deducti, poſt hymnum SS. *Ambroſii* & *Auguſtini* decantatum, arcem ipſam occupavimus. Sequenti die Senatus, civiumque multitudo in eccleſia S. *Wenceslai* arci contigua convenit, quibus videntibus & audientibus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Commiſſarii ad altare ſummum decantata Miſſa ſolenni de Spiritu ſancto, nomine & mandato Cæſareo, claves ſigillumque Abbatiæ publice tradiderunt, & ad ſtallum me forma ſolita deduxerunt, poſſeſſione plenaria communicata & tradita. Dein ad altare medium extra chorum lectis literis Cæſareis, Commiſſionis totius formam ſtatumque continentibus, iidem Domini Commiſſarii conjunctim nobis aſſiſtentes cætum omnem ad præſtandam obedientiam, & homagium

gium hortati, quod idem homagium juramento corporali, levatis ad ſancta digitis, placidiſſime præſtitum fuit: ſimiliter ruſticorum plebs univerſa continue in eadem verba juravit. Quæ omnia felicia, fauſta, & ſalutaria incipere, in pace & emolumento felicius procedere, feliciſſime evenire Deus Opt. Max. jubeat, ſtatuat, & confirmet in multos annos ad nominis ſui gloriam, Religionis civiumque & ſubditorum omnium & ſingulorum incrementum & ſalutem temporalem perpetuamque exoptatiſſimam.

Cum autem vaſtati hujus Cænobii miſera conditio reſtitutionem omni loco urgeat, & requirat maxime, noſtrumque officium nunc ſit, eandem quam primum curare, ideoque diſcedere hinc non liceat, peramice & fraterne contendo, Reverenda Dominatio veſtra advenientibus Dominis Commiſſariis in accipienda poſſeſſione, & præſtando ſubditorum homagio (y) vice mea & perſona probe fungi, omniaque ad actum hunc ſolennem neceſſaria, requiſita & requirenda curare, Dominos etiam Commiſſarios honorifice excipere, lauteque tractare velit. Quod ipſum omnibus officiis fraternis recompenſare nunquam intermittam. Omnia autem, quæ neceſſaria videbuntur diſcretioni, induſtriæ, & fidelitati Dominationis veſtræ, Dei omnipotentis præſidio, ſimul nosque commendamus. Datis *Brunoviæ* 5. *Octobris*. 1602.

CCXIV.

Rudolphus Imperator confirmat contractus duplices inter Brzewnovienſes Abbates & Joannem Sladowsky ratione pagi Bezdiekow initas. dd. Pragæ die Jovis poſt feſtum S. Kyliani, Anno. 1603. Ex apographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Nos *Rudolphus Secundus* &c. Univerſis notum facimus præſentibus literis, quod nobis in omni ſubmiſſione intimaverit providus *Joannes Sladowsky* de *Sladowa* fidelis noſter Dilectus, quod dum ante triginta octo annos *Joannes Chotowsky* quondam Abbas *Brzewnovienſis*, ad Cameram noſtram *Bohemicam* pro quibusdam neceſſitatibus certam pecuniæ ſummam deponere debuiſſet, *Stanislao Sladowsky* patri ſuo, ſumma & ptetio quingentarum ſexagenarum *Miſnenſium* pagum Bezdiekow pertinentem ad monaſterium Policenſe certis conditionibus, & quibus-

(y) Boni Hrdlenſis monaſterio Doxanenſi vicini.

busdam clauſulis (prout literæ ſuper hæc datæ. quarum datum eſt Anno a Nativitate *Filii Dei* milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto die *Lunæ* poſt feſtum *Trium Regum*, perhibent) oppignoraverit, quem pagum pater ejus *Stanislaus* uſque ad mortem poſſedit. Poſtea vero cum ille, utpote filius & hæres, in poſſeſſione quieta hujus pagi permanſiſſet, & huic Conventui omni tempore fidelia ſervitia exhibuiſſet, anno præcedente 1602. a *Martino* Abbate hujus monaſterii (cum certo ſcitu, & conſenſu prædicti monaſterii, imo quarundam primariarum perſonarum Religioſarum, & fratrum Ordinis *S. Benedicti*) literarum illarum & contractus confirmationem obtinuit, quod videlicet eidem, hæredibus, ac ſucceſſoribus ſuis, & cuilibet, qui has literas cum eorum voluntate tenuerit per triginta annos conſequentes pagus iſte in poſſeſſionem datus ſit, & confirmatus, quarum literarum datum eſt *Braunovii* die *Lunæ* poſt feſtum S. *Dorotheæ* anno 1602. cujus quidem contractus *Vidimus* Præſidenti & Conſiliariis Cameræ noſtræ *Bohemicæ* exhibitum fuit. Cum autem ex eodem pago, his annis præſertim, exiguos proventus hauſerit, imo omni anno non exiguas præſtationes gabellas, & alias contributiones, per comitia Regni præceptas, ſolvere debuerit; ſupplicavit nobis, ut has literas duplices quondam Abbatum *Braunovienſium* gratioſe eidem *Joanni Sladowsky* confirmaremus. Ad cujus petitionem quibusdam juſtis de cauſis prævia matura deliberatione inducti, de noſtra certa ſcientia, ex poteſtate Regia, ut pote Bohemiæ Rex, ſupra dictas duplices literas & contractus cum parente ejus initos, in omnibus articulis, punctis, clauſulis, ac eorum tenore integre & plenarie, acſi his noſtris literis de verbo ad verbum inſerta eſſent approbamus & confirmamus, ita ut idem *Joannes Sladowsky* cum hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, & quivis alius, qui has literas rite tenuerit, in his omnibus, quibus hucusque quiete fruebatur, omni emolumento & jure, prout hæ ambæ literæ perhibent, inviolabiliter conſervetur, & relinquatur absque noſtro, hæredum & ſucceſſorum noſtrorum *Bohemiæ* Regum, aliorumque quorumvis hominum impedimento, & contradictione: mandantes ſimul omnibus incolis, & ſubditis noſtris cujuscunque ſtatus Regni *Bohemiæ* fidelibus noſtris dilectis, præſertim Venerabili *Wolffgango Zelender* de *Proſſowicz* (z) Abbati monaſterii *Brzewnovi-*

(z) Ex hoc fortaſſis conjicere fas eſt Wolfgangum Zelender Proſchowitzio, ſeu ut hodie paſſim nomen fert, Proſchitzio diſtrictus Plſnenſis vico germanico, haud pro-

novienſis fideli noſtro, & ſucceſſoribus ſuis Abbatibus, ut ſupra ſcriptum *Joannem Sladowsky* ejus hæredes, & ſucceſſores, ac legitimos hujus villæ poſſeſſores in his omnibus, ut ſupra ſcribitur, ſine quovis impedimento, & contradictione uſque ad finem ſupra notatorum annorum conſervetis, habeatis, & inviolabiliter manuteneatis, neque eum ſub graviſſima indignatione noſtra impediatis. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuo valiturum ſigillum noſtrum Cæſareum his literis appendi juſſimus, Datum in Arce *Pragenſi* die *Jovis* poſt feſtum *S. Kiliani* Anno Domini mlleſimo ſexcenteſimo tertio, & Regnorum noſtrorum anno &c.

CCXV.

Rudolphus II. electionem Wolfgangi Selender confirmat, eique tanquam Viſitatori alia Regni Bohemiæ monaſteria Ordinis S. Benedicti obtemperare jubet. dd. Pragæ die Sabbathi poſt feſtum Aſſumptæ Anno 1607. Habetur apud Ziegelbauer p. 329.

CCXVI.

Rudolphi Röm. Käyſ. Mayeſtäts Brieff, in welchem dem Hr. Wolffgang Seelender Abt des Stiffts Braunau zu Bezahlung der Riebiſchen Soldaten eine Summa Gelts aufzunehmen verwilliget wird. dd. Prag den 21. April. 1608. Ex apographo Archivi Regii.

Wir Rudolff der ander von Gottes Gnaden, Erwölter Römiſcher Kaiſer zu allen zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hungern, Behmen, Dalmatien, Croatien Khönig ꝛc. Erczherczog zu Oeſterreich, Marggraff zu Merhern, Herczog zu Luczemburg und in Schleſien, Marggraff zu Lauſicz, und Graff zu Tyrol. Bekhennen offentlich mit die-

cul ab oppido Deuſſing diſſito, genitum fuiſſe, cum vix quidem cogitatione aſſequi liceat, qua ratione vir religioſus, & paulo ante nonniſi nomine Wolfgangi Sellender ipſi Imperatori aliisque cognitus, agnomen ſeu titulum nobilitatis de Proſſovicz conſequi potuiſſet. Id nimirum mihi eſſe videtur, quod, cum ſupra relata ejus Inveſtitura Num. CCXII. eum gente Bohemum fuiſſe teſtetur, & Ziegelbauerus aliique cum Planæ genitum aſſtruant, veroſimiliter natales ſuos Proſſowiczii in provincia Plſnenſi invenerit, ſcriptores adeoque Bavaricos falli cum Selenderum hunc etiam de re literaria meritum Virum genti ſuæ adnumerant.

ſen Brieff vor uns, unſere Erben, und nachkommende Könige zu Behem gegen allermänniglich, das uns der Würdige Unſer lieber Andächtiger Wolfgang Seelender von Proſchowicz, Abbt Unſeres Stiffts Braunau zu vernemben geben, wie daß Er und des Stiffts underthanen mit den Riebiſchen Soldaten, und Kriegsleuten, ſo auf unſer genedigiſte anordnung dahin ins Stifft einloſiret, und quartiret worden, viel ungemach, und groſſe ſchäden erlitten, und das Er, und die arme Underthanen ihnen den Soldaten das abgehandelte liefergelt, ſo ihnen hinterſtellig verbleibet, zu reichen niche vermöchten, es ſey dann daß Er eine Summa geldes aufnemben, und borgen möchte. Wann Wir dann genedigiſt erwogen die ungelegenheit, ſo Er und das Stifft mit dieſen Soldaten, welche in mangel der Mittel zur abedankung dahin transferiret worden, ausgeſtanden, und damit Er mit ſolchen liefergelt deſto beſſer gevolgen möchte, als thuen Wir Ihme dieſen unſeren Conſens, als Regierender Khönig zu Behem, geben wiſſentlich, daß Er bey den Innwohneru der Cron Behem, und Dero incorporirten Landen auf das Stifft oder ein ſtuckh gütter, gegen genugſamer verſicherung und obligation ein Summa geldes bies in vier tauſend Thaler, oder Schock Meißniſch auf zehen Jahr gegen gebürlicher verzinſung aufnehmben, und künftig von des Stiffts Einkhomben, auch der Städte und aller anderen des Stiffts underthanen leidlichen und erſchwinglichen Contribution und anlag nach gelegenheit eines jedwedern vermögens, mit Jährlicher abelegung etwas daran, wie Er mit den Creditoren abkhomben kan, ſeine obligation, und dieſen unſeren conſens wieder zuhanden löſen, und auf unſer Behaimiſche Cammer zum Caſſiren einſtellen ſolle. Und damit die Creditores, und darleiher ſo vielmehr geſichert, auf den fall Er jetziger Abbt, ehe dieſe ſchuld abegelegt würde, mit Todt abegehen ſolte, ſo ſoll derſelbe auch auf den künfftigen Abbt, und das Stifft verſtanden ſein, und derſelbe künftiger Abbt dieſe ſchuld nach ausgang der bemelten

zehen

zehen Jahr, do noch was daran abzulegen seyn würde, mit der unterthanen hülff, und seinem eigen zuthat abzutragen, und diesen unseren Contens wieder einzustellen schuldig sein. Zu urkundt besiegelt mit unseren Kaiserlichen anhangenden Secret Insiegel. Der geben auf unseren Königlichen Schloß Prag den ein und zwaintzigisten Tag Aprilis, anno im Sechzehenhundert und achten. Unserer Reiche des Römischen im drey und dreysigsten, des Hungrischen im Sechs und dreysigsten, und des Behaimischen auch im drey und dreysigsten.

Rudolff.

Ad mandatum Domini Electi
Imperatoris proprium.

Kaspar Kaplerz.

Miesyczick.

CCXVII.

Carolus, Archi Episcopus Pragensis, concedit, ut ab Episcopo Wratislavienſi Fratres Braunovienſes Ordinibus ſacris initiari poſſint. dd, Pragæ Anno 1608. *XIV. Kal. Novembris.* Ex autographo Archivi Brewnov.

Carolus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus *Pragenſis* Princeps Legatus natus Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius, & Ordinis *Crucigerorum* cum rubra stella per *Bohemiam*, *Moraviam*, *Silesiam*, *Poloniam* Supremus & Generalis Magister.

Notum facimus tenore præsentium & attestamur maxime quibus expedit Universis; Quod Nos propter certas & rationabiles causas, quas Nobis Admodum Reverendus Pater & Dominus *Wolffgangus Selender* a *Proſſowiz* Monasterii Sancti *Wenceslai Brumovii* Abbas, & Ordinis sancti *Benedicti* per *Bohemiam*, *Moraviam* Visitator exponi fecit ad demissam eiusdem instantiam inclinati, omnibus & singulis tam præsentibus quam futuris dicti Monasterii Fratribus, ut ab Illustrissimo & Reverendissimo Principe ac Domino Domino Episcopo *Wratislavienſi* duntaxat seu ejus Suffraganeo, & in Spiritualibus Vicario, gratiam tamen &

communionem ſancte Sedis Apoſtolicæ obtinentibus, atque legitimam officii ſui tentionem habentibus, ad omnes ſacros tam Minores quam Maiores Clericorum Ordines, etiam Presbiteratus ſucceſſive, & ſtatutis a Iure temporibus poſſint & valeant auctoritate noſtra Archiepiſcopali & Ordinaria, harumque vigore litterarum facultatem concedimus & impertimur: Cætera eorum Ordinatoribus conſcientiæ relinguentes. Præſentibus tamen ad noſtram & Succeſſorum noſtrorum revocationem tantummodo valituris. In cujus rei fidem & locupletius teſtimonium haſce manu noſtra ſubſcriptas, etiam ſigilli noſtri appenſione roborari juſſimus. Quæ datæ ſunt Pragæ in Curia ſolitæ Archiepiſcopalis Reſidentiæ noſtræ XIV. Kal. Novembris Anno M. D. C. VIII.

Carolus.

CCXVIII.

Mathias Romanorum & Bohemiæ Rex renovat & confirmat omnes donationes, jura & privilegia monaſterii Brewnovienſis ad petitionem Wolfgangi Sellender Abbatis dd. 22. Julii 1615. Habetur apud Ziegelbauer p. 331.

CCXIX.

Mathias Imperator confirmat duplices a Braunovienſi Abbate Joanni Wolff datas literas, ſeu contractus. dd. Pragæ die Martis poſt feſtum Decollationis S. Joannis Baptiſtæ Ap. 1616. Ex apographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Nos *Mathias* Imperator &c.. Notum facimus univerſis præſentibus literis, quod nobis ſupplicatum fuerit a *Joanne Wolff*, ut eidem duplices literas contractus (Hamffeſt) a Venerabili & Reverendis *Wolffgango* de *Proſchowicz* Abbate monaſteriorum noſtrorum *Braunovienſis* & *Policenſis* ordinis *S. Benedicti* in *Bohemia* & *Moravia* Viſitatore, *Simone Chodomaſt* Præpoſito *Brzewnovienſi*, & *Braunovienſi*, *Michaele Bilinenſi* Præpoſito *Reybradenſi*, *Ulrico Wrenius* Præpoſito *Policenſi*, *Michaele Luca* Priore *Braunovienſi*, & Sacerdote *Tobia Wenceslao*, loco totius Conventus ab his monaſteriis datas, quarum una macella, altera domunculam non procul a monaſterio, penes murum horti monaſterii, & domum *Georgii Gunteri* ſitam tangit, quorum quidem contractuum datum eſt, primi ſuper macellis, die S. *Georgii*

&

& *Adalberti*, id eſt vigeſima tertia die menſis *Aprilis* anni lapſi milleſimi ſexcenteſimi decimi tertii; & ſecundi ſuper domunculam, die Sanctorum *Trium Regum*, anni milleſimi ſexcenteſimi decimi quinti, gratioſe confirmaremus. Ad cujus *Joannis Wolff* humilem petitionem gratioſe inclinati, agnoscentes id juxta inſinuationem Abbatis *Braunovienſis* nobis & Cameræ noſtræ Bohemicæ factam monaſterio & Conventui minime dammoſum fore; quapropter prævia matura deliberatione cum noſtra certa ſcientia, ex poteſtate Regia *Bohemiæ*, & cum conſilio fidelium noſtrorum dilectorum, ſupra nominatos duos contractus, & quemlibet ſeorſim cum conditionibus in iis contentis, approbavimus & confirmavimus, & his literis noſtris tanquam Rex *Bohemiæ* ſcienter in omnibus eorum punctis, tenore, clauſulis & articulis, acſi his literis noſtris de verbo ad verbum inſerta forent, confirmamus, ita ut idem *Joannes Wolff* in his macellis cum hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis ſexus virilis, & præfata domuncula cum *Helena* uxore ſua ad dies vitæ, prout hæ literæ contractus volunt, & ſæpe dictus *Joannes Wolff* hæc omnia nunc tenet, iisque fruitur, immutabiliter conſervetur ac manuteneatur, citra noſtrum, hæredum noſtrorum, & ſucceſſorum Regum *Bohemiæ*, & Abbatum, Præpoſiti, Priorum, & totius Conventus ſupra ſcripti monaſterii noſtri *Braunovienſis* hodiernorum, & ſucceſſorum, & aliorum quorumque hominum impedimentum & contradictionem quamcunque. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum minus his literis appendi juſſimus, Datum in Arce noſtra *Pragenſi* die *Martis* poſt decollationem *S. Johannis Baptiſtæ*, id eſt trigeſima die menſis *Auguſti*, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, & Regnorum &c.

CCXX.

Directores Regni Bohemiæ cedunt in vim numeratarum 2500. ſexagenarum D. Adamo Kaplirz de Sulewicz pagum Bauschowicz ad Braunovienſe & Doxanenſe monaſterium pertinentem dd. in arce Pragenſi 19. Junii Ap. D. 1619. Ex autographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Nos *Bohuchwal Berka* de *Dube* & *Lippa* in *Biela*, *Kurziwod*, *Chrzech*, & *Laukowicz* ad *Iſeram*. *Wilhelmus* Senior de *Lobkowicz* in *Horzow Teyn*, *Czeczowicz*, & *Mirſchkow* &c. *Paulus* de *Rziczian* & in *Dub* &c. *Petrus* de *Sswamberg* in *Trzebon*, *Wolik*, *Ronsperg*, *Zwi-*

Zwikow, & *Keſtrzan*. *Wenceslaus Wilhelmus de Raupowa* in *Trnowan*, & *Zitinicz* &c. *Joachim Andreas Schlik* de *Holeycz* Comes de *Paſaun*, & *Cubito*, in Swigan & *Rowna*. *Wenceslaus* ſenior *Berka* de *Dube* & *Lippa* in *Deſſin*, *Lauczin*, *Widun*, *Hauſcz*, Novo *Berſtein*, & caſtro *Bezdiez*. *Joan Albinus Sslik* de *Holeycz* Comes de *Paſſaun* & *Cubito*, in *Falkenau* & *Daupow*. *Wenceslaus Budowecz* de *Budowa* in *Hradiſſt* ſuper *Jeram*. *Zaſad*, & *Kocziniowicz*. *Radslaus* Iunior de *Wchynicz* & *Tetau*. Caſparus *Kaplirz* de *Sulewicz* in *Neuſtupow*, & *Miliczin*, Burggravius Diſtrictus *Hradecenſis*. *Procopius Dworzetzky* de *Olbramowicz* in *Wrſſowicz* & *Krzſtcz*. *Fridericus* de *Bile* in *Rzeblowicz*, & *Chotomirz*. *Bobuslaus* de *Michalowicz* in *Rwenicz*, & Novo *Sedlo*, Vice Cancellarius Regni *Bohemiæ*. *Henricus Otto* de *Los* & in *Komarow* &c. *Joannes Woſtrowecz* de *Kralowicz*, in *Wlaſſim* & novo *Domaſchin*. *Albertus Pfefferkorn* de *Ottopach*, in *Ginonicz*, & *Butowicz*. *Felix Wenceslaus Pietipesky* de *Chiſch*, & de *Egerberg*, in *Buſſicz*, *Boſyn*, & *Obrziſtwi*. *Peter Miller* de *Milhauſen*, & in *Zwoliniowes*. *Martinus Frumein* de *Podol*. *Joannes Theodor* de *Ottrſtorff*. *Daniel Sereta* Ssotnowsky de *Zaworzicz* Secretarius ad Cameram *Bohemicam*. *Joannes Orſynowsky* de *Firſtenfeld*. *Valentinus Kochan* de *Prachow* &c. *Thobias Ssteffele* de *Kolodieg*. *Wenceslaus Piſeczky* de *Granichfeld*. *Chriſtophorus Khober* de *Khobersberg*. *Joannes Ssedticz* de *Felsdorff*, & *Maximilianus Hoſtialek* de *Jaworzicz*. (a) Directores & Conſiliarii Regni a Dominis Statibus Regni Bohemiæ *Corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumentibus* conſtituti omnes invicem, & indiviſim recognoſcimus, præſentibus literis noſtris, quod Nobilis & Generoſus Eques Dominus *Adamus Kaplirz* de *Sulewicz* præſente rerum neceſſitate & Regni ad exſolvendum populum militarem & defendendam charam noſtram Patriam, ejusque incolas, nobis certam pecuniæ ſummam, nempe 2500. ſexagenas mutuo dederit, & ad Caſſam Regni depoſuerit, qua gratanter ab eodem ſuſcepta eidem nomine noſtro & omnium trium Statuum Regni Bohemiæ in vim hujus ſummæ cedimus pagum *Bauſchowicz*, ad monaſteria *Braunovienſe*, & *Doxanenſe* ſpectantem

(a) Hæc omnium Directorum nomina præcipua memoria digna ſunt, maxime quod cuique terræ & poſſeſſiones item publica munera, quæ tum obtinebant, adjecta ſint. Ex iis complures poſtea a Ferdinando II. partim ſupplicio affecti, partim exilio mulctati.

tem, cum cenſibus perpetuis, & variantibus, gallinis, ovis, laboribus ruſticalibus, & aliis præſtationibus, ad quas ſubditi hujus villæ tenentur, cum ſubditis eccleſiæ, popinis, cum fluvio Egra, trajectu; uno littore, mola in hoc fluvio ad quendam ſubditum ſpectante, cum agris, ſubditis, rebus conductitiis & locatis, verbo cum omnibus & ſingulis ad hunc pagum *Bauſchowicz*, ſpectantibus, cum pleno jure & Dominio in his terminis & limitibus, uti hodie ſunt, & prout hæc omnia mox ante ab Abbate *Brounovienſi* & Præpoſito *Doxanenſi* hucusque poſſidebantur (nihil prorſum excipiendo) eidem Domino *Kaplirz* de *Sulewicz* a Commiſſariis noſtris, ad hæc ſpecialiter deſtinatis, una cum Regiſtro *Purkrecht* dicto ſecundum legitimum Inventarium rerum omnium ceſſa fuerunt. Non minus etiam populum in ſubjectionem ſubditelam & poteſtatem plenariam ſubjicimus, totumque cedimus ad habendum, tenendum, utifruendum, hac ipſa ſumma iterum alteri cedendum, pecuniam ſuper his fundis emutuandum, denique his omnibus, ſicuti re propria (non niſi tamen ad ſummam uſque prædictarum 2500 ſexagenarum) utendum, diſponendum. Hunc itaque mox nominatum pagum cum memoratis, aliisque appertinentiis Dominus *Adamas Kaplirz* de *Sulewicz* a nobis & Commiſſariis noſtris rite ſibi traditum, non tenebitur, nec ſucceſſores ejus tenebuntur alteri eousque cedere, donec eis ſupra dicta ſumma 2500. Sß. bohem. a nobis, ipſis aut Dominis ſtatibus Regni *Bohemiæ* (nam alteri nemini eum redimendi facultas eſt) pecunia præſente reſtituta fuerit. Si vero quis quandocunque & quocunque modo attentaret Dominum *Adamum Kaplirz* de *Sulewicz*, aut hæredes & ſucceſſores ejus poſſeſſione hujus pagi exuere, privare, turbare, aut impedimentum quoddam objicere, tum tenebimur omnes inſimul & indiviſim eum in eadem poſſeſſione defendere, & tueri. Tandem eidem Domino *Adamo Kaplirz* de *Sulewicz* præſentibus literis loco & nomine omnium Trium Dominorum ſtatuum Regni *Bohemiæ* promittimus, quod hunc pagum cum omnibus appertinentiis, quæ illi pro uſu ceduntur, in proximis comitiis, ad exſolvenda Regni debita, ſecundum juſtitiam, valoremque illius, vendere, eidem præ aliis omnibus favere, plenarie cedere & demum in Tabulas Regni ejus nomine hæreditarie inſerere velimus, & curabimus. Si vero contingeret, quod Dominus *Adamus Kaplirz* de *Sulewicz* aut hæredes & ſucceſſores ejus poſſeſſione hujus pagi quocunque modo privarentur, & nos eum illosque

que defendere negligeremus, tunc poterit Dominus *Adamus Kaplirz* de *Sulewicz*, aut hæredes, & ſucceſſores ejus nos ſupra ſcriptos Directores, & Conſiliarios Regni omnes inſimul, hæredes & ſucceſſores, poſſeſſores bonorum noſtrorum de hac ſumma, & cenſibus (quiqui ab hoc tempore competent) convenire judicialiter omni illo modo & ordine, ac Iure, atque ſub iisdem pœnis, non ſecus atque ſi haberent a nobis literas obligatorias in pargameno cum ſidejuſſoribus & ſigillis pendentibus ſecundum ritum & Regni conſvetudinem, & notulam Cancellariæ *Pragenſis* roboratas. Quamprimum vero a nobis aut Dominis Statibus ſupradicta ſumma reſtituta, aut hic pagus venditus, ac in Tabulas Regni inſertus fuerit, hæ literæ caſſari & nobis reſtitui debent. Denique ſi ita viſum fuerit Domino *Adamo Kaplirz* de *Sulewicz* vel hæredibus & ſucceſſoribus ejus, ut literæ præſentes Tabulis Regni inſerantur, id facere poterunt etiam abſentibus nobis. In quorum confirmationem nos ſupra ſcripti Directores ſigilla noſtra propria, cum certa ſcientia noſtra his literis apponi juſſimus, (*b*) & in illis nos manu propria ſubſcripſimus, Datum in arce *Pragenſi*, 19. die menſis Iunii Anno Domini 1619.

CCXXI.

Princeps de Lichtenſtein aſſignat Commiſſarios, qui Venerabilem D. Simeonem Gledomaſtum Præpoſitum ad S. Margarethan in poſſeſſionem monaſterii Brzeunovienſis poſt ejus devaſtationem reducant dd. Pragæ 1. *Decembris Anno* 1620. Ex autographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Nobili *Wenceslao Widun Obiteczky* de *Obitecz*, Venerabili Simoni *Broſius Horſteinsky* de *Horſtein* Præpoſito Eccleſiæ *Pragenſis*.

Sereniſſimus Princeps *Carolus* Dominus & Gubernator Domus *Lichtenſteiniæ*, Dux *Oppavienſis* ſuæ Maieſtatis Cæſareæ *Hungariæ*, & *Bohemiæ* Regis &c. Conſiliarius Intimus, & a ſua Maieſtate Cæſarea cum Plenipotentia inſtitutus Commiſſarius Generalis. Nomine, & loco ſuæ Cæſareæ Maieſtatis Domini Domini Gratioſiſſimi nobilem *Wenceslaum*

(*b*) Omnium Directorum memoratorum gentilitia ſigilla, quibus ſingulis nomen ſubſcriptum, uno ordine infra chartæ appoſita ſunt.

laum Widun Obiteczky de *Obitecz.* &c. Venerabilem ſacerdotem *Symonem Broſium Horſteinsky* de *Horſtein* Præpoſitum eccleſiæ Caſtri *Progenſis*, Commiſſarios conſtituit, eisque mandat, ut quantocyus Venerabilem *Simonem Gledomaſtum* Præpoſitum monaſterii ſanctæ *Margarethæ* interim, uſque dum plenius ſuæ Cæſareæ Majeſtatis hac de re mandatum emanaverit, in monaſterium *Brzewnovienſe* omnesque ejus appertinentias, pagos, cenſus poſſeſſionesque, cum plena & abſoluta poteſtate inducant, modernos vero directores, & jurisdictionem exercentes in ſubditos indebitæ ſubditelæ & ſubjectioni obnoxios dimittant, omnes fundos ad monaſterium *Brzewnovienſe* antehac pertinentes, denuo eidem Præpoſito monaſterii S. Margarethæ reddant, homines ſubditos iterum in ſubjectionem & ſubditelam cum omnibus cenſibus reducant, eumque in poſſeſſione fundorum hujus monaſterii impediri minime patiantur. Quin imo monaſterium hoc, fundosque illius omnibus viribus protegant, & defendant. Si quis vero huic ordinationi ſuæ Cæſareæ Majeſtatis ſe opponere præſumpſerit, aut in poſſeſſione horum fundorum prædictum Præpoſitum impedire attentaverit, is morte multetur. Hæc omnia autem, utrum & qua accuratione a Commiſſariis executioni tradita fuerint, ſuæ Serenitati quam primum notitia & relatio ſcripto dabitur, in quibus gratioſam voluntatem ſuæ Majeſtatis Cæſareæ adimplebunt. (c)

Carolus D. L.

Decretum per ſuam illuſtriſſimam Celſitudinem *Pragæ* 1. Decembris Anno 1620.

Joannes *Daniel Kapr.*

(c) Huic profecto Principi Carolo de Lichtenſtein Ziegelbauerus præcipuum locum inter Benefactores & Protectores Monaſterii Brzewnovienſis concedere debuiſſet, cujus ne verbo quidem meminit. Etenim quod Beneficium majus exſpectari potuit, ut ne exſpectato quidem Decreto Ferdinandi II. calente pene adhuc campo Martio Albi montis, ac non niſi poſt quinque ſeptimanas a victoria iſthic obtenta monaſterium in omnes poſſeſſiones, & quidem tanta ſeveritate, reſtitui mandaverit. Et vero incognita hæc fuere Ziegelbauero, & procul dubio eorum memoriæ Brzewnovii, per bellum Suecicum, quod ſucceſſit, periere.

CCXXII.

Relatio Cæſareorum Commiſſariorum Domino Carolo Gubernatori Domus Lichtenſteiniæ Duci Oppavienſi a S. Cæſarea Majeſtate Commiſſario cum plenipotentia Generali per Bohemiam conſtituto data circa deplorandum ſtatum monaſterii Brewnovienſis poſt pugnam Albo-Montanam, inductumque rurſum in ejus poſſeſſiones Simonem Gledomaſt Præpoſitum loci. dd. 14. *Decembris* 1620. Ex autographo vernaculo Archivi Regii in latinum translatum.

Sereniſſime Dux Domine Domine faventiſſime.

Serenitas ſua nos infra ſcriptos Commiſſarios denominavit, ut quantocyus Venerabilem *Simonem Gledomaſt* Præpoſitum S. Margarethæ in monaſterium Brewnovienſe, ejusque poſſeſſiones cum plena & abſoluta poteſtate inducamus, ſuæ itaque Serenitati vi delati nobis officii & commiſſionis injunctæ cum omni reverentia notum facimus, nos omnia, ut imperata fuerunt rite & ſolerter executos fuiſſe, ſimul tamen & Serenitatem ſuam celare non poſſumus nusquam ſatis verbis exprimi poſſe, quam peſſime cum hoc monaſterio actum ſit, & hucuſque agatur; Monaſterium integrum igne & vaſtatione abſumptum eſt ſolis non niſi nudis muris reſiduis. Eccleſiæ ambæ (lacrymæ & planctus cælum ad commiſerationem moveant) vetus & nova penitus vaſtatæ ſunt. In veteri eccleſia teſtudo, pergulæ, altaria, imagines, organum, ſedes, ſcamna ambona cum ipſis tectis conflagrarunt, idem novæ eccleſiæ accidit, in qua adhucdum ignis, non ſecus atque in quodam furno latericio aut braxatorio furit omnia & ſing a depaſcens. A confluente fæce hominum diripiuntur omnia, quæquæ auferri poſſunt, nec locus iſthic amplius reſtat, qui habitari poſſit. Idem fit in pago *Brzewniow* huic monaſterio vicino. Nam milites, qui fuerunt ſtipendiarii ſupremi Colonelli *Haslinger* jam defuncti, omnia diripiunt, comburunt, imo usque *Album Montem* turpiter graſſantur homines ſpoliando & trucidando, quemadmodum nobis a veridicis relatum fuit. Quapropter ſuam Serenitatem enixe & cum debita ſubmiſſione oramus, ut poteſtate ſua, qua eminet, utatur, gratioſeque provideat, ut idem pauper Religioſus cum ſubdito ſibi populo ſecure locum in habitare poſſit, ne omnia alioquin exuſta & vaſtata plane ad incitas redigantur, ad quod plurimum profuerit, ſi milites illi licentioſi & ni-

inquieti ad alium locum translati fuerint. Quibus nos fuæ Serenitatis gratioſæ protectioni commendamus 14. Decembris 1620.

Wenceslaus Obiteczky de Obitecz
Simon Broſius Præpoſitus Prag. eccl.

CCXXIII.

Ferdinandus Rom. Imp. confirmat neoelectum Abbatem Brunnovienſem Alexium Hübner dd. Wiennæ die 7. Septembris anno 1646.
Ex autographo Archivi Brewnow.

Wir Ferdinand von Gottes Gnaden Erwöhlter Römiſcher Kaiſer, zu allen Zeiten Mehrer deß Reichs in Germanien zu Hungarn Böhemb, Dalmatien, Croatien, vndt Sclauonien ꝛc. König. Erzherzog zu Oeſterreich, Marggraff zu Mähren, Herzog zu Luxenburg, vndt in Schleſien, vndt Marggraff zu Laußnitz ꝛc. Bekhennen offentlich mit dieſem Brieff vor Jedermänniglich; dem nach vns der Würdige Unſer Andächtiger vndt lieber getreuer F. Alexius Hübner in Unterthänigem gehorſamb zuuernehmen geben, wie daß Er durch ein Ordentliche Wahl nach inhalt Geiſtlichen Rechtens, vndt ſeines Ordens Inſtituto vndt gewohnheit nach zum Abbt vnd Vorſteher des Stiffts vndt Gotthauß zu Brauna ernennet, erwöhlt, vndt Conſtituirt worden, mit angeheffter gehorſambſter bitt, wir geruheten vnß ſolche Wahl gnedigſt gefallen zu laſſen, dieſelbe auch zu Confirmiren vndt zu beſtettigen. Alß haben Wir in Kayl. vndt Königl. Gnaden angeſen ſolche ſeine demüthige bitt, Wie nit weniger auch ſein vns gerümbtes Gottsförchtiges leben vndt Wandel, und ſonderbahre gute Qvaliteten, vndt derowegen ſolche Election gnädigſt ratificirt vndt beſtättiget. Thuen ſolches auch hiemit wißentlich alß Regierender König zu Böhaimb in krafft dieſes brieffs. Mainen vndt wollen, daß Er Alexius Hübner nun vndt hinführo angeregtes Stiffts vndt Cloſters, nach weißung Ihrer Geiſtlichen Rechten vnd

Sazungen, nicht allein in ſpiritualibus zu lob, glori vndt Ehr deß Allmächtigen, und fortpflanzung deß allein Seeligmachenden Catholiſchen Glaubens, ſondern auch in temporalibus, alle deßelbten Vnterthanen vndt zugehörige zu deß Stiffts Nuz vndt aufnehmen ſeinem beſten Verſtandt vndt Vermögen nach Regiren, die Ordens Diſciplin fleißig in acht nehmen vndt in Summa alles das Jenige, was einem getreuem Abbt, Vorſteher, laut ſeiner gethanen pflicht zuſtehet vndt gebühret, auch zu erhaltung deß Stiffts wol erlangten Privilegien Recht vndt Gerechtigkeiten, nuzlich vndt Vonnöthen ſein wirdt, Ihme treulich anbefohlen ſein laßen, in obacht nehmen, vndt aufs beſte befördern. Gebitten hierauff allen vndt jeden vnſerm Vnterthanen, was Würden, Standts, Ambts oder Weſens die ſeindt, daß Sie mehrerwehnten Alexium Hübner vor ein Ordentlich erwöhlten vndt von Vns Confirmirten Abbten des Stiffts Brauna erkhennen vndt ehren, inſonderheit aber vnſerm iezigen vndt Khünfftigen Stadthaltern, in vnſerm Erb Königreich Böhemb, daß Sie Ihme in ſeiner Iurisdiction-adminiſtration, oder ſonſt in geringſten nicht beirren, noch dießes anderm zuthun Verſtatten, ſondern Ihme vilmehr in allen billigen ſachen die hülffliche Handt biethen, vndt gebührenden Schuz halten, denen Ordens brüedern aber, vndt zum Stifft gehörigen Vnterthanen, daß Sie Ihme alß Ihrem Vorgeſezztem Haubt allen ſchuldigen Reſpect, Ehrerbitung vndt gehorſamb laiſten, auch anderſt nicht thuen ſollen, bey Vermeidung vnſer Schwehren Straff vndt Vngenadt. Hingegen Verſehen Wir Vns auch gegen Ihme gnedigſt, Er werde zugleich demjenigen, waß ſeine gelaiſte Pflicht mit ſich bringt, treulich vndt gehorſamb lich nachkommen. Zu Vrkhundt dießes mit Vnſerm Kay. Vnd Königl. Secret Inſigl. begräfftiget. Geben in vnſer Statt Wien, den Sibenden Monatstag Septembris, im Sechzehenhundert Sechs vndt Vierzigſten, vnſern Reiche deß Römiſchen

ſchen im zehenden, deß Hungariſchen im Ein vndt zwanzigſten, vndt deß Böhaimbiſchen in Neunzehenden Jahr.

Ferdinand.

Gulielmus Comes Slavata. R. Boh. S. Cancellar,

Admandatum Sac. Cæſ. Majeſtatitis proprium D. Freißleben.

CCXXIV.

Erneſtus Archiepiſcopus Pragenſis Alexio Hübnero Brzewnovienſi Abbati ab Anteceſſoribus ſuis conceſſas Jurisdictiones in Ordinis Parochos renovat, prorogat, & confirmat. dd. Pragæ Anno 1650. *die* 6. *Decembris.* Ex autographo Archivi Brewnov.

Erneſtus divina Miſeratione Sac. Rom. Eccl. titul Sanctæ *Praxedis* Presbyter Cardinalis ab *Harrach* Archiepiſcopus *Pragenſis* Princeps Legatus natus: Expoſita eſt nobis petitio Dom. V. continens, cum hactenus nunquam auditum fuerit, quod D. V. vel Anteceſſores ejus conceſſa ipſis Iurisdictione in Parochias Ordinis, earumque Curatores independenter a Vicariis noſtris Foraneis, ſive illi Archi-Diaconi, ſive Decani, aut Parochi exſtiterint, nobis quidpiam præjudicaſſe, adeoque eandem Iurisdictionem ratam habere, prorogare, & confirmare dignaremur. Cui petitioni, ſiquidem commode refragari non poſſimus, attendentes vel maxime, quod a Iurisdictione noſtra, quantum Privilegia veſtra concedunt eximi nolitis, quin imo ſi Parochi veſtri deliquerint, & a vobis ſucceſſoribusque veſtris, de delicto monitis, correpti non fuerint, per nos Tribunalque noſtrum corripiendos ſubiiciatis. Ac proinde tanto favorabilius ad petitam renovationem, prorogationem, & confirmationem antecedenter conceſſa Iurisdictionis condeſcendimus, eandemque vobis & ſucceſſoribus veſtris, ita ut etiam ſede vacante Parochi inconcuſſi, & imperturbati in Parochiis maneant, concedimus, & conceſſam per præſentes volumus. Actum *Pragæ* in Reſidentia noſtra Archepiſcopali 6. Decembris Anno 1650.

E. Cardinalis ab Harrach.

CCXXV.

CCXXV.

Camillus Meltius Archiepiſcopus Capuæ & Apoſtolicæ ſedis Legatus revocat, & annullat atteſtatum Conſiſtorii Olomucenſis adverſus exemptionem monaſterii Brewnovienſis in cauſa electionis Præpoſiti Raygradenſis dd. *Viennæ* 9. *Julii* 1652. *Apud Ziegelbauer p.* 177.

CCXXVI.

Ferdinandus III. confirmat neoelectum Abbatem Braunovienſem Auguſtinum Seyffert. dd. Wiennæ 1652. *die* 23. *Aprilis.* Ex autographo Archivi Brewnov.

Wir Ferdinand der dritte von Gottes Gnaden Erwehlter Römiſcher Kaiſer zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien zu Hungarn Beheimb Dalmatien, Croatien, vnnd Sclavonien ꝛc. König, Ertzherzog zu Oſterreich, Margkraff zu Mähren, Herzog zu Lutzenburg, vndt in Schleſien vndt Margkraff zu Laußnitz ꝛc. Bekennen offentlich mit dießem brieff vndt thun kundt allermeniglich, demnach vnß der Würdiger vnſer Andächtiger vndt lieber getrâuer Frater Auguſtin Seiffertdt geweſter Coadjutor des Wulengſt abgeleibten Alexii Hübners Abbtens des heiligen Benedictiner Ordens zu Brauna in vnſerm Erb Königreich Böheimb gehorſambſt zuvernehmen geben, waßmaßen Er auf abſterben erſtermeltes Alexii Hübners von denen Geiſtlichen Ordens Brüdern daßelbſten zur Brauna rite & Canonice nach ſeines Heiligen Ordens inſtitution zum Abbten erwöhlt, inſtallirt vndt eingeſezet werden were, vnß dahero demüttigſt bittendt, Wir Ihne als Abbten des Stiffs vndt Cloſters Brauna allergnädigſt zue Confirmirn vndt zue beſtättigen geruhen wolten.

Wann Wir dann gnädigſt angeſehen ſolche ſeine demüthige zimbliche bitt, vndt darein gnedigſt gewilliget, Alß haben Wir ſolche ſeine zum Abbten zue Brauna vorgenommene Wahl hiemit in Kaißer, vndt Königl. Gnaden ratificirt vndt beſtättiget, ratificirn vndt beſtättigen auch dieſelben auß habender Macht vndt vollkommenheit, als Regierender König zue Böheimb vndt

ober- auch Erb-Herr mehrgedachtes Stiffts Brauna hiemit wißentlich in krafft dieß brieffs. Undt gebieten hierauff allen vndt ieden vnserm Unterthanen was Würden, Standts, Ambts oder Weesens Sie in vnserm Erb Königreich Böheimb sein, insonderheit aber dem Ordinario loci. Undt denen zu dießem Stifft gehörigen Unterthanen oder sonst Undergebenen, Wie auch sonsten Jedermänniglich, daß Sie offtgedachten Neuerwöhlten Abbten zue Brauna Fratrem Augustinum Seiffert vndt daß gantze Convent erstberührten Stiffts bey solcher beschehener Wahl vndt dießer vnserm hierauff erfolgter gnädigster bestättigung geruehiglich verbleiben laßen, dawider nit thun, noch auch die zur offtermelten Stifft gehörige vnterthaner, Ihme Abbten vndt dem Convent allen schuldigen gehorsamb zuelaisten verhindern, oder sonsten in etwas weder das andern zu thun verstatten, sondern Sich gegen Ihme (gleich wie gegen seinen Vorfahrern) alß Abbten zur Brauna verhalten vndt sonsten zue allen ihme von Rechts oder gewohnheits wegen bey denen Landtägen, zuesambenkünfften, Königlichen Landtaffel, vndt andern gebuhrnußen, Session, Würden, vndt gerechtikeiten, unwaigerlich admittirn vndt zue laßen, darfür erkennen, ehren, vndt halten sollen bey vermeidung vnßerer schweren Straff vndt vngnadt, das Mainen Wir ernstlich. Zue Urkundt dieß Brieffs bekreffti-get mit unserm Kaiß. vndt Königlichen anhangendem grösern Insigl, der geben ist in vnser Stadt Wienn den drey vndt Zwanzigsten Monatstag Aprilis nach Christi vnßers lieben Herrn vndt Seeligmachers gnadenreichen Geburt im Sechszehen hundert, zwey vndt fünffzigsten, vnser Reiche des Römischen im Sechszehenden, des Hungarischen im Sieben vndt zwanzigsten, vndt des Böhemischen im fünff vndt zwanzigsten Jahr.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

CCXXVII.

CCXXVII.

Leopoldus Rom. Imperator confirmat neo-electum Abbatem Brunovienſem Thomam Sartorium dd. Ratisbonæ 1664. *die* 7. *Januarii.* Ex autographo Archivi Brewnov.

Wir Leopold von Gottes gnaden Erwehlter Römiſcher Kaiſer zu allen Zeiten Mehrer des Reichs in Germanien zu Hungarn Böhaimb Dalmatien Croatien vndt Sclavonien ꝛc. König. Ertzherzog zu Oſterreich, Margkraff zu Mähren, Herzog zu Lucemburg vndt in Schleſien, vndt Margkraff zu Laußnitz. ꝛc. Bekhennen offentlich mit dießem Brieff vor Jedermänniglich. Demnach vnß der Würdige vnßer lieber Andächtiger Fr. Thomas Sartorius in Vnterthänigſten gehorſamb zuuernehmen gegeben. Wie das Er durch ordentliche Wahl nach inhalt Geiſtlichen Rechtens vndt ſeines Heiligen Ordens Inſtituto vndt gewonheit nach, zum Abbt vndt vorſteher des Stiffts vndt Gottes Hauß zu Brauna ernennet erwehlet, vndt Conſtituiret worden, mit angeheffter demüttigſter bitt Wir geruheten vns ſolche Wahl gnädigſt gefallen zulaſſen, dieſelbe auch zu Confirmiren vndt zubeſtättigen. Alß haben Wir in Kaiſer vndt Königlichen gnaden angeſehen ſolch gehorſambiſte bitte, wie nit weniger auch ſein vns gerühmbtes Gottsförchtiges Leben vndt Wandl, vndt ſonderbahre gute qualiteten, vndt derowegen ſolche Election gnädigſt ratificiret vndt beſtättiget. Thuen ſolches auch hiemit wiſſentlich als Regirender König zu Böheimb in Krafft dieß Brieffs. Meinen vndt wollen das Er Thomas Sartorius nun vndt hinführo angeregtes Stifft vndt Cloſter, nach außweißung Ihrer Geiſtlichen Rechten vndt Sazungen, nicht allein in Spiritualibus, zu Lob, Glorii vnd Ehr des allmächtigen, vndt fortpflanzung des allein Seeligmachenden Catholiſchen Glaub ſondern auch in temporalibus, alle deſſelbten Vnterthanen vndt zugehörige, zue des Stiffts Nuz vndt aufnehmen, ſeinem beſten Verſtand vndt Vermögen nach, regiren die Ordens Diſciplin fleiſig in acht nehmen, vndt alles das Jenige was einem getreuen

Abbt

Abbt vndt Vorsteher laut seiner gethannen Pflicht zuestehet vndt gebühret, auch zu erhaltung des Stiffts wolerlangten Privilegien Recht- vndt Gerechtigkeiten nuzlich vndt vonnöthen sein wirdt, Ihme treulich anbefohlen seyn laßen in obacht nehmen vndt aufs beste befördern solle. Gebietten hierauff allen vndt jeden vnserm, nachgesezten Obrigkeiten, Inwohnern vndt Vnterthanen, was Standes Ambts oder Weesens die seindt, das sie mehrerwöhnten Thomam Sartorium, vor ein ordentlich Erwöhlten vndt von vns Confirmirten Abbten, des Stiffts vndt Closters Braunau erkhennen vndt ehren. Insonderheit aber vnserm iezig vndt Künftigen Stathaltern, in vnserm Erb Königreich Böheimb, daß Sie Ihme in seiner Obrigkeitlichen, vndt andern Iurisdiction, Administration, oder sonst im geringsten nit beirren, noch dießes andern zuethun verstatten, sondern Ihme viel mehr in allen billichen Sachen, die hüfflichе Handt biethen, vndt gebührenden Schutz halten, denen Ordens Brüedern aber vndt zum Stifft gehörigen vnterthanen das einhalten, das Sie Ihme, als Ihren Vorgesezten Haubt, vndt Obrigkeit, allen schuldigen respect, Ehrerbietung vndt respective vnterthänigen gehorsamb laisten, auch anderst nit thun sollen, bey vermeidung vnserer schwären Straff vndt Ungnadt. Hingegen versehen Wir vns auch gegen Ihme gnadigst, Er werde zugleich dem Jenigen, was seine gelaiste Pflicht mit sich bringet, treulich vndt gehorsambist nachkommen, zu vrkhundt dieß Briefs besigelt mit vnserm Kaiser: vndt Königlichen Anhangenden Größern Insigel, der geben ist in vnserer vndt deß heiligen Römischen Reichs Stadt Regenspurg den Siebenten Monatstage Januarii im Sechszehen hundert vier vndt Sechzigisten, vnserer Reiche des Römischen im Sechsten des Hungarischen im Neunten vndt des Böhemischen achten Jahr.

Ad Mandatum Sac. Cæs.
Regiæque Majestatis proprium.

CCXXVIII.

Capitulum Generale Congregationis Caſſinenſis omnes Abbates religioſosque Ord. S. Benedicti in Regno Bohemiæ in filiationem communionemque tam ſuffragiorum quam privilegiorum Pontificiorum ſuſcipit. dd. in Monaſterio ad Mantuam Anno 1669. *die* 20. *Maii.* Ex autographo Archivi Brewnov.

Nos D. *Joannes a Mutina* Præſidens cæterique Diffinitores Capituli Generalis Congregationis *Caſſinenſis* Ordinis ſanctiſſimi Patriarchæ *Benedicti* Reverendiſſimis Prælatis Univerſisque Patribus, ac fratribus Inclytæ Congregationis *Bohemiæ* ejusdem Ordinis & Inſtituti ſalutem in Domino ſempiternam.

Chriſtianæ Charitatis vinculum, quo cunctis fidelibus adſtringimur, ſtrictiori nos nexu devincit Reverendiſſimis Prælatis cæterisque Venerabilibus Patribus & Confratribus Inclytæ Congregationis veſtræ in Regno *Bohemiæ* militantis, quorum una nobiscum eſt filiationis adoptio & Profeſſio Religionis. Quapropter Reverendiſſimi P. D. *Angeli* a Neapoli Abbatis ſacri *Caſſinenſis* Archicœnobii verbis & officiis excitati, piiſſima deſideria veſtra amplecti, votisque illuſtriſſimi Ampliſſimique Principis D. D *Matthæi* Ferdinandi electi *Pragenſis* morem gerere cupientes, de Divina benignitate confiſi: auctoritate etiam Privilegiorum noſtrorum, univerſam Religioſiſſimam Congregationem Veſtram, ejusque ſingulares perſonas præſentes ac ſucceſſores Congregationi noſtræ *Caſſinenſi* in Vinculo fraternæ dilectionis amantiſſime adjungimus, & aggregamus, omniumque ſacrificiorum, orationum, vigiliarum, ſuffragiorum, ac bonorum operum, quæcunque apud nos Deo auſpice fiunt aut impoſterum fient, participes eſſe & in perpetuum fore, cunctisque Privilegiis Congregationi noſtræ ab Apoſtolica ſede hactenus conceſſis aut deinceps concedendis, pleniſſime gaudere, quantum ad nos attinet, volumus & decernimus, ea duntaxat lege, ut non diſparis fraternæ dilectionis, quæ ſperamus, officia nobis rependant. In quorum fidem patentes has literas exarari juſſimus, unius ex Diffinitoribus, qui publici Cancellarii munere fungitur, ſubſcriptione munitas, magnique noſtri ſigilli, quo in hujusmodi utimur, appenſione roboratas. Datas in Comitiis Generalibus noſtræ Congrega-

tio-

tionis apud insigne Monasterium sancti *Benedicti* de *Mantua* coactis. Die XX Maji. MDCLXIX.

P. *Stephanus* ab Urbe Diffin &
Secret. Capit. Glis.

CCXXVIIII.

Literæ Thomæ & Conventus Brewnovienſis, quibus Bernardo Comiti de Martinitz Supremo Burggravio gratiæ aguntur ob ſpontaneam juris ceſſionem in quandam cauponam, isque inter Benefactores & Fratres monaſterii ſuſcipitur dd. Braunæ 10 *Aprilis Anno* 1672. Apud Ziegelbauer p. 57.

CCXXX.

Leopoldus Imperator & Bob. Rex Commiſſarios epiſcopales ad electionem Præpoſiti Raybradenſis admiſſos reprobat, obque id Abbatem Brzewnonienſem ab Ordinibus Moraviæ arguendum monet. (d) dd. *Viennæ* 14 *Febr. Anno* 1693. Apud Ziegelbauer p. 180.

CCXXXI.

Leopoldus Rom. Imperator confirmat neo-electum Abbatem Ottmarum Zink, eumque omnibus privilegiis gaudere declarat. dd. Viennæ 1700. 13 *Decemb.* Ex Autographo Archivi Brewnow.

Wir Leopold von Gottes Gnaden Erwehlter Römiſcher Kayſer, zu allen zeiten Mehrerer des Reichs in Germanien, zu Hungarn, Böhaimb, Dalmatien, Croatien, vndt Sclawonien König, Ertzherzog zu Oeſterreich, Marggraff zu Mähren, Hertzog zu Lutzenburg und in Schleſien, und Marggraff zu Laußnitz ꝛc. Bekennen offentlich mit dieſem brieff, undt thun kundt Jedermänniglich, daß Vnß Pater Rupertus Haußdorff Senior, Thomas Raishl Prior, undt Procopius Jaſchke Supprior, nebſt dem gantzen

(d) Ejusdem tenoris eſt Decretum Ordinum ſeu Statuum Moraviæ eodem anno die 20. Februarii datum apud eundem Ziegelbauer p. 181.

Convent des Königlichen Stiffts zu Brzewniow in Brauna, Ordinis Sancti Benedicti in vnserm Erb Königreich Böhaimb, gehorsambst zu vernehmen gegeben, wasmassen sie nach absterben Ihres Abbten Weylandt Thomæ Antonii Sartorii, den Würdigen vnsern Lieben Andächtigen Patrem Othmarum Zinck, gedachten Stiffts, undt Ordens Professum, vndt gewesten Provisorem, zu Ihrem Neuen Vorsteher, und Abbten, nach Ihres heyligen Ordens regul, undt statuten Canonicè, undt mit zwey undt viertzig einhelligen Stimmen, den Achtzehenden Novembris, dieses ablauffenden Jahrs erwehlet, auch denselben vnsern zu dem Actu Electionis deputirt gewesten könniglichen Commissariis præsentiret hetten, mit demüttigster ditte, Wir geruheten vnß solche Wahl gnädigst gefallen zulassen, undt den Neo-Electum auß Königlicher Macht, quoad temporalia gnädigst zu confirmiren. Wann nun bey vnß der Neo-Electus gleichfalls umb vnsere gnädigste Confirmation Seiner allerunterthänigst supplicando eingekommen, undt Wir auß der vnß von ernandten vnseren Königlichen Commissarien eingelangten gehorsambsten relation gnädigst wahrgenommen, daß gedachter Neo-Electus ein religioser frommer vndt gelehrter Mann, wie auch eines aufferbaulich undt untadelhafften Wandels seye, undt Ihme nicht weniger der verstorbene Abbt noch bey Lebszeiten sowohl die Würthschaft, als andere Ordens, und Klosters hochangelegene negotia anvertrawet habe. Als haben Wir in solcher der sambentlichen Supplicanten demüttigste Bitte in Kayser- und Koniglichen Gnaden gewilliget, undt demnach obengeregte Wahl gnädigst confirmiret, undt bestättiget. Thun daß auch hiemit wissentlich, undt in Krafft dieses briffs, als regirender König zu Böhaimb. Mainen, Setzen, Ordnen, undt wollen, daß ernandter Othmarus Zinck nun hinnführo obbemeldtes Königliches Stifft zu Brzevniow in Brauna, nach Außwaisung Ihrer Geistlichen Rechten, und Satzungen, nicht allein in Spiritualibus zu Lob, Ehr, und Glori deß Allmächtigen, und fortpflanzung der allein Seeligmachenden Catholischen religion verwal-

walten, ſondern auch in temporalibus alle deßſelben vnterthanen, undt zugehörige zu des Stiffts Nutzen, undt Auffnehmen, Seinen beſten verſtandt, und Vermögen nach, regire, die Ordens diſciplin fleiſſig in acht nehmen, undt alles daßjenige, was einem getreuen Abbten undt vorſteher, vermög Seiner obligenden Pflicht zuſtehet, vndt gebühret, auch zu Erhaltung des Stiffts Wohlerworbener Privilegien Recht, undt Gerechtigkeiten nützlich nndt vonnothen ſeyn würde, Ihme treulich anbefohlen ſeyn laſſen, in Obacht nehmen, unt aufs beſte befördern ſolle. Vndt gebiethen hierauff Allen undt Jeden vnſerern Innwohnern und Vnterthanen, was Würden Standts, Amts- oder Weeſens die in erwehnten vnſerm Erbkönigreich Böhaimb ſeindt, daß Sie mehrbenandten Othmarum Zinck, vor einen legitimè erwehlt- undt nun von vnß gnädigſt confirmirten Abbten, undt Vorſteher, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus mehr gedachten Stiffts zu Brzevniow in Brauna, erkennen vndt ehren. Inſonderheit aber befehlen Wir vnſern jetzig- undt künftigen Königlichen Stadthaltern in öffters angeregten vnſerm Erb Königreich Böhaimb, daß Selbte Ihn in Seiner Jurisdiction, adminiſtration, undt ſonſten im geringſten nicht beirren, noch dieſes andern zu thun verſtatten, ſondern Ihn vielmehrers in billichen Sachen die hülffliche handt biethen, und gebührenden Schutz halten, auch auf erforderenden fall denen Ordens Brüdern, undt zum Stifft gehörigen vnterthanen gemeßen einbinden ſollen, daß ſie Ihme alß Ihren Vorgeſetzten Haubt, allen ſchuldigen reſpect, ehrerbiettung, undt gehorſamb leiſten, bey Vermeidung vnſerer ſweren Straff undt ungnadt. Hingegen verſahen Wir vns auch gegen Ihme gnädigſt, Er werde zugleich demjenigen, was Seine obhabende Pflicht mit ſich bringt, treulich undt gehorſambſt nachkommen; Zu vrkundt dieſes brieffs, beſiegelt mit vnſern Kayſer- undt Königlichen anhangenden Gröſſern Inſiegel; Der geben iſt in vnſerer Stadt Wienn, den dreyzehenden Monatstag Decembris, nach Chriſti vnſers Lieben Herrn und Seeligmachers gnadenreicher Geburth im Siebenzehen hunderten, vnſerer Reiche, deß Römiſchen im drey und viertzigſten,

des

des Hungariſchen in Sechs und viertzigſten. und des Böhaimbiſchen im fünff undt viertzigſten Jahre.

Leopold mppia.

Ad mandatum Sac. Cæſareæ Regiæque Majeſtatis proprium. Johannes Criſtoph. Graff v. Grandenberg.

Joannes Franc. C. Wirbe
C. Boh. Supr. Cancellar.

Georg Bechini von Laſchan.

A. 1700.

Dieſes Kaiſ. vndt Königl. Confirmations Diploma iſt auf Jhro Maj. allergnädigſten Befehl undt Reſcript, auf geziemmendes Anmelden deß darinnen benendten Impetranten, der Königl. Landtaffel in den vierdten Grüngoldenen Kauff Quatern A. 1701. am dienſtag nach den Sontag Reminiſcere, daß iſt den 22. Februar. ſub Lit. O. 1. Einverleibt, vndt von Wort zu Wort eingeſchrieben worden.

Adam Streitberger Ingroſſator.

CCXXXII.

Joſephus Imperator & Boh. Rex omnia privilegia tam a Romanis Pontificibus quam Ducibus Regibusve Bohemiæ monaſterio Brewnovienſi conceſſa renovat & confirmat. dd. *Viennæ* 12. *Novemb. Anno* 1707. Apud Ziegelbuer p. 332.

CCXXXIII.

Teſtimonium Religioſorum Brewuovienſium de inventis, & in alium locum reverenter translatis lipſanis B. Guntheri dd. 6. *Junii* 1707. (e) Apud Ziegelbauer p. 143.

CCXXXIIII.

(e) Inſtrumnetum Notarii Publici ſuper eodem teſtimonio *dd.* Pragæ 5. Junii 1727. habetur apud eundem Ziegelbauer c. l.

CCXXXIIII.

Clemens Papa XI. declarat monaſterio Brzewnovienſi & Abbati ejusdem nonniſi privilegia Caſſinenſium & S. Juſtinæ de Padua quoad indulgentias tantum conceſſa fuiſſe. dd. Romæ ad S. Mariam Majorem anno 1715 *die* 20 *Decembr.* Ex Archivo Brewnov.

Clemens Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Emanavit nuper a Congregatione V. V. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita Decretum tenoris ſequentis, videlicet: in cauſſa *Pragenſis* Communicationis Privilegiorum vertente inter Conſiſtorium Archiepiſcopale *Pragenſe* ex una, & Patrem *Othmarum* Abbatem Monaſterii *Brzevnovienſis* Ordinis S. *Benedicti*, in Regno *Bohemiæ* partibus ex altera: quo apud Sanctiſſimum inſtante, ut ſibi, & ſucceſſoribus ſuis, totique aſſertæ Congregationi, & Monaſteriis, ac locis *Bohemiæ* ejusdem Ordinis, nec non filiabus Præpoſituris, ſeu Monaſteriis unitis, & incorporatis prædicto Monaſterio conceſſionem privilegiorum *Caſſinenſium*, & S. *Juſtinæ de Padua* elargiri dignaretur: Sacra infra ſcripta Congregatio, ad quam Sanctitas ſua hujusmodi preces pro voto remiſit ſub die 20 Julii M. D. CCXIV. audito deſuper Patre Procuratore Generali Congregationis *Caſſinenſium* cenſuit, ſi eidem Sanctiſſimo placuerit, poſſe per ejus litteras Apoſtolicas in forma Brevis præfatam enuntiatorum Privilegiorum communicationem Oratori, totique ejus Congregationi *Bohemiæ*, illiusque membris quoad indulgentias tantum concedi. Hujusmodi tamen gratiæ Oratore non acquieſcente, iteratisque precibus petente ſibi & prædictis omnibus præfatam communicationem ex integro & plene concedi una cum gratiis ſpiritualibus, ad temporalibus, quæ variis etiam Congregationibus, & Monaſteriis conceſſæ ſunt, omnibusque, & ſingulis Privilegiis, quibus Abbas, & Congregatio *Caſſinenſis*, & S. *Juſtinæ de Padua* fruuntur, & gaudent, nullo prorſus excepto privilegio, etſi ſpecialem requireret mentionem, firmisque remanentibus omnibus, & ſingulis juribus, ac privilegiis a prædicto aſſerto capite, ſeu ſuperiore *Benedictinorum* in *Bohemia* Abbate Oratore poſſeſſis ex prætenſa immemorabili ſuper dictis Congregatione, Monaſteriis, cæterisque &c. ſub die 17 Auguſti dicti Anni. Sacra eadem Congregatio ipſo tantum informante, cenſuit per ſimiles litteras Apoſtolicas in forma Brevis poſſe a Sanctitate ſua præfatam omnium privilegiorum communicationem Oratori, totique ejus aſſer-

ſertæ Congregationi *Bohemiæ*, illiusque membris concedi, juxta petita. Cum autem adverſus præfatam Privilegiorum communicationem Conſiſtorium Archiepiſcopale *Pragenſe* inſurrexerit, & tanquam ſubrepetitiam, & obreptitiam ipſiusque ordinariæ jurisdictionis læſivam apud ſacram Congregationem revocari inſtiterit, dubiumque infra ſcriptum inter partes concordatum reſolvendum proponi obtinuerit, videlicet: an & quomodo communicatio Privilegiorum Congregationis *Caſſinenſis*, & S. *Juſtinæ de Padua*, de qua agitur, ſuſtineatur in caſu &c. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Revendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, utraque parte informante, reque mature, & accurate diſcuſſa, referente Eminentiſſimo *Odeſcalco* cenſuit, & decrevit prædictam omnium privilegiorum communicationem ſuſtineri *quoad indulgentias tantum*. *Romæ* XIII. Septemb. M. D. CCXV. F. Cardinalis de *Abdua*. *Ferdinandus* Archiepiſcopus *Nicænus* Secretarius. Locus † Sigilli. Cum autem ſicut Venerabilis Frater *Ferdinandus* Archiepiſcopus *Pragenſis* Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujusmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ipſius *Ferdinandi* Archiepiſcopi votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum Authoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus; illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis Authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium: decernentes easdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis Authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, &

Or-

Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque quibuscunque. Datum *Romæ* apud Sanctam *Mariam* Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Decembris MD. CCXV. Pontificatus Noſtri Anno Decimo ſexto.

F. Card. *Oliverius.*

CCXXXV.

Inſtrumentum Notarii Publici ſuper iisdem B. Gunthevi lipſanis Brewnovium translatis, & ibidem ſub aram ejusdem Sancti reclusis dd. *Brewnovii* 9. *Auguſti* 1726. Apud Ziegelbauer p. 149.



OBSERVATIONES PRÆVIÆ
IN
CHRONICON
FRANCISCI CANONICI PRAGENSIS.

Sæpe numero Lupacii Ephemeridem, Weleslavinique Calendarium hiſtoricum legenti mirum viſum eſt a priore ad Franciſci Canonici Pragenſis Chronicon annis 1344 - 45 - 47 - 48 - 50, a poſteriore etiam ſerioribus annis 1361 - 65 - 71 - 73 provocari, cum manuſcripta hiſtoria illius in Bibliotheca Metropolitanæ eccleſiæ Pragenſis ſervata (quæ hactenus una ſolaque ad poſteritatem transmiſſa credita fuit) memorias non ultra annum 1342. protendat, quemadmodum id tam ex editione Kneysliana anno 1754. in folio typis vulgata, quam ex altera emendatiore a Viris Cll. Pelzelio & Dobrowskio anno ſuperiore in octavo adornata manifeſtum eſt. Merito igitur ſuſpicabar tam Lupacio, quam Weleslavino ad manus fuiſſe quoddam Metropolitano locupletius exemplar ſeu ejusdem Franciſci, ſeu Continuatoris illius, e quo hic uterque probæ fidei author notitias ſuas poſteriores hiſtoricas hauſere. Suſpicionem meam magis magisque confirmavit Crugerius in ſuis Sacris Pulveribus ad 3. Martii, (diem Franciſci emortualem) p. 388. quo loco perſpicue innuit exemplar metropolitanum mutilum eſſe, longius procurrens ſeu ſua in libraria penu ſervari, ſeu certe ubi ubi demum latitantis ſibi peculiarem cognitionem fuiſſe. Juvat verba illius exſcribere: *Vidi* (inquit) *MS. iſtiusmodi* (Franciſci) *in Bibliotheca Metro-*

tro-

tropolitana in membrana foliali, quod etſi mutilum parte dimidia eſſet, ita tamen perplacuit mihi, ob multa reſidua ab hiſtoricis neglecta, ut juris publici id fieri operoſe exoptarem. Et fuiſſet cum Marquardus Freherus ſub A. 1608. reliquos gentis noſtræ veteres Authores Hanoviæ typis illuſtraret, ſi ſcilicet hunc nobiliſſimum Scriptorem homini extero, nullis noſtris impenſis ſuggeſſiſſemus &c. Sane Crugerio penitiorem non defuiſſe notitiam exemplaris ad multo poſteriores anno 1342. procurrentis ea præſertim memoria teſtatum reliquit, cum eodem loco ſcribit: Franciſcum *Erneſto primo Archiepiſcopo ita feciſſe ſatis, ut eidem in ſacris vices ſuas committere non gravaretur*, quæ memoria in Metropolitano exemplari deſideratur, quod ne quidem obitus Joannis ultimi epiſcopi Pragenſis multo minus Ernefti Succeſſoris Archiepiſcopatus Pragenſis electi meminit, quæ omnia in exemplari, quod coram proferimus, enarrantur. Minus recte igitur Cll. Recuſores Chronici Franciſci in Præfatione ſua pag. XIII. ſententia quaſi decretoria ſtatuerunt: Crugerium erraſſe, cum Metropolitanum exemplar mutilum dictavit, quod ipſorum opinione & ſententia *omnino integerrimum* viſum eſt.

Dubium igitur perpetuoque fluctuantem animum meum, num boni ſuperi iſthoc patrium hiſtoricum cymelion temporibus noſtris ſervaverint, unum pene erigebat ſolatium, quod Lupacii, Weleslavini, præſertim autem Crugerii ætas haud longe a noſtra abfuerit, ſæculi, inquam, nonniſi unius intercapedo ſpem lactavit eventurum tandem aliquando, ut iſtiusmodi locupletius exemplar e ſuis tenebris & carceribus in apricum proferatur, diuturnamque ſitim noſtam reſtinguat. Et hem! cum anni ſuperioris menſe Majo ex Ordinis noſtri Triennali Congregatione Nicolsburgi celebrata Viennam excurriſſem patriis hiſtoricis monumentis eruderandis quantus quantus intentus, Viri amiciſſimi & rerum patriarum ſtudioſiſſimi Domini Ferdinandi Rzehaczek ad Supremum Juſtitiæ Tribunal Expeditoris benevolentia deductus ſum ad Bibliothecam AA. RR. PP. Ordinis S. Fran-

ciſci ſtrictioris obſervantiæ, iſthic oſtenſis mihi nonnullis rarioribus membranaceis codicibus inter alios exhibitum manuſcriptum chartaceum volumen juſtæ molis pro genio & parſimonia ejuſce ætatis varii argumenti generisque pertractationes complexum, cujus pene medio opuſculum innexum erat rubro colore hunc titulum præſeferens: Incipit *Cronica Boemorum, Regum, Ducum & Dominorum.* Lætus ego me aucupium quale quale feciſſe, avidus exploravi quodnam e noſtris eſſet Chronicon, character quidem durus informisque illico ætatem ſæculi XV. indicabat; at præfatio ipſa, nuncupatioque Carolo IV. Romanorum & Bohemiæ Regi inſcripta ancipitem fluctuantemque ſuſpendit, Marignolæne, an Neplachonis, an Pulkavæ, an denique Beneſſii de Weitmühle eſſet, quos imperio Caroli ſcripſiſſe, eidemque partus ſuos nuncupaſſe mihi compertum erat. Eo magis miratus, cum tam librorum Capitumque ſectione, quam narratorum ſerie Franciſci Canonici Pragenſis Chronicon eſſe intellexi, quod nonniſi Joanni inter epiſcopos Pragenſes poſtremo ab ipſo Franciſco inſcriptum fuiſſe nos exemplar Metropolitanum docuerat, explorato demum libro tertio, viſoque mox prima fronte tot Capitum numero, & memoriis ultra Joannis dicti epiſcopi ætatem procurrentibus, adverti tandem apographum ejusmodi eſſe, quale olim Lupacio, Weleslavino, ipſique Crugerio ad manus fuiſſe ſupra memoravi, quod eo jucundius gratiusque mihi acciderat, cum pridem ejusdem potiundi me deſiderium tenuerit. Converſa igitur ad Eximium ejusdem Sacri Ordinis Virum Bibliothecæ Præfectum oratione efflagitare cœpi copiam poteſtatemque Chronici iſtius exſcribendi; annuit non modo præter cunctationem Vir humaniſſimus, ſed & ultro id, interpoſita mea ſcripto fide, una Pragam deferendi diligentiusque cum Metropolitano conferendi veniam dedit. Cujus quidem Eximii Viri humanitati benevolentiæque gratam animi noſtri omnisque officii vicem hoc publico teſtimonio deferimus, id unum dolentes nomen illius Viennæ notatum in pugillari noſtro lon-

longiore ejusdem usu evanuisse. Jam ut Codicis istius exemplarisve penitior cognitio ante omnium oculos ponatur:

Eadem prorsus præfatione, quæ in Codice Metropolitano legitur, præmunitum est Chronicon, sola nuncupatio ibidem Joanni episcopo Pragensi facta verbis mutatis ad Carolum IV. Imperatorem principio statim deflexa est, ad quem etiam sub finem author orationem convertit, imo librum secundum clausurus verba in Codice Metropolitano ad Joannem episcopum directa hac mutatione quoque ad Carolum IV. contorsit: *Explicit secundus liber secunde Partis Cronice Pragensis scriptus ad Excellentissimum Principem Regem Romanorum ac Boemorum.* Quæ ut luculentius cognoscantur, nuncupationem ipsam verbis codicis nostri præjecimus. Breve Chronicon generale ab anno Christi LXXX. usque ad annum MCCCXXX. pertingens cum tabellis Genealogicis Ducum, Regum, Reginarumque Bohemiæ in codice nostro penitus desideratur, præmissæ enim nuncupativæ epistolæ subjicitur Index Capitulorum 31. Libri primi, quem ipsa historica narratio in sua capita divisa subsequitur, clauditurque his verbis: *Explicit primus liber secunde partis Cronice Pragensis. Incipiunt Tytuli secundi libri. Laus Domino Deo nostro Jesu Christo.* Quibus verbis Index viginti quatuor Capitulorum, huic historia ipsa subnectitur clausa eo fine, quem secundo loco subscriptum esse mox supra commemoravimus. Si variantes quasque lectiones excipias liber uterque Codicis Metropolitani exemplari plene respondet. At vero liber tertius ab eo pene totus alius est & numero & ordine Capitum, excedit enim Metropolitanum, viginti quatuor Capitibus, & cum illius memoriæ nonnisi ad annum usque 1342. excurrunt, nostri memoriæ cum anno 1353. clauduntur, quibus verba *Et hic est finis Cronice* omnium postremo loco subjiciuntur. Frustra vero suspicio cujuscujus demum mentem pulsaverit, si tertii istius libri locupletioris alium authorem quam Franciscum, Continuatoremve illius fuisse judicaverit, non modo enim in nostro codice c. 3. De conten-

tentione Cleri & Religioſorum (quod caput in Metropolitano ſecundi capitis locum obtinet) eadem verba adſcripta leguntur: *Commiſit autem* (Joannes epiſcopus Pragenſis) *ibidem officium prædicationis ſuo capellano & pœnitentiario* Franciſco *quondam Rectori ſcole eccleſie Wiſſegradenſis, qui ob reverentiam & mandatum ipſius ſcripſit hanc ſecundam Partem Cronice Pragenſis*, ſed & pene ſub finem, anno videlicet 1351, author ſibi rurſum teſtimonium perhibet, totum a ſe ſcriptum fuiſſe, cum enim eo anno gratiam recuperati a quadem Virgine Zycania nomine viſus apud tumbam S. Wenceslai enarrat, ſubjungit: *Et ego Franciſcus penitentiarius Domini Archiepiſcopi* (Arneſti) *editor hujus Cronice plures Canonicos & Miniſtros Pragenſis eccleſie adduxi in teſtimonium ad hujus miraculi majorem declarationem.* Quæ verba rem prorſus indubitatam faciunt Franciſcum non modo priorum duorum ſed & hujus tertii integrioris a nobis excudendi libri authorem eſſe, Chroniconque ab eo Carolo Romanorum & Bohemiæ Regi nuncupatum fuiſſe.

Sed merito jam quæri poteſt, qua ratione Franciſcus unius ejusdemque Chronici tribus libris diſtincti diverſis illuſtribus perſonis nuncupati author credi ſtatuique poſſit. Nam exemplaris Metropolitani præfatio clare innuit Chronicon hoc non modo *Joanni hujus nominis quarto, ordine vero XXVII. Epiſcopo Pragenſi nuncupatum, ſed & illi anno MCCCXLI. ordinationis vero XL. præſentatum fuiſſe*, imo librum poſtremum ſeu tertium forma conſueta clauſum eſſe: *Explicit tertius liber ſecunde Partis Cronice Pragenſis ſcriptus ad Venerabilem in Chriſto Patrem Dominum Johannem epiſcopum Pragenſem memoratum.* Cum contra exemplar Viennenſe (hac una ſolaque nota diſtinctum, quod liber tertius annis undecim longius excurrat) Patronum Mæcenatemque Carolum IV. Romanorum Bohemorumque Regem ſtatuat, pluribusque locis teſtetur. Sed facile cogitatione aſſequi licet, qui acciderit, ut Franciſcus Chronicon ſuum prius quidem Joanni ſuo epiſcopo, dein Carolo IV. nuncupaverit. De-

de-

derat Joannes epiſcopus Pragenſis Franciſco in mandatis, ut Chronicam Pragenſem proſequeretur, ejusque alteram ſeu ſecundam Partem ſcribere aggrederetur, quemadmodum id ipſe tam in præfatione ſua, quam libro tertio c. 2. profitetur: Obſecutus voluntati epiſcopi Franciſcus feliciter eo progreſſus eſt, ut partum ſuum a Wenceslai I. Regis excœcatione ad annum usque 1342. perduxerit, quo anno eundem epiſcopo ſuo præſentavit, obtulitque, ut id præfationi a quoquo demum ſubjecta nota perſpicue teſtatur. *(a)* Atque is primus partus fuit Franciſci, e quo exemplar Metropolitanum tranſumtum fuit rite omnibus indiciis completi operis inſtructum. At vero cum poſtea necdum Franciſcum voluntas & cupido deſeruiſſet proſequendi hiſtoriam ſuam, ab anno rurſum 1343. geſta ſuorum temporum diligenter adnotare non prætermiſit, quorum acervatione cum volumen ſuum prius augeri advertiſſet, eaque Carolo IV. hiſtoriæ patriæ ſtudioſiſſimo non injucunda caſura ſperaſſet, maxime quod eidem plurium exempla ante oculos obverſarentur, qui Principi iſti partus ſuos inſcribere auderent, eadem fiducia ductus Chronicon ſuum præſertim libro tertio reformatum multisque auctum eidem Imperatori inſcripſit, quod conſilium eo confidentius jam apprehendere potuit, quod primus Mæcenas ſuus Joannes epiſcopus jam multo ante, & quidem mox anno ſequente a primo præſentato opere, mortem oppetierit, neque olim, imo neque hodie infrequens uſus fuerit, ut editiones emendatiores locupletioresque, imo vel quandoque nonniſi ad incudem revocatæ, aliis atque aliis Mæcenatibus inſcriberentur. Hac ego quidem ratione veroſimillime ejudem pene libri duplicem dedicationem prognatam autumo.

Unum

(a) In præfatione Codicis Metropolitani ſub finem pro anno *MCCCXL primo*, veroſimillime legendum *ſecundo*, cum eo usque memoriæ hiſtoricæ exemplaris Metropolitani procurrant.

Unum præterea dubium enucleandum eſt: Cum præcipue Weleslavinus in Calendario ſuo ad Franciſci Chronicon poſterioribus etiam annis ad annum, inquam, usque 1373. provocet, exemplar autem, quod coram liſtimus, non ultra annum 1353. excurrat, quodnam dicemus illud fuiſſe Chronicon, quo uſus Weleslavinus vir probæ atque integræ fidei? Doctiſſimi quidem Recuſores Franciſci judicant errorem Lupacii. Weleslavinique *ex inſcriptionum ſimilitudine ortum*, *quod tam Franciſci quam Beneſſii de Weithmüle Chronicon titulum Chronicæ Pragenſis præſeferat*, atque idcirco narrata Beneſſii pro narratis Franciſci perperam a Lupacio Weleslavinoque habita. Sed mea quidem ſententia ſuſtineri hæc opinio minime poteſt, quod jam ex Franciſci aucto libro tertio, quem primi omnium hic excuſum damus, manifeſtum fiat, Lupacium rite & vere annis 1344 - 45 - 47 - 48 - 50. ad Franciſci Chronicon provocaſſe, cum narrata annique ad amuſſim exemplari hic edendo reſpondeant. Inſcriptionum ſeu titulorum ſimilitudo, meo quidem tenui judicio vix authores mox nominatos in errorem inducere potuit, ut alter pro altero haberetur: Nam Franciſcus omni loco, & nominatim ſub initium finemque libri ſecundi bis, rurſum libro tertio bis, denique ſub ipſum finem hiſtoriam ſuam generatim appellat: *Chronica Pragenſis*, quo titulo & nomine etiam refertur a Neplachone & altero Anonymo a me Tomo III. Monumentorum Bohemiæ p. 55. typis vulgato. At vero Beneſſium non generatim urbis Pragenſis, ſed ſpeciatim *eccleſiæ Pragenſis* titulum operi ſuo præfixiſſe, innuit ipſe titulus, quo Cll. Editores opus ex Metropolitano exemplari hac quidem inſcriptione: *Incipit Cronica eccleſiæ Pragenſis* excuſum dederunt, quæ verba tituli Beneſſius ipſe rurſum in Præfatione libri IV. repetit: *Ad honorem Dei &c. incipit liber quartus Cronice eccleſiæ Pragenſis.* Quod denique tertium eſt, cum tam Franciſcus libro tertio c. 2. ad annum 1333, quam etiam Beneſſius ſub finem libri IV. annumque 1374. nomina ſua verbis expreſſis prodant, illeque ſe authorem *Chronicæ Pragenſis*, iſte *eccleſiæ Pragen-*

genſis fuiſſe dictitet, vix cogitatione aſſequi poſſum, qui accidere potuerit, ut Lupacius Weleslavinusque Franciſci nomen legerint, invenerintque, Beneſſii non invenerint, ac proinde in eum errorem prolapſi ſint, ut iſtius pro illius opere habuerint. Ego vero ſi candide mentem meam aperiam, magis crediderim Beneſſium neque Lupacio neque Weleslavino unquam cognitum fuiſſe, quem primi omnium ſæculo priore Peſſina & Balbinus hiſtorico orbi notum fecere. Quin ſi Weleslavinus Franciſcum Beneſſio junctum ad manus habuiſſet, ad 16 Julii anni 1374. de conſecratione eccleſiæ Pragenſis Minorum S. Jacobi non ad Hagecium, ſed eundem Franciſcum, uti ante anno 1373. fecit, provocaſſet.

Salvata Lupacii fide, aliam quoque viam ad ſalvandam Weleslavini auctoritatem ineundam eſſe exiſtimo, neque enim dubitare velim viro iſti, in aliis citatis authoribus fideli & accurato, tertium quodpiam Franciſci exemplar noſtro etiam locupletius, atque ad annum usque 1373. memorias ſuas perducens, ad manus fuiſſe, quod adhucdum ubi ubi demum carceres ſuos mordet, neque hactenus perrodere potuit. Iſtud quod non tam ſuſpicer, quam mihi verosimilius perſuadeam, plura momenta ſunt, & quidem non ſola Weleslavini, ſed etiam Crugerii auctoritas, qui poſterior cum verbis expreſſis dicat Manuſcriptum Franciſci Bibliothecæ Metropolitanæ *parte dimidia mutilum eſſe*, utique habuerit, aut ſaltem viderit volumen altera parte majus exemplari Metropolitano, quod de exemplari Viennæ a me invento dici haud poteſt, nam id mole ſua & paginarum numero vix quidem quarta parte Metropolitanum excedit. Quod alterum eſt, dicit eodem loco Crugerius: *Cujus* (Franciſci) *erudita manu niſi ſingularia patriæ noſtræ monimenta ſub Johanne Rege, & Carolo Cæſare adnotata fuiſſent, vix quo ſuas Chronicas Dubravius ac Hagecius exornarent, habuiſſent.* At vero ſi Hagecius & Dubravius non aliud Franciſci MS. exemplar, atque cujusmodi Metropolitanum eſt, habuiſſent, næ illi infelices de

Carolo Cæſare plane nihil ad poſteritatem transmittere potuiſſent, nam id ne quidem *Caroli Cæſaris* meminit, cujus ſolum adoleſcentis reditum ex Francia, & Marchionatum Moraviæ a patre collatum l. 3. c. 1. refert. Id certum eſt Franciſcum animo præſtituiſſe Caroli Auguſti Cæſaris glorioſa geſta Chronico ſuo longius proſequi, quod in dedicatione ſua verbis expreſſis promittit: ſcribens: *Acta Veſtra & opera ſalutifera multiplici laude digna ſcriptis ſtudioſius cupio declarare. - - Unde glorioſiſſime Princeps & inclite veſtra virtus magnifica & laudabilis fama ad utilitatem aliorum ſe diffundit, & ſic præſens opus utile non ſolum in regno veſtro Boemiæ, ſed in aliis partibus mundi erit acceptum & fructoſum.* Qua mente cum ſcripſit Franciſcus, ut præſertim Caroli virtus & fama orbi univerſo innoteſceret, vix credibile eſt eum jam anno 1353. filum hiſtoriæ ſuæ abrupiſſe, cum Caroli magnifica virtus & fama conſequentibus annis magis magisque inclaruerit, & Franciſcus ex hiſtoricorum noſtrorum calculo adhuc annis novem ſuperfuerit. An non longius etiam ſuperfuerit, memoriasque illas, quas Weleslavinus adfert, anno adhuc 1373. pugno ſuo adnotaverit, dubium incertumque manet, dum ſatis teſtatum vetusque monumentum in apricum prodeat, quo anno mortuus fuerit. Crugerius quidem, ut jam multo ante innuimus, eum anno 1362. 3. Martii fatis ceſſiſſe meminit, ſectatoresque conſecutus Peſſinam in ſerie Præpoſitorum Pragenſium, Hammerſchmidium atque Berghauerum, ſed quoniam nemo omnium hactenus aſſertum hoc ſuum aliquo vetuſtiore documento confirmavit, ob Weleslavini auctoritatem nos adhucdum hæſitantes fluctuantesque relinquimur, maxime cum in curſu noſtro Manſionariorum Pragenſium T. III. Monumentorum Bohemiæ p. 378. adhuc eodem anno 1362. menſe Novembri feſtoque S. Eliſabethæ deprehendamus Franciſcum Decanum Capellæ Sanctorum Omnium in caſtro Pragenſi, qui paſſim ſimul e Canonicorum Metropolitanæ Eccleſiæ Collegio erant, ſuſpicemurque unum eundemque cum Chronographo noſtro eſſe, verosimillime ad Decanatus iſtius dignitatem, jam tum & poſtea

ad

ad Præpoſituram Metropolitanam evecto, cum illum Præpoſituram Metropolitanam geſſiſſe Peſſina, uti alias ſolet, nullo antiquiore teſtimonio, imo ne quidem certo indicio probaverit, unum ſolumque Crugerium de Præpoſitura dubitanter loquentem ſecutus. Sed hæc procul dubio in majorem lucem afferet tertium Franciſci exemplar, ſi, quemadmodum ſpero, e ſuis veteris cujuscujus demum Bibliothecæ aut Archivi vinculis expeditum fuerit.

Quod ad memorias biographiamque authoris attinet, eas jam jam copioſius in Apologetica noſtra epiſtola adverſus Luciferum p. 297. & Monum. T. III. p. 31. complexi ſumus, quarum & aliquas T. V. ad Chronicon Aulæ Regiæ præmiſimus. Plura etiam in Balbini Bohemia docta a Cl. Viro Raphaele Ungar, & in Præfatione emendationis editionis Franciſci nuper in octavo typis vulgatæ leguntur. Ex præſente hoc Viennenſi exemplari, nominatimque libro ejus tertio hoc unum præterea edocemur, quod etiam ſub Arneſto Archiepiſcopo Pragenſi primo, quemadmodum ante ſub Joanne ultimo epiſcopo munus dignitatemque ſupremi Pœnitentiarii in Metropolitana Pragenſi eccleſia geſſerit. Ad ſimilitudinem enim eccleſiæ Romanæ etiam aliis eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus ſui erant ſupremi Pœnitentiarii ab ipſis Archiepiſcopis, epiſcopisve deſignari & nominari ſoliti, *(b)* penes quos vicaria poteſtas erat tum a caſibus pluribus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, tum ab omnibus diœceſanis abſolvendi, ad quem præterea in rebus dubiis recurrendi non modo aliorum pœnitentiariorum ſeu Confeſſariorum officium erat, ſed & erat eidem integra auctoritas, ratione habita, iſtorum injunctas pœniten-

(b) Ita in Libris Erectionum p. 301. ad an. 1415. nominatur etiam D. Henzlinus Supremus Pœnitentiarius eccleſiæ Pragenſis. Et in Eccleſia Romana *Magni Pœnitentiarii* dignitas hodie perſtat, qua ſemper nonnemo ex facto Cardinalium Collegio fungitur. Ita ipſe author noſter ad annum 1352, memorat Innocentium VI, ex Pœnitentiario ad Summum Pontificatum evectum.

tentias relaxandi, aut in alia bona opera commutandi. Quare cum Crugerius ad 4 Martii ſcribit: Arneſtum Archiepiſcopum Franciſco *in ſacris vices ſuas committere non gravatum*, veroſimillime de vicaria poteſtate in re pœnitentiæ accipiendum eſt, nam Vicarii Generalis munere nunquam functum fuiſſe recte quoque ſenſere Cll. ejusdem Recuſores p. IX. Alterum etiam ex eodem libro diſcimus authorem noſtrum pro eorum temporum mediocritate in re Aſtronomica egregie verſatum fuiſſe, quod ejus calculationes deſcriptionesque ecclypſium tam ſolarium quam lunarium oſtendunt.

Ut jam poſtremum etiam Lectori benevolo prægustum aliquem rerum hoc libro tertio narratarum demus. Multa omnino adhuc ad annum usque 1336. e Petri Abbatis Chronico Aulæ regiæ partim ad verbum mutuatus eſt author noſter, partim truncavit, partim compendio dedit ſuis tamen notitiis paſſim intermixtis. Ab anno vero 1337. omnia & ſingula peculiaribus illius inventis & ſtudio concinnata ſunt, quæ videlicet ipſe oculatus auritusque teſtis ad poſteritatis memoriam adnotavit; quare hiſtoriæ patriæ ſtudioſis in magno pretio habendus, cum denuo ſynchronus Petri Abbatis Aulæ Regiæ continuator detectus eſt, quo fonte Hagecius & Dubravius quidem hauſiſſe videntur, ſed minime eum exhauſerunt, ut recte ſenſit Crugerius, nam multa ab iis neglecta, imo a nemine alio poſteriore hiſtorico prodita, quæ ſingula hic præoccupare, ſupervacaneum cenſemus. Iſtud permirum mihi viſum eſt, cum teſtatiſſimum ſit Beneſſium de Weitmüle ſuorum trium priorum librorum memorias paſſim ex Franciſco deprompſiſſe, quod ipſum ejusdem doctiſſimi Editores confitentur, attamen eo ad concinnandum librum ſuum quartum minime uſum fuiſſe, nam partim Franciſcus plura iſthic enarrat, quæ fruſtra in Beneſſio quæras, partim ab eo in narrationum circumſtantiis, partim etiam temporum dierumque computu deflectit, ut teſtatum fiat hoc Franciſci emendatum, locupletatum, Caroloque Imperatori nuncupatum Chronicon ei penitus in-

incognitum fuiſſe, cujusmodi loca ſubinde in ſubjectis noſtris animadverſionibus adnotabimus. Integrum Viennenſe exemplar, omnesque tres Libros Franciſci rurſum iſthic recuſos dare, vel ipſo Lectoris judicio, actum nos agere merito videri poſſemus, cum nuperrime primum recuſos acceperimus. Solus igitur liber tertius, qui ab editis differt, iſthic comparet, cui præmiſimus præfationem libro primo præjectam, Caroloque Imperatori inſcriptam, ut palam fiat hoc Franciſci exemplar a Metropolitano diverſum eſſe. Sit itaque:

INCIPIT

CRONICA BOEMOROM REGUM, DUCUM ET DOMINORUM.

Excellentiſſimo Principi Principum, varioque ſtemmate virtutum ornato Domino *Karrlo* Dei gracia *Romanorum* Regi & *Boemorum* orationes fideles, & in præſenti vita Eccleſiam militantem feliciter protegere, & in futura vita cum triumphante eccleſia eternaliter conregnare. Veſtre magnificentiſſime Dominationi ſtatus & acta, moresque Regum *Boemorum*, nec non aliorum Principum diverſorum, & precipue acta veſtra, & opera ſalutifera multiplici laude digna ſcriptis ſtudioſius cupio declarare, ſubjiciens veſtre laudabili correctioni. Nam Deus glorioſus vos ditat bonis naturalibus & gratuitis, ſcientia, & ſapientia, miraque diſcrecione. Et quia ſtudioſarum mentium ſolet eſſe varia conſuetudo. Sunt enim multi, qui naturali intelligentia, ut illam complete habeant, laborant. Sunt & alii, qui Anagoycis, allegoricis & miſticis intellectibus, & tropoloycis ſenſibus affectuoſo ſtudio ſe inclinant. Alii in hiſtoriis & cronicis legendo edificatorium ſolacium ſibi pa-

parant. Et in omni materia, quam legit pia mens, ad ſimilitudinem argumentoſe apis ſemper invenire poterit, unde legens virtutis & cognitionis ſuſcipiat incrementum. Bona enim mens in lectionibus velut in ortis deliciarum paſcitur, in eis quaſi roſas vel lilia colligit, cum id, quod legit, totum ad Dei vel proximi dilectionem in propriam ſui emendacionem applicat & reducit. Quamvis aſſerat Philoſophus quod de fabulis & fabuloſis ſermonibus non ſit dignum ſtudio intendere, tamen aliquando ſerioſa veritas ex alluſione jocoſi ſermonis fit legentibus plus jocunda juxta illud Poeticum: Dulcius arrident ſeria picta jocis. Unde non ſolum pure Theoloyca, ſed etiam alia conferunt legentibus utilitatem. Et ſolet homo virtuoſus ſtudioſum ſtudium ſuum ſecundum circumſtantias temporis alternare, ut nunc ad ſublimia, nunc ad humilia, nunc ad miſtica, nunc ad groſſiora ſe transferat rerum exempla. Et quia in præſenti tractatu multa ſunt bona documenta, & exempla, que valent ad effectum utilem & multiformem. Unde glorioſiſſime Princeps & inclité veſtra virtus magnifica & laudabilis fama ad utilitatem aliorum ſe diffundit, & ſic preſens opus utile non ſolum in regno veſtro *Boemie*, ſed in aliis partibus mundi erit acceptum & fructuoſum.

FRANCISCI

CANONICI PRAGENSIS

PARTIS SECUNDÆ CHRONICÆ PRAGENSIS

LIBER III.

1. De Reditu Domini Wenceslai regni Boemiæ heredis, Capitulum (*a*)

2. De adventu Domine Blanze conthoralis regis Boemie heredis.

3. De Contentione Cleri & Religioſorum valde gravi.

4. De obitu Domini Johannis Pape viceſimi ſecundi, & de aliis pluribus actis.

5.

(*a*) Numeros Arabicos Manuſcripti exemplaris ſervavimus.

5. Collatio Domini Johannis Pape de queſtione viſionis Dominice.
6. De electione Domini Benedicti Pape.
7. Quomodo Dominus Wenceslaus ſorori ſue Anne nuptias ſolempniter procuravit.
8. De ſecundo matrimonio Regis Johannis Bohemie, & de aliis ipſius actis.
9. Qualiter Rex Boemie alienavit Regnum Polonie.
10. De adventu nove Regine Boemie (*b*) contra Auſtriam de Regis expeditione.
11. Quomodo Ludvicus Bavarus venit in auxilium Ducibus Auſtrie contra Regem Boemie.
12. Qualiter Johannes Rex Boemie Bruſſiam ſecunda vice venerit, & de coronatione nove Regine.
13. De magno conflictu Chriſtianorum & Paganorum, & de interemptione Judeorum.
14. De adventu Tartarorum Poloniam, & de obitu Margarethe filie Regis Boemie.
15. De Vaticinio Aſtrologorum, & ruina Pontis Pragenſis, & de aliis pluribus tunc temporis peractis.
16. De creatione Eccleſie Collegiate in Caſtro Pragenſi, & de obitu Domini Johannis Epiſcopi pragenſis.
17. De electione primi Archiepiſcopi Eccleſie Pragenſis.
18. De creatione Collegii Clericorum in Eccleſia Pragenſi.
19. Quomodo Rex Boemie repulit Regem Polonie de finibus ſuis, & de Victoria ultramarina miraculoſa.
20. De creatione Collegii Clericorum in Eccleſia Pragenſi.
21. De quibusdam actibus notabilibus in aliis partibus mundi perpetratis.
22. De electione, & coronatione Domini Marchionis in Regem Romanorum.
23. De Inſtauratione & inſtitutione in Regno Boemie ſtudii Generalis.
24. De anno gratie, & jubileo.
25. De Gratiis a Domino Rege Romanorum in Curia impetratis & obtentis.

26.

(*b*) Supple &, uti poſtea in capitis titulo.

26. De Coronatione Domini Karuli regis electi Romanorum in Regem Boemorum.

27. De fundatione Nove Civitatis Pragenſis, & de epydemia valde gravi & pernicioſa.

28. De ſecundo Matrimonio Domini Caroli regis Boemie ac Romanorum.

29. De conſummatione ſtudii generalis in Civitate Pragenſi.

30. De allatione magnarum Reliquiarum Imperii ad Pragenſem Civitatem.

31. De circumſtantiis Anni Gratie, & Jubilei.

Incipit tertius Liber ſecunde partis Cronicæ.

Anno dominice incarnationis M. CCC. XXXIII. tertio Calendis *Novembris* hoc eſt tertia die ante Feſtum *Omnium Sanctorum* Dominus *Wenceslaus*, qui & *Karulus* vocatus, heres regni *Boemie* primogenitus *Johannis* Regis occurrentibus, & gaudentibus toto Clero *Pragenſi*, & populo univerſo cum reliquiis Sanctorum & vexillis, campanis pulſatis, cum magna ſolempnitate, etatis ſue anno XVII, *Pragam* Regni metropolim cum multis militibus & copioſa nobilium multitudine eſt ingreſſus, & multi ejus pulchritudinem laudantes Domino Deo benedicebant, iſte quidem Heres regni Pragæ natus, (*c*) puer ſeptennis de Regno Boemie ad *Karulum* Regem *Francie* deducitur ipſius affinem per quem ipſius nomen mutatur, & confirmationis Sacramento *Karulus* nuncupatur. Cur autem extra regnum ſuum decem annis manſit, iſta cauſa dicitur fuiſſe, ne ipſum nobiles & Barones raperent, & in prejudicium patris ſibi Regem facerent; (*d*) & etiam propter hoc fuerat miſſus Franciam, (*e*) ut ibi ſapientiam, & vitam hic diſceret virtuoſam, & ordinatam, quam Pater ſuus, proch dolor, non ducebat. Ipſe quoque Heres regni prefatus magne fuit induſtrie, bonisque moribus (*f*) adornatus, quintuplici idiomate extitit imbutus, (*g*) in his linguis ſcit ſcribere, legere &

(*c*) Codex Metropolitanus addit: *in caſtro Burgdlino ſeptem annis educatus.* (*d*) Iſta tota periodus deeſt in Codice Metropolitano, reperitur tamen integra in Petri Chronico Aulæ Regiæ T. V. p.° 465. e quo nempe hucusque paſſim ſua excerpſit Franciſcus, uti ſæpe ibidem meminimus. (*e*) Codex Metrop. habet: *Propter hoc iſte ſponſus juvenis bone indolis Deo diſponente in Franciam fuerat miſſus.* (*f*) Codex Met. addit: *& virtuoſis.* (*g*) Cod. Met. *Quadruplex ſcit linguarium vel quintuplex, Lombardicum, Francicum, Latinum, Boemicum, & Theutonicum.*

& intelligere, & ſe optime expedire. Hic itaque Adoleſcens inclitus ſuum Regnum hereditarium reperit nimis confuſum, & diviſum, debitoque regimine deſolatum, (*b*) nam non fuit aliquod regni Caſtrum, quod non fuiſſet per Patrem ipſius obligatum, ſed & Civitates, ville, & villicationes, & ſilve fere omnes erant tunc obligationis, aut commiſſionis titulo imbrigate, manens autem in Caſtro pragenſi, (*i*) incepit mox ruinoſa edificia regalia, que ante multos annos fuerant deſtructa, conſtruere, & reedificare, ſicut de quibusdam regibus Iſrael legitur, ingenioſo ſtudio reſtauravit. Et in brevi tempore Domum Regiam conſtruxit, nunquam prius in hoc regno talem viſam ad inſtar Domus Regis Francie cum maximis ſumptibus edificavit, & non tantum hic, verum etiam in aliis locis idem fuit factum ex ejus ordinatione; Hic quippe Heres laudabilis, & genti *Boemice* fidelis pro hæreditatis ſue profectibus magno cepit ſtudio cogitare, & effectuoſe conſummare. Et accepta collecta Regia, que dicitur berna, plura Caſtra regia, & Civitates per ipſum liberavit, que per Patrem ipſius fuerant nobilibus obligata. (*k*) Pater vero ejus volens ſibi nomen, & titulum Regni *Boemie* obtinere, contulit ſibi *Moravie* Marchionatum, Marchionemque ipſum cepit nominare, & idem glorioſus Marchio omni, quo poteſt ſtudio, ut pax haberetur in ſuo Dominio, viriliter & ſtrenue laboravit, nunc quidem *Boemie*, nunc *Moravie*, nunc *Polonie* civitates, & oppida viſitavit, & ſtatum in eis bene ordinavit, & reformavit, (*l*) nihilominus ipſe peccunias quas congregavit pro majori parte, Patri transmiſit propter bella, que in aliis terris habuit cottidiana. (*m*) Prefatus quoque Marchio glorioſus laudabiliter ſtatum regni diſpoſuit, & ordinavit, unde verſus: *Karulus ut carus ſit cunctis, menteque gnarus, - - - Ad bona quod creſcat, quod cum virtute ſeneſcat, - - - Quod valeat regere bene regni jura fovere; - - - Et pacem facere, cunctos hoſtes removere, - - - O Deus præſta hoc, (n) fac ſit, quod & ejus honeſta - - Fama ſit & vita magna virtute polita.* (*o*)

(*b*) Hæc periodus multo clarior & magis concinna eſt altera Codicis Metrop. (*i*) C. M. habet: *manſit autem Pragæ in domo matris ſuæ fere duobus menſibus, dehinc ad caſtrum Pragenſe ſe tranſtulit*, uti a Petro Abbate Aulæ Regiæ ſcripta fuere. (*k*) Hæc in C. M longius explicata ſunt, quemadmodum in Chron. Aulæ Regiæ p. 466. reperiuntur. (*l*) Hæc omnia Franciſcus in priore ſuo Chronico Joanni epiſcopo nuncupato in tempore præſente narrat, quæ jam Carolo Romanorum Rege electo tanquam præterita refert. (*m*) Hac periodo caret rurſum Cod. Metrop. (*n*) Rectius Chron. Aulæ Reg. *hoc preſta.* (*o*) His verſibus caret Cod. Metrop. qui quidem omnes ex Petro Abbate p. 466. exſcripti ſunt.

De Adventu Domine Blanze conthoralis Domini Regis Bohemorum & Romanorum. (p)

Anno Domini M. CCC. XXIV. pridie idus *Julii* die dominico inclita Domina *Blanza*, (q) ex regia ſtirpe genita conthoralis Domini Regis *Ramanorum ac Boemorum*, veniens de *Francia Pragam*, ſuſcipitur ab univerſo Clero, & populo magnifice, & glorioſe. Hec itaque Domina ante annos decem, decens puella, eſt Domino Marchioni legitime copulata; eſt autem hec Domina moderni Regis *Francie Philippi* germana, ex duabus autem matribus Rex *Karulus* & Domina *Blanza* geniti, ſed ambo ex uno patre ſcilicet Karulo generati, qui Karulus pater eorum germanus uterinus extitit *Philippi* quondam Regis *Francie* magni, hic eſt ille *Philippus* potentiſſimus, cujus tres filii Reges *Francie* mortui ſunt ſine heredibus maſculis, & inde ad prefatum *Philippum*, tanquam ad propinquiorem de regia proſapia exortum, regnum eſt *Francie* devolutum. Hujus itaque *Philippi* Regis *Francie* germana in *Boemiam* eſt data & adducta, ut cum ſponſo ſuo regnaret, & imperaret ſuo tempore ut regina; gaudet autem ſponſus propter ſponſam, & *Prage* in deliciis, & leticiis diebus pluribus fecit magnam ſolempnitatem, unde verſus: *O Deus eterne Rex o tu Chriſte ſuperne, - - - Nunc ſuper hos cerne, facias ipſisque paterne, - - Horum protector, Dux, cuſtos, eſtoque rector, - - - Ut te rectore pariter ſic ſtent in honore, - - - Quod pacem terre poſſint & commoda ferre, - - - Nam nimis eſt ſtratum regnum nunc & reprobatum.* Eodem Anno Dominus *Hynko Olomucenſis* Epiſcopus moritur & in Eccleſia *Pragenſi* ſepelitur, poſt hunc Dominus *Joannes Wiſſegradenſis* Prepoſitus Regni *Boemie* Cancellarius in Eccleſia *Olomucenſi* eligitur, & a Domino *Mathia Maguntino* Archiepiſcopo cum magna ſolempnitate confirmatur. (r)

De

(p) Hic titulus cum ſubiecta narratione deeſt in Codice Metropolitano, cujus loco mox Cap. 2. ſubſtituitur *de Contentione Cleri*. Deſumpſit vero Franciſcus totam narrationem ex Chronico Petri Abbatis p. 468. quam tamen ſubinde breviavit. (q) Petrus Abbas rectius habet: *Blanka*. (r) Hæc ex eodem Petro Abbate ſtrictim excerpta ſunt, quæ ille priori narrationi præjecerat.

De Contentione Cleri, & Religioſorum valde gravi. (s)

Eodem anno res quedam, que prius velud prophetata, conterruit auditores, *Prage* in ſcandalum contigit multorum. Nam in vigilia beati *Jacobi* Apoſtoli omnes unanimiter Plebani eccleſiarum parochialium Rectores, omnibus ſuis convocatis Plebezanis, ut in unum convenirent, & ipſi adverſus *Predicatores* & *Minores*, & *Auguſtinenſes* ceperunt literas Papales, quas Clerus ex novo obtinuerat, de quarta portione per *Bonifacium* Papam ordinata populo publice oſtendere, que cepit (*t*) de funerum ſepultura; & quod ipſi fratres de ordine mendicancium ſepe ſuper hoc per Judices a Sede Apoſtolica ammoniti ipſis acquieſcere nollent, ſed pocius contumaciter reſiſterent. (*u*) Ideoque illi (*x*), qui ad hoc erant deputati, altis vocibus ceperunt extinctis candelis, pulſatis campanis prefatos fratres auctoritate Sedis Apoſtolice acriter excommunicare, mandantes omnibus in virtute ſancte obedientie & ſub excommunicationis ſententia, ut ipſos debeant evitare, & quia fratres iſtud negotium venturum preſciverant, contra ipſos ſe occultis armis munierant, & pluribus armis, (*y*) & venientes plures ipſorum ad eccleſias, in quibus excommunicabantur, in audientia univerſi populi cum impetu (*z*) clamantes & dicentes; O vos miſeri non Sacerdotes, ſed ſacrilegi (*a*) animarum occiſores, populorum deceptores! quid facitis, cur veſtras ſententias (*b*) promulgatis, vos ipſi eſtis excommunicati, adulteri, luſores, ebrioſi, doloſi, & in omnibus vitioſi, (*c*) nos juſti, vos injuſti, nos omnibus portamus lumen, vos in tenebris ambulatis, duces ceci in foveam ſimplices deducendo. Et quidem ex ipſis audaciter (*d*) per medium populi accurrebant, ut literas, que erant contra ipſos, (*e*) raperent, & auferrent, qui a Clero injectione manuum graviter offendebantur. Ex hujusmodi convicio (*f*) fit rumor & tumultus in populo partim Clericos partim Religioſos verbis, & verberibus adjuvando. Quidam percutiunt pugno

(*s*) Hoc Caput ſecundi locum in Codice Metrop. obtinet. (*t*) Met. Cod. *cedit.* (*u*) Omnia hæc luculentius in fonte ipſo Petro Abate a pag. 469. leguntur. (*x*) M. C. addit: *Sacerdotes.* (*y*) C. M. perperam *amicis.* (*z*) M. C. addit: *vocibus.* (*a*) Idem *homines.* (*b*) *Cur contra noſtras ſententias* idem. (*c*) *Omnibus criminibus irretiti* idem. (*d*) C. M. addit: *mendicantibus.* (*e*) *Ut illos, qui ſententias proferebant, raperent* &c. idem. (*f*) C. M. addit: *in quo ipſi ſe mutuo confundebant.*

impie, alii lapides tulerunt, ut jacerent in eos, alii evaginant cultellos, alii cum gladiis & fuſtibus currunt, tanquam ad latrones, hic *Begardi*, & *Begine* (*g*) & Layci quam plures ſunt Fratrum adjutores, alii vero multi adjuvant Clerum. (*b*) Hic revelantur ex multis cordibus cogitationes, hic frater truditur alter percutitur, alius vulneratur, alius lapidatur, illic Clericus trahitur, leditur, & alter ſanguine rubricatur, tumultuat juvenis contra ſenem, ſenex contra juvenem, ſurgit gens contra gentem, & tantum fit cunctis ſcandalum, quod ſecundum Evangelium videtur inicium hoc malorum. Multi viſi ſunt Karacterem capitis tegere & de templo exire, ut ſe abſconderent a calore tante furie, & ne cum prothomartyre *Stephano* lapidibus obruerentur. (*i*) Non enim Celos apertos videbant, nam oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, multo magis ut obſervarent capita; quam reſpicerent ad celos. Tandem poſt moram magni & longi certaminis omnes mente confuſi pre ammiratione ſtupidi ad ſua loca redeunt ſinguli. Ubi duo vel tres congregati fuerunt, nil aliud niſi de hoc prelio locuntur, (*k*) ſurgunt denique ſingulis diebus dominicis, & feſtivis Clerus contra Fratres, Fratres contra Clerum excommunicationis ſententias fulminantes. Fratres quidem quandam Appellationem allegant, quam a principio oppoſuerant, cui Clerus deferre recuſat, fratres quoque dicunt: (*l*) Papalis conſtitutio noſtros ordines in *Boemia* non tangit, (*m*) quod non ſit idem fructus nec funeralium uſus in iſto Regno, qui in *Lombardie* partibus habetur. Hec contentio diu (*n*) duravit, ſed tunc interveniente arbitrio hec cauſa ad Sedem Apoſtolicam eſt relata. Interim prefati fratres in civitatibus ſingulis in oppidis, & villis ſunt paſſi ignominiam, dampnum, & turbationem. Nam ipſis tam verbis, quam elemoſinis communicare plurimi noluerunt, tandem ultimo diverſis laboribus, & expenſis conſummatis amicabiliter concordarunt. Conſueverant autem prefati Fratres (*o*) in Eccleſia *Pragenſi* diebus dominicis ad populum facere ſermonem, quos Venerabilis Pater Dominus *Johannes* Epiſcopus

(*g*) C. M. Peperam C. M. *Regine*. (*b*) Idem addit & *ſpecialiter femine ſeculares*. (*i*) Idem *violenter*. (*k*) Idem *quod viderunt*. (*l*) C. M. ita habet: *Tres Ordines predicti ſe concorditer uniunt in hoc facto, & Clero pariter ſic reſiſtunt, & dicunt*: (*m*) Idem *eo*. (*n*) *Usque ad Feſtum Beati Nicolai* idem. (*o*) C. Metrop. *religioſi*.

pus *Pragenſis* vocaverat, ſed amplius hunc faciendum non admiſit. (p) Commiſit autem ibidem officium predicationis ſuo Capellano & Penitentiario FRANCISCO, quondam Rectori ſcole Eccleſie *Wiſſegradenſis*, qui ob reverentiam, & mandatum ipſius ſcripſit hanc ſecundam partem Cronice *Pragenſis*.

De obitu Domini Johannis Pape, & aliis pluribus actibus. (q)

Eodem Anno pridie Nonas *Decembris* in dominica, qua *Populus Syon* cantatur ſecundum circulum (r) ejusdem Dominice, facta ſunt ſigna in ſole, & luna, hoc eſt in Vicario *Chriſti*, & Eccleſia. Nam Dominus *Johannes* Papa XXIIdus. obiit in *Avinione*, & ibidem eſt ſepultus, ſedit autem annis fere decem, & novem. Plura autem facta ſunt per ipſum, de quibus aliqua in precedentibus ſunt ſcripta: (s) *Papa ſtupor mundi non cavit quin furibundi, - - - Mortis eum morſus morderet; nunc ſcio prorſus, - - - Quod mors non curat aliquem, ſed lex ſua durat - - - Omnibus equalis, non eſt vivens homo talis, - - - Quem mors non tanget & quem non paſſio franget.* (t) Eodem anno obiit *Otto* junior, Dux *Bavarie* ſine heredibus, & ſic ad Ducem *Henricum* tocius Ducatus dominium applicatur. Et tunc obiit Venerabilis Vir magiſter *Ulricus* de *Babyenycz*, Doctor Decretorum, qui providit quod Miſſa de Beata Virgine cottidie canitur in Eccleſia pragenſi. (u) Eodem anno de Eccleſia *Herbipolenſi*, & de aliis pluribus Epiſcopatibus proviſioni Sedis Apoſtolice reſervatis, *Ludvicus de Bavaria* Epiſcopos Papales ejecit violenter, & pro ſua voluntate alios locavit. Eodem anno (x) honorabilis vir Dominus Petrus Abbas de Aula regia audivit a Venerabili vi-

(p) Correctior hæc lectio, quam in Cod. Metrop. (q) Hæc fruſtra in Cod. Metrop. quæras, omnia vero ordine perturbato ex Petro Abbate excerpta, & truncata oratione tranſcripta ſunt. (r) Petrus Abbas habet: *evangelium*. (s) Minus circumſpecte hæc Franciſcus ex eodem Petro Abbate adjecit, qui omnino plura in præcedentibus de eodem Papa commemoravit, ſed nihil horum Franciſcus. (t) Ceteros verſus lege in Petro Abbate pag. 479. Tomo meo priore V. Monument. (u) Hæc omnia cum ſequente periodo deſiderantur in Cod. Met. cujus loco in eodem ſit mentio pruinæ, quæ vineas depaſta eſt, & peſtis ſubortæ. Editionis ſecundæ p. 184. (x) Abhinc rurſum incipit exemplar noſtrum reſpondere Metropolitano.

viro Domino *Balcoyno* (y) *Trevirenſi* Archiepiſcopo hec verba: (z) ſcio, inquit, quod multi de hoc judicant, quod *Treverenſem*, *Maguntinenſem*, & *Spirenſem* teneo Eccleſias, & rego ipſas, ſed mihi pro minimo eſt, ut ab humano judicer die. Nam qui judicat me, Dominus eſt, & Dominus Papa, quem quaſi pro Deo in terris colimus, me judicat, & tamen intentionem, & excuſationem meam diſſimulat, & non vult audire. (*a*) Deus autem noſter, qui eſt in celis, ſcit propoſitum mei cordis, & deſideria interiora, quod non ex ambitione, ſed pura intentione eſt de dictis eccleſiis mihi cura. Nimia namque in his partibus fierent diſturbia, ſi non protegeret, & regeret manus mea eccleſias prefatas, & ſpecialiter *Maguntinam* eccleſiam multis poſſeſſionibus, & in centum milibus librarum ipſam a creditoribus, debita ſolvendo, liberavi. Eodem tempore plures de *Boemia* nuncii Regem *Boemie* in illis partibus cum variis literis & negotiis queſierunt, ſed eum, ut circumvolantem cum paucis undique, nullatenus invenire potuerunt. Et multis ſapientibus non placuit hujus Regis inſtabilitas & diſcurſus, haſtiludia, & exercitia militaria ubique querit, expenſas maximas gerit, hujus rei gratia terram *Boemie* deſtruit, & bona regalia inutiliter diſſipavit. (*b*)

Collatio Domini Pape Johannis de inquiſitione viſionis Dominice. (*c*)

Anno in prefato Dominus *Johannes* Papa XXII. adhuc vivens de queſtione viſionis Dominice locutus eſt ſub iſta forma verborum ad Cardinales & ad Clerum univerſum curie *Romane*: Vos judicetis, que & quales auctoritates ſunt recitate in materia iſta ad partem affirmativam, & negativam, ſimul cum ſuis nominibus, unde mirari non debetis, ſi certa queſtio eſt mota, videtis etiam Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius, Jeronimus, Bernhardus & multi alii Doctores moverunt eam, ſed aliqui

(y) Rectius Met. Codex: *Baldewino*. (z) Æquum, decorumque fuiſſet, ut cum iſthic Franciſcus mentionem Petri Abbatis faciat, fontem ſuum coronaſſet, profeſſusque fuiſſet ſe hæc omnia ex ejusdem Chronico hauſiſſe, & pene verbis ipſis exſcripſiſſe, ſed miro artificio novo hoc quoque libro tertio narrationes Petri Abbatis ſusdeque vertit. (*a*) Ita uterque codex MS. ſed rectius Petrus Abbas p. 474. *& excuſationem meam audire diſſimulat.* (*b*) Hanc & ſuperiorem narrationem Cod. Metrop. ſub finem Capitis ſecundi rejicit. (*c*) Hoc totum Caput rurſum deſideratur in Cod. Metrop.

qui moderni Doctores habent quosdam libros ſuos compoſitos, & illos habent pre citatis epiſtolis, & preſcriptis Doctoribus, & quidquid dicitur extra illos libros, totum eſt in eis vanum, & inane. (*d*)

Ego autem, poſtquam fui in iſto ſtatu, occupavi me libenter in ſtudio originalium, & maxime *Gregorii*, & aliorum Doctorum, & libenter fui ſecutus eos. & recitavi decreta eorum, & ideo indicetur mihi, quod, qui vult bene inveſtigare veritatem iſtius queſtionis, debet invenire in Sacra Scriptura, & in decretis Sanctorum, & non per viam dyalecticam. Ego ſum Vicarius Domini noſtri *Jeſu Chriſti* licet indignus, & ideo non ſum poſitus ad impugnandam fidem, imo ad deffendendam pro viribus & roborandam, & teſte Deo, qui omnia novit, quod libentius audiam partem affirmativam, & rationes ad illam, quam oppoſitam, fecitque unam revocationem Dominus Papa ſub iſta forma: Ego non credidi, nec credo dixiſſe me unquam aliquid contra fidem, & ſi aliquis diceret quod a me eſſet preter fidem dictum, vel contra fidem, libenter audiam, & diſcutiam cum fratribus, & Prelatis, & Magiſtris, & paratus ſum revocare, & ex nunc revoco, & de hoc peto fieri publicum inſtrumentum, & adjecit, ad Deum ſitis, & receſſit. Verum tamen Dominus Papa pridie ante mortem ſuam in preſentia omnium Cardinalium & multorum Prelatorum ſic fuit publice proteſtatus, & dixit expreſſe ſe credere, quod anime ſeparate a corporibus, & purgate a peccatis ſunt in regno celorum cum *Chriſto*, & ſuis Sanctis, & cum conſortio Sanctorum angelorum aggregate, & vident divinam eſſentiam facie ad faciem clare, in quantum ſtatus & condicio requirit. *Vera magiſtrorum cunctorum dicta ſacrorum . . . Celis gaudere tantas animasque videre - - - Divinum vultum dicunt, cupiuntque ſepultum . . . Corpus, ut bis detur per dotes glorificetur. - - - Fine Deus faciet hoc, duplaque gloria fiet corporis ac anime, prope ſunt cauſe quoque prime.*

De

(*d*) Hoc totum Caput truncatis integris orationibus & narrationibus exſcripſit Franciſcus ex Aulæ Regiæ Chronico cap. 7. quod Tomo V. p. 476. & ſeqq. excuſum habetur. Verſus tamen omnes de paupertate Chriſti, qui recitantur pag. 484. accurate ſervavit Codex noſter, cum contra illi cum toto ipſo Capite in Codice Metr. deſiderantur.

De ellectione Benedicti Pape. (e)

Poſtquam Dominus *Johannes* Papa XXII. de hac vita deceſſit, die XI. Dominus *Jacobus* presbyter Cardinalis Epiſcopus tituli ſancte *Priſce*, qui in ordine *Ciſtercienſium* fuit Abbas & Monachus niger ſacre Theologie prefectus, (*f*) in omni ſtatu ſuo ſemper laudabiliter converſatus, in virtutibus famoſus (*g*) & gratiis ſibi datis divinitus in ſummum Pontificem *Romanum* & Apoſtolicum in caput eccleſie, *Chriſti* Vicarium ab omnibus ſcilicet XXIV. Cardinalibus canonice permodum ſcrutinii concorditer eſt electus, qui mutato ſecundum ſortem nomine *Benedictus* XII. eſt nuncupatus. De hac electione gratuita & concordi digna debet letari Eccleſia univerſalis, & cum electioni ejus omnes Cardinales conſenſiſſent, ipſe ſolus per longam moram noluit conſentire, tandem victus omni inſtantia invite conſenciens ita dicit: Domine Deus, quis ſimilis tui, ſuſcitans de pulvere egenum & de ſtercore erigens pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium glorie teneat, Domini enim ſunt cardines terre, & ecce hic tui Cardinales, & quid faciam? fiat voluntas tua. Et adjecit, quis ſum ego, non ſum, inquit, Principis filius, nec de nobili proſapia genitus, ſed ſum de humilibus & pauperibus parentibus; me judice, alter eſſet dignior iſta ſede. (*h*) Infudit autem ſermo iſte audientibus non modicam devotionem, & quanto plus ſeipſum humiliabat, tanto magis coram Deo & hominibus ſua crevit celſitudo. Die vero tertia ſue electionis laudabilis Dominus vinee, ſcilicet ſancte eccleſie in ipſa vinea incipiens operari, vocavit primo omnes Cardinales ad occultum Conſiſtorium, in quo omnes hortabatur, ut ſecum in vinea Domini *Sabaoth*, quam dei plantavit dextera, ut multum fructum faceret, fideliter laborarent; demum addidit theſaurum Eccleſie temporalem minorem invenimus, quam putavimus, de quo ex nunc pro reparatione ſanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, & beati Jo-

(*e*) Hoc totum Caput deſideratur rurſum in Codice Metropolitano, depromptum vero eſt ex Chronico Aulæ Regiæ p. 479. & ſeq. (*f*) Rectius Chron. Aulæ Reg. *effectus*. (*g*) Idem ſupplet: *ex virtutibus*. (*h*) Fruſtra rurſum fatigaremus typographum, chartamque profunderemus & atramentum, ſi ea hic repetereemus, quæ Petrus Abbas a pag. 479. uſque ad pag. 484, longius proſecutus eſt ex duabus epiſtolis Roma ad ſe miſſis, quæ ſervatis eiusdem verbis mire truncavit Franciſcus, ut ſubinde perobſcurum ſenſum tranſcripſerit.

Johannis in *Laterano Rome* ecclesiarum centum milia florenorum deputamus, vobisque Cardinalibus, ut nobiscum amplius vacare possitis profectibus Ecclesie universalis, inter vos dividendo centum milia florenorum similiter assignamus, & alia plura negotia utilia, ibidem determinavit. Die quarta secundum fecit Consistorium semipublicum, in hoc enim Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi & Prelati, & quatuor ordinum Mendicantium summi, & generales Magistri. Et cum multa pro defectu (*i*) & statu generalis ecclesiæ fuissent pertractata, generalis Magister *Fratrum Minorum* dixit: Pater sancte decretalis illa *Bonifaciana super Cathedram* &c. multum gravat nostros ordines, quia quartam instanter a nobis exigunt Clerici seculares, petimus igitur, ut ipsam aut revocationis, aut pie interpretationis remedio dignemini mitigare, alias nostri ordines multum gravabuntur. Dominus Papa respondit: cum constitutionem illam ex maturo utique consilio, & rationis libramine editam revocari per nos, aut interpretari non convenit ista vice, sed successu temporis, quod expediens fuerit, provide faciemus. Deinde Dominus Papa subjunxit hæc verba prophete *Zacharie* secundo: Ostendit mihi Dominus quatuor fabros, & dixit: quid isti volunt facere, qui ait, hec sunt quatuor cornua, que ventilaverunt *Judæam* per singulos viros, & nemo illorum levavit caput suum, & verba ista prophetica applicavit ad quatuor ordines mendicantium, explanans: quatuor ipsi fabricaverunt super dorsa peccatorum peccata & hereses exstirpando, & quasi cornua contra inimicos ecclesie erigendo. *Judeam* id est confitentes, & incipientes dirigendo, *Jerusalem* hoc est proficientes, & pacem sectantes confortando, *Israel* id est perfectos diligendo; insuper & quasi quibusdam cornibus & disputationum argumentis quasdam questiones supervacuas, scilicet de paupertate *Christi*, & de divina visione etiam prima animarum sanctarum, & complens ventilando vento similes esse judicavit, asseruit enim tales quæstiones dudum per sanctorum orthodoxorum Patrum sententias diffinitas, & nihil aliud fore senciendum, nisi quod tenet sancte *Romane* Ecclesie vera fides. Volumus igitur quod ulterius ab hujusmodi questionibus cessetis, que plus scandalum generant, quam doctrinam; sed state in fide vera, viriliter agite, & omnia vestra fiant in charitate. Tertium Consistorium habuit Dominus Papa publicum, in quo plurima bona dixit, & diversas constituit laudabiles constitutiones, hujus rei gra-

(*i*) Legendum *de profectu.*

tia, omnes qui ſunt in curia dant huic Domino Pape laudabile teſtimonium, gloriam, & honorem. Inſuper mandavit, ut nullus Cardinalium amodo haberent redditus abbatiarum, (*k*) vel Prioratuum, nec munera reciperent ab homine quocunque, ſed redditibus ſuorum beneficiorum & obventionum Camere eſſent contenti, & quicunque inter eos eſſet egens, quod illius ſupplere vellet egeſtatem. Et quia invenit multas petitiones ante multa tempora ſignatas in ſua Camera, & ideo non traditas perſonis, quibus debebantur, ut eſtimavit, quod manus Cubiculariorum, qui tradere debuerant, auro non ungebantur, unde mandavit, quod nullus eorum, vel hoſtiariorum, vel aliorum quorumcunque pecuniam recipiat a quocunque, ſed quilibet de ſuo ſtipendio ſit contentus, preterea conſtituit tres Marſcalcos, quorum quilibet regat ſuum officium per ſex menſes, qui nullum pretium ſanquinis ſcilicet a meretricibus recipiant, nec aliquem injurioſe moleſtent; quibus ſex menſibus elapſis de ſua adminiſtratione faciat rationem, & cum hoc ſtabit (*l*) per cunctos dies de ipſo cuicunque querulanti; Item ſtatuit, ut omnes Prelati, & Epiſcopi usque nunc in curia conſtituti preter illos, qui habent officia, vadant ad ſuas eccleſias, donec, ſi quando eos neceſſarios habuerit, per ipſum vocentur. Item ſtatuit quod quilibet Clericus moriens in curia *Romana*, aut laycus de ſuis bonis quibuscunque pro ſalute anime ſue libere poſſit ordinare. Multa etiam Romana ſalubria ordinavit, que cauſa brevitatis hic non ſunt ſcripta. Deinde omnes Prelatos tam ſimplices, quam Religioſos cum magna hilaritate ad oſculum pedum ſuorum ſuſcepit. *O Benedicte tuum Benedictum ſi modereris, - - nomen cum facto tunc benedictus eris; - -* Et quia in Curia romana eſt etiam conſtitutio diſputata de *Chriſti* paupertate, unde de ipſa verſus notentur: *De paupertate Chriſti ſi queritur a te, - - Quid ſit credendum, tu dic hoc eſſe tenendum - - Quod tenet Eccleſia Romana fides, quoque Dya - - Dives pauper erat, ſicut voluit, modo querat - - Si quis fors a te, quid ſit de proprietate - - Dicendum Chriſti, tu dic ſtudioſus iſti: - - Quod res oſtendat tibi, quas nullo modo prendat - - Chriſti Dyva manus, homo ſcit, niſi ſit male ſanus, - - Omnia ſubjecta fore Chriſto nullaque tecta. Cuncta.*

(*k*) Franciſcus tres epiſtolas ad Petrum Abbatem Aulæ Regiæ hoc in argumento ſcriptas paſſim exſcripſit, truncatiſque locis in compendium redegit, quæ integre ſuſeque in Chronico Aulæ Regiæ a pag. 476. leguntur. (*l*) Omiſſum *juri*, uti apud Petrum Abbatem p. 483.

Cuncta -- Dedit gratis fons divine pietatis ; - - Nunc decet inquirere, (m) ſi ſunt ſua vel tua, ſcire -- Hoc poteris facile, quia nil retines ita vile, - - Quod teneas per te ; ſi ſic, tu dices aperte : - - Hec mea propria res, dic qua ratione negares, - - Hec Domino danti, pocius dicam mutanti, - - Cum ſua ſint cuncta, ſua propria ſunt tibi juncta, - - Hec bona vult, quantum ſummit tamen is ſibi tantum -- Chriſtus pro victu, quantum vult hic & amictu, - - His eſt hic uſus, ſed nunquam rebus abuſus. - - Ergo Dei nate ditiſſimus es deitate, - - Aſt in natura carnis ſumis tibi dura, - - Pauper vis fieri, vis pauperibus miſereri, - - Quam ſuſcepiſti paupertatem, docuiſti, - - Tu poſſediſti proprias res, ſi voluiſti, - - De Domini cibum (n) ſervando vel uni, - - Hoc ſi feciſti, cui judicat iſte vel iſti, - - Attamen hoc ſcimus in ſcriptis & reperimus, - - Dives, pauper erat Deus ac homo, nemoque querat - - Hac de materia temerarius, quia Virgo Maria, - - Panns involvit hunc vilibus atque revolvit, - - Pauperis exemplo fert paucula munera templo, - - Nendo laborando manibus vixit tibi dando - - Exemplum vite, quia ſi vis vivere rite, - - Fer paupertatem mundi, quia fertilitatem, - - Regni celeſtis acquires, eſt tibi teſtis, - - Hec celi Princeps. Nos protege virgo deinceps, - - Spem da perfectam mihi Chriſte fidem quoque rectam, - - Da te diligere, te tota mente tenere, - - Tempore da mortis felicis gaudia ſortis.

Qucmodo Marchio Moravie Sororis ſue Anne nuptias ſolempniter procuravit. (o)

Et ut diſcordia, quæ annis pluribus inter Regem *Boemie* & Duces *Auſtrie* fuerat, ſedaretur, de matrimoniali remedio a ſapientibus pacem diligentibus cogitatur. Sic igitur tractatur: ut *Ottoni* Duci *Auſtrie Anna* puella duodecim annorum *Johannis* Regis filia copuletur. Sed quia inter ſe fuerant juncti in tertia linea conſanguinitatis ad Papatum (p) Johannis XXII. mittitur, & diſpenſatio obtinetur. Siquidem predicta puella, que gemella (q) nata ex *Eliſabeth* Regia ſorore ejus pridem de-

(m) Rectius Chronicon Aulæ Regiæ : *Que dedit, inquire.* (n) Rectius idem : *Aut in communi tibimet* (o) Hujus capitis memoriæ rurſum abſunt a Codice Metropolitano. (p) Rectius Petrus Abbas : *Papam*, quæ omnia rurſum ex eodem ad verbum deſcripta p. 485. habentur. (q) Ex hac voce jam verus ſenſus hujus orationis eruitur, qui

functa *Znoymam* deducitur, & *Ottoni* Duci *Austrie* thalamo legitime sociatur, fit omnibus letitia & gaudium, magnum quoque tripudium, & duravit ad triduum hoc convivium opulentum, de promptuariis Domini Marchionis (*r*) cunctis habunde ministratur, qui quidem Dominus ibidem hastiludia & multa exercitia militaria peregit cum maxima solempnitate, & erant ibi tres Episcopi, quinque duces, Barones, & Comites, & multi Magnates; Marscalcus quoque Marchionis fuit coram fide dignis protestatus, quod pabulum pro sex milibus dedit equis, & pro aliis expensis, & impensis expendit pecuniam copiosam. Predicta quoque Virgo *Anna* preventa utique Dei gratia, quod sensibus esset cana. Nam in cunctis actis suis morum monstravit gravitatem, & preparans se ad Sacramentum Matrimonii confessa fuit devote. Minime dubium indicium & initium est actuum bonorum. Loco & tempore pretactis nuptie inter Comitem de *Retz* & filiam Ducis *Oppavie* sunt pariter celebrate; his itaque peractis Principes & Barones ad propria loca processerunt. *Anna quod hoc nomen tibi sponsa salus sit & omen, - - Hoc da Christe pie, Mater fuit Anna Marie. - - Det Deus istarum tibi virtutes dominarum, - - Det tibi, quod crescas magnaque salute senescas, - - Crescere te faciat Deus & custos tibi fiat, - - Cui subsunt cuncta, sibi sis per secula juncta.*

De secundo Matrimonio Domini Johannis Regis, & aliis pluribus actis. (*s*)

Eodem Anno rumor inopinatus & tamen veridicus insonuit in hoc Regno, qui *Johannem* Regem *Boemie* contraxisse legitimum matrimonium cum *Beatrice* virgine filia Ducis *Perdonie* (*Borbonie*) Comitis *Clarimontis* in partibus *Gallie* nunciavit, ideoque Rex eodem tempore in *Francia* hastiludium & torneamentum habuit cum nobilibus, in quo plurimi gravibus ictibus sunt lesi. (*t*) Porro *Philippus* Rex *Francie*, quod ipso igno-

qui tam isthic, quam in Petro Abbate obscurior est, sicque restituendus: *si quidem predicta puella, que gemella nata cum Elisabeth regia sorore ejus pridem defuncta, Znoymam deducitur.*

(*r*) Caroli. (*s*) Et istud Caput Franciscus ex Capitulo decimo Chronici Aulæ Regiæ deprompsit, uti p. 486. videre est, quo itidem caret codex Metrop. (*t*) Petrus Abbas

ignorante tale exercitium fuerat factum militare, omnes, qui interfuerant, *Parisius* captivitavit, ipse vero Rex *Boemie* suis interceſſionibus prefatos liberavit. (*u*) Nullus enim in regno *Francie* bellum audet facere, aut aliquos actus militares, nisi de ipsius Regis extiterit voluntate. Predictus vero *Joannes* Rex tertio Calendas *Auguſti* reverſus de partibus *Gallie Pragam* venit, qui mox altera die contra *Ludvicum Bavarum* deinde contra Duces *Auſtrie* expeditionem fecit publice proclamari. Cum vero de regno *Boemie* nobiles, & de diverſis terris procederent armati ad expeditionem, parlamentum inter dictos Principes inducitur circa *Ratisbonam*, ubi acceptis treugis proclamata expeditio per Regem revocatur. Eodem anno menſe *Marcio* obiit Dux *Carintbie Henricus* Comes *Tyrolis*, qui fuit pro tempore Rex *Boemie*. *Johannes* vero ſecundo genitus Regis *Boemie* gener dicti Ducis ſibi ſucceſſit, quia non fuit heres maſculus derelictus, verum tamen Duces *Auſtrie*, qui dictum Ducatum a *Ludovico Bavaro* in feudo acceperant, ipſum impediverunt, propter quod Rex *Bohemie* inſurrexerat contra ipſos. Eodem Anno X. Calendas *Julii* nata eſt Domino Marchioni ex conjuge ſua *Blancza* primogenita filia ſua *Margaretha*. Hoc anno VI. idus *Aprilis* facta eſt circa noctis medium lune ecclipſis, hyemps fuit aſpera, ventoſa, & longa, eſtas nimium frigida, & pluvioſa, ideo vindemia parva, & tarda. Eodem anno XIV. Calendis *Novembris*, obiit *Eliſabeth* quondam Regina *Boemie* & *Polonie* dicta de *Grecz*, & in *Brunna* ſue fundationis Monaſterio Sanctimonialium ordinis *Ciſtercienſis* eſt ſepulta. Eodem anno in die Beate *Catharine* absque heredibus obiit *Henricus* Dux *Sileſie* Dominus *Wratislavienſis*, quo mortuo mox Rex *Boemie* filium ſuum primogenitum

bas id de ſolo Joanne Rege dicit: *In quo* (Joannes) *plurimum gravibus ictibus læſus fuit*, malim tamen exiſtimare Franciſcum emendatius Petri Abbatis exemplar præ manibus habuiſſe, ejusque lectionem veriorem eſſe, quod videlicet Joannes Rex pro ſua militari ſcientia & fortitudine in his haſtiludiis plures ex nobilitate Franciæ gravibus ictibus læſerit.

(*u*) Sequentia ſi conferendi eſt animus, adi Petrum Abbatem pag. 486. & ſeq. ubi pene iisdem verbis, narrationum tamen quarundam alio ordine, relata reperies, quemadmodum & Capitulum ſequens numero nonum. *Qualiter Rex Bohemie alienavit Regnum Polonie*, quod in Chronico Petri numero undecimum eſt, huic ipſi Capitulo ſine omni titulo conjunctum ejusdem pene verbis narratum ſpectaturus es, illud ipſum, inquam, Capitulum quod in Codice Metropolitano numero tertium eſt.

tum misit, qui se Patris nomine de civitate *Wratislavienſi* & de aliis cunctis ad Ducatum eundem pertinentibus sine contradictione qualibet intromisit; sic enim adhuc vivens dispoſuerat *Henricus* Dux prefatus. Eodem Anno circa idem tempus Rex *Boemie* cum filio ſuo primogenito Domino *Carulo* & pluribus nobilibus *Ungariam* pacifice intravit, & *Carolum* Regem *Hungarie* visitavit, ubi tribus hebdomadis commoratus, juramento & pacto inter se de fide & concordia mutuo servanda facto, Rex cum ſuis in *Boemiam* rediit magnis exeniis & muneribus honoratus, & ipse Rex *Boemie Caſimir* jam Regem *Polonie*, (x) cui coram Rege *Ungarie* pretatum Regnum *Polonie* pro XX. milibus marcarum vendiderat, secum de *Ungaria* adduxit, & *Pragam* cum eo pariter intravit, & Rex *Caſimir* pluribus ſuſceptis honoribus *Prage* pluribus diebus manſit, & ad ſua rediens jus & titulum regni *Polonie* hilariter reportavit. Isti itaque tres Reges pariter confederati se juvare mutuo contra omnes Principes ſunt parati. Inter cetera amicicie federa est promiſſum, quod *Johannes* puer quinquennis filius *Henrici* Ducis *Bavarie*, qui gener Regis *Boemie* extitit, ducere debeat futuro tempore filiam Regis *Polonie* pro Uxore. Eodem tempore Rex civitates in *Boemia* & monaſteria graviſſimis exactionibus oppreſſit.

De adventu nove Regine Boemie, & de Regis contra Auſtriam expeditione. (y)

Anno Domini M. CCC. XXXVI. Rege *Johanne Prage* exiſtente *Beatrix* conthoralis ſua *Pragam* advenit, cui univerſus *Pragenſis* Clerus, & populus decenter occurit, eamque cum reverentia, qua decebat, ſuſceperunt; Domina autem Marchioniſſa erat ei multum grata, quia extitit eidem propingua cognata, & qui neſcit gallice phari, cum eis non poterit converſari. Eodem tempore Dominus Marchio in auxilium fratris ſui *Johannis* ſecundo nati Ducis *Carinthie Carinthiam* venit, ut ſibi contra Duces *Auſtrie* opem ferret, ſicut & his diebus *Ludvicus Bavarus* ad Regem *Boemie* miſit ſuos legatos, per quos *Egram* civitatem, caſtra quoque eidem conjuncta reddi Imperio, minis apoſitis, requiſivit, qui congruo reſponſo accepto a Rege ſine fine ſunt reverſi in regionem ſuam.

(x) Petrus Abbas ait: *Caſimir Regem Cracovie* &c. (y) Hoc caput obtinet in Petro Abbate locum Capitis duodecimi pag. 485. quod denuo a Metrop. Codice abeſt.

ſuam. Eodem anno Rex cum multitudine pugnatorum contra Duces *Auſtrie* procedit, (z) quorum terras aquilonari parte *Danubii* per totum tempus quadrageſime plurimum ferro turbavit, multosque peremit, & igne plura conſumpſit, & multas munitiones expugnavit, nec non muratas aliquas cepit civitates, multos nobiles & mediocres captivavit. Porro Dux *Auſtrie* in campis ſue terre jacens cum duobus milibus Galeatorum, & cum aliis XX. milibus hominibus ad prelium expeditis invadere Regem *Boemie*, qui duo milia & CCCtos Galeatos, & XV. milia peditum habuit electorum, invadere prelio non preſumpſit. Sed pro certo intelligens, quod Rex *Boemie* ad hoc omnino ſe diſponeret, ut ipſum Ducem in craſtino invaderet pugnando, Dux in nocte, que ſequitur beati *Georgii* diem, cum toto ſuo exercitu clam fugit, poſt quem nemo in caſtris, que fuit metatus, de mane fuit inventus. Ex hac fuga major fit exercitui Regis audacia, & jam ſe *Auſtrie* diffundunt per villas, & caſtella faciendo dampna eis arridente fortuna, tandem Rex *Boemie* ſuis aliqualiter negotiis ibidem diſpoſitis & ſuis hominibus, in munitionibus acquiſitis pro cuſtodia derelictis cum quibusdam ſtipendiariis *Pragam* rediit, & ibidem magnam pecuniam congregavit. Ipſe namque ex quorundam informatione *Prage* in Synagoga *Judeorum* fodi fecit, & circiter duo milia marcarum in auro & argento ſub terra invenit. Fodi quoque circa ſepulchrum beati *Adalberti* in eccleſia *Pragenſi* precepit, ſed peccuniam non invenit. Sed de hoc multi fuerunt ſcandaliſati de ſua avaritia admirantes. Poſt hoc *Judeos* mandavit per totum Regnum ſuum captivari, & ab ipſis maximam peccuniam extorſit. His diebus Rex talliam ſive exactionem, que Ungelt vulgariter dicitur, univerſis ſui regni civitatibus, & oppidis forenſibus inpoſuit, ex quo maxima in populo turbatio fuit facta, omnes tam Clericum quam Laycum hec vexatio includit, igitur maxima peccunia cum magno gravamine pauperum & monaſteriorum & incolarum Regni congregata cito diſpergitur, ſtipendiariis pars ſolvitur, pars extra terram emittitur, & reliqua totaliter diſſipatur. (a) His peractis Rex in *Moraviam* cum exercitu proficiſcitur, & tunc inter ipſum & *Karulum* Regem *Ungarie*, & *Caſimirum* regem *Polonie* conſilium celebratur, qui conſtanti animo decre-

(z) Ita pergit Franciſcus iisdem pene verbis hæc enarrare, uti habentur in Chronico Aulæ Regiæ p. 490. (a) Prætermiſit iſthic Franciſcus, quod Petrus de ablato monaſterio Aulæ Regiæ caſtro Landesberk priori narrationi ſubjicit p. 491.

creverunt Duces *Auſtrie* acriter impugnare, quos *Henricus* Dux *Bavarie* promiſit fideliter adjuvare. Eodem Anno per Dominum *Johannem* Venerabilem Epiſcopum *Pragenſem* eſt transpoſitum (*b*) ad alium locum idcirco, nam eundem locum elegit pro ſua ſepultura & idem altare a Domino Epiſcopo pontificatus ſui anno tertio de ſuo patrimonio copioſe & ſufficienter dotatum. (*c*) Eodem Anno videlicet, quo nova Regina *Boemiam* venit, prefatus Dominus Epiſcopus videns quod pauci vigiliam *Epipbanie* Domini & vigiliam ſancti (*d*) tenerent, & hoc infringendo incidebant in ſententiam excommunicationis & animarum pericula incurrebant, quam tulerant ſui anteceſſores, ipſe vero eandem miſericorditer ſuſtulit & gratioſe, providendo ſaluti animarum.

Quomodo Ludvicus Bavarus venit in auxilium Ducibus Auſtrie contra Regem Boemie.

Eodem anno in feſto beati *Jacobi* rumor terruit incolas Regni *Boemie*, cujus veritatem rei exitus comprobavit; *Ludvicus Bavarus* ab eccleſia reprobatus, terram *Henrici* Ducis *Bavarie* ſubintravit, quam hoſtiliter impugnavit. Quo audito Rex *Boemie*, qui tunc erat in metis *Auſtrie*, quaſi leo rapiens & rugiens velocibus greſſibus cum paucis transiens in ſubſidium venit Ducis predicti, quem totus exercitus ſuus in brevi fuit ſecutus & in campeſtribus ſatis tutis ſua tentoria fixit. *Ludvicus* vero cum quinque milibus & quingentis viris, in quorum capitibus criſtate galee emicabant, & cum gravi multitudine aliorum, quibus clipei, lancee, ſagitte & fortes gladii pugnandi audaciam miniſtrabant, circa monaſterium *Aldyrsbach* ſe locavit in prato magno, ad prelium ſe & ſuos aptando, & qu'a inter ambos exercitus non fuit via, longa fuerunt ibi cottidie particularia bella, iſte capitur, ille ceditur, alter deji-

ci-

(*b*) Supple: *Altare S. Silveſtri*, de cujus altaris transpoſitione peculiare Caput eſt numero IV. in Codice Metropolitano. (*c*) Fuſiſſime mox dicto Capite Franciſcus in prima ſua editione enarravit dotationem hujus altaris, donationesque eidem a Joanne Epiſcopo factas; quibus ejusdem laudes de miſericordiæ operibus, deque magno diſcretionis ſpiritu ſubjunxit, quæ omnia in exemplari Viennenſi deſiderantur, veroſimillime ab authore ex cauſis politicis novi mutatique Mæcenatis omiſſa. (*d*) Supple: *Viti*.

citur, alter vulneratur, nocte & die non ceſſant a certamine, & a lite. (e) Duces autem *Auſtrie* ad *Ludvicum Bavarum* venerunt, & ipſum ad prelium inſtantiſſime provocabant. Rex vero *Boemie* cum ſuo genero Duce Bavarie (f) IV. milia, & quadringentos electos viros armis & galeis inſignitos in exercitu habuerunt, & licet minor eſſet numero, tamen major animo videbatur. Cumque hi duo exercitus validi parvo ſpatio ſeggregati diebus XII. erectis vexillis quaſi pugnaturi cottidie jacuiſſent; Ecce die XIII. *Ludvicus Bavarus* ad inſtantiam *Ottonis* Ducis *Auſtrie* cum toto exercitu caſtra movit, & per *Pataviam* deſcendens verſus *Lynzam* pervenit. Rex autem *Boemie* poſtea cum ſua acie una die immobilis ſtetit, donec videret, quo ſe converteret *Ludvicus*, audiens vero, quod contra *Boemiam* procedere vellet, ad Regnum ſuum revertitur cum feſtinatione. Unde *Bavarus* cum ſuo exercitu plus victus quam victor in terram ſuam eſt reverſus, quo abeunte Duces *Auſtrie* a Rege *Boemie* concordiam queſiverunt, quam divino afflante ſpiritu amicabiliter pridie Nonas *Septembris* invenerunt. Et licet dicti Principes bellum campeſtre non commiſerunt, verum tamen in bonis Domini Epiſcopi, Prælatorum, Clericorum, Religioſorum & multorum aliorum in exitu & reditu dampna plurima intulerunt, teſtantur hoc plura monaſteria, que fere usque ad ultimum exterminium ſunt deducta. Rex vero *Pragam* veniens pecunias multas more conſueto colligit, cum quibusdam militibus, ſtipendia ſua ſolvit, & alias extra regnum transmittit. Et quia ad Regem *Ungarie* prefati Principes recurſum habuerunt, unde inter ipſos hanc fecit ordinationem, ut ad Duces *Auſtrie* titulus *Auſtrie*, (g) & ad *Johannem* filium Regis *Boemie Tyrolis* Dominum Comitia debeant pertinere. Eodem anno Rex *Boemie* ſub pretextu cujusdam utilitatis (h) Opus magnum & multum commendabile pro ſarcofago & ornamento ſepulchri Sancti *Wenceslai* Martiris in Caſtro Pragenſi multis laboribus inchoatum & aptatum intercipit, & impedit, ipſe namque Rex immemor ſalutis anime ymagines Apoſtolorum magnas & ſumptuoſas, & aliorum ſanctorum ex argento multum artificabiliter jam deductas ſpoliat, etiam

(e) Totum hoc caput rurſum mutuatus eſt Franciſcus ex Chronici Aulæ Regiæ capite tertio pag. 492. & ſeq. ubi eadem multo luculentius enarrata reperturus es. (f) *Henrico.* (g) Hallucinatio eſt ſcribæ: *Karinthie.* (h) Petrus Abbas dicit *pretextu neceſſitatis extreme.*

Eccleſiam (*i*) rapit, & tollit, & ſuis creditoribus obligavit, & eas amplius non liberavit, unde ipſe non dilexit honorem Patroni celeſtis tanquam verus terreſtris Patronus. Sed hoc egit malo ſpiritu ductus, & tanquam tyrranus. (*k*) Ad predictas quoque ymagines Dominus Marchio (*Carolus*) de ſuo fiſco contulit marcas ducentas tanquam amator viri celeſtis & ſancti Patroni, & ſancte Eccleſie pragenſis, aliam vero majorem partem totum Regnum ſub forma queſtionaria & petitoria comportavit.

Qualiter Johannes Rex Boemie Pruſſiam ſecunda vice venit, & de Coronatione nove Regine.

Anno Domini M. CCC. XXXVII. Rex *Boemie* mitigata cum Ducibus *Auſtrie* diſcordia dampnoſa de *Praga* cum ſuo filio primogenito exiens *Wratislaviam* venit, ubi a populo peccunia magna graviter extorta & recepta, & copioſa Principum & nobilium multitudine de diverſis terris congregata cum directione *Fratrum* & *Sororum* (*l*) *de domo Theutonica* in *Pruſſiam* proceſſit contra *Litwanos* viriliter pugnaturus: Et quia hiemalis lenitas non permiſit aquas congelari, & paludes, igitur fruſtrati ſpe belli ex aeris qualitate non magna adepta utilitate ad propria redierunt. Verum tamen *Henricus* Dux *Bavarie* gener Regis cum aminiculo Principum aliorum inimicorum bona cum foſſatis in terminis paganorum potenter conſtruxit, in qua milites, & viros ſtrenuos ad duos annos preparatis neceſſariis collocavit, (*m*) ut ipſos frequenter infeſtarent, & in futuro *Chriſtianis* venientibus aditum pre-

pa-

(*i*) Hæ duæ voces ſuperfluæ merito abſunt in Chronico Aulæ Regiæ. (*k*) Mirandum Franciſcum hæc tanta audacia ſcripſiſſe ad filium. (*l*) Voce *Sororum* caret Chron. Aulæ Regiæ, ex quo hæc Franciſcus excerpſit, certum tamen eſt, quemadmodum Melitenſes ſeu ordinem S. Joannis Hieroſolymitani, ita quoque Ordinem Teutonicum ſuas ſorores ſeu moniales habuiſſe peculiaribus parthenonibus habitantes. (*m*) Ita quidem Codex, ſed ex Petro Abbate ita reſtituendus locus: *Cum aliorum Principum adminiculo fortalitium in terminis Lytwanorum foſſatis & edificiis bene munitum potenter conſtruxit.* Et quanquam cetera omnia hujus Capitis Franciſcus ex Chronici Aulæ Regiæ c. 14. pag. 494. & ſeqq. excerpſerit, quia tamen quædam nonnihil aliter enarravit, quædam adjecit, ideirco hic totum ejus verbis tranſcribimus, præſertim ut manifeſtum fiat cum rurſus, quæ ad monaſterium Aulæ Regiæ & Sedli-

pararent. Reverſus vero Rex paſſus eſt oculorum defectum, querens auxilium medicorum, ab uno *Gallico*, & altero de *Arabia* pagano eſt per medicinas eorum excecatus, *Gallicus* fuit inſaccatus & ſubmerſus, alteri idem factum fuiſſet, ſed per Regem prius fuit aſſecuratus. Hoc anno XIII. Calendas Martii lune fuit ecclipſis, eodem tempore *Beatrix* nova Regina *Prage* peperit filium ſuum primogenitum & baptiſatus fuit *Wenceslaus* vocatus, & multi prefatam Reginam non diligebant. Et eodem Anno XV. Calendis *Julii* dicta Regina in eccleſia *Pragenſi* a prefato Domino *Johanne* Epiſcopo ejusdem eccleſie cum tanta celebri ſolempnitate, ſicut in coronationibus fieri conſuevit, corona Regni *Boemie* coronatur, ſine corona & absque regalibus ornamentis Rege in divinis aſſiſtente. Subſequitur poſt hoc officium *Prage* convivium ſumptibus moderatum, & omnis populus plus letatur de hujus Regine receſſu, quam ejus adventu; Nam in ipſius preſentia aliquotiens civitas *Pragenſis* in partibus diverſis fuit concremata, & alia multa adverſa fuerunt perpetrata, que propter dictam Reginam facta fuiſſe omnia aſſerebant; unde in receſſu ipſius poſt ipſam clamantes eam maledicebant, & omnes plus ſalutem & proſpera optantes Domine *Blanche* Marchioniſſe. Et quia dicit auctoritas: qui ſibi nequam, cui bonus, ipſe Rex in malicia radicatus & falſa opinione deceptus, ne primogenitus filius ſuus (*Carolus*) ipſum in regno impediret, pluries ipſum miſit contra paganos & contra alios Principes ſibi adverſantes pugnaturum, favens ſibi de vita ſicut quondam Rex *David Urie*, (*n*) & quia Dominus Marchio nil penitus de peccunia prohibente patre de regno *Boemie* percepit, ſolo ſine re titulo fretus, & cogitur a *Venetiis*, & ab aliis civitatibus *Lombardie* ſtipendiis (*o*) recipere militaria, & ſibi ſueque familie, & ex hoc de neceſſitatibus providere. Et licet paterna caruerit promotione, tamen ab aliis munera copioſa obtinuit tam temporalis quam ſpiritualis benedictionis in tantum, quod omnis, qui eum noſcit, natio benedicat. Pater vero ejus propter plurima acta nepharia maledictionem incurrebat. Eodem Anno menſe *Julio* ſtella comata, que dicitur cometa

dlicenſe pertinent, prætermiſiſſe. Ceterum in Codice Metrop. omnes iſtæ memoriæ deſiderantur.

(*n*) Magna rurſum confidentia hæc ſcripſit Franciſcus, quæ vivente Joanne nunquam auſus fuiſſet, modeſtius hæc exaggerat Abbas Aulæ Regiæ p. 496. (*o*) Corrige ex Petro Abbate: *ſtipendia*.

in plaga *septemptrionali* prope polum apparuit *arcticum*, (p) que plus quam per menſem duravit, quam ſtellam preceſſerat ſiccitas & calliditas deſtruens fere omnes ſegetes & herbas, ſubſequitur quoque inopia bladi, & vini in multis terris. Eodem tempore *Philippus* Rex *Francie* nunciis, & literis bellum futurum adverſus Regem *Anglie* Regi *Boemie* intimavit, aſſerens de ipſius preſentia plurimum indigere, qui prius cum *Ludvico Bavaro* tribus diebus colloquio habito ad Regem *Francie* pervenit, cum eo contra predictum Regem pugnaturus. *Ludvicus* vero *Bavarus* Regi *Anglie* auxilium propoſuit offerre, unde in tota *Franconia* & in terris adjacentibus gens contra gentem ſurrexit. *Benedictus* vero Papa miſit a latere duos Cardinales, ut inter predictos Reges concordiam ordinarent. His temporibus propter grave & intollerabile jugum, quod Rex *Boemie* propter frequentes exactiones civitatibus & monaſteriis prius impoſuit, & abſens imponere non deſiſtit, religioſorum ac civium univerſorum viluit, & deſtructus eſt ſtatus, & fere usque ad ultimum exterminium pervenit.

De Miraculo, quod circa corpus Chriſti acciderat. (q)

Anno Domini M. CCC. XXXVIII. *Prage* accidit miraculum, nam cum eccleſia beati *Andree* Apoſtoli totaliter fuiſſet cremata, ſacroſancta hoſtia Corporis Dominici cum pixide, & cum pannis annexis nuſta, & illeſa permanſit. (r) Eodem anno prope villam *Pnyewycz*, que eſt circa montes (s) ſita, quidam mercator membra dans quieti ſub arborem juxta fontem expoſuit quandam tabulam armis Dominice Paſſionis inſignitam, ipſam inſtituens ad devotionem, ſuper quam de ipſa arbore cecidit ſacra hoſtia in tribus locis transfixa ſanguine rubricata, qui ter-

ro-

(p) Teſtimonium Petri Abbatis: *mihi & aliis viſa* cate ſuppreſſit author. (q) Hic titulus minio, uti alii Capitulorum tituli, ſcriptus non eſt adnotatus in Indice Capitulorum huic libro præmiſſo, qui igitur ad Capitulum præcedens ſpectare videtur. (r) His paucis verbis abſolvit Franciſcus prolixam narrationem, quam Petrus Abbas de ejusdem eccleſiæ exuſtione, ſervatæ ſacræ hoſtiæ miraculo, ejusdem eccleſiæ per ipſum Petrum Abbatem reſtauratione facta, denique nova dedicatione copioſe perſequitur, & qua narratione finis imponitur Chronico Aulæ Regiæ, ita ut cetera omnia, quæ poſthac ſequuntur, proprius partus ſint Franciſci Chronicon Aulæ Regiæ continuantis, cujus ob cauſam a poſteritate meretur gratam vicem. (s) Scilicet *Cuthnenſes*,

rore concuſſus, adhibita cuſtodia ſuis rebus, hoc plebano ville prefate illico nunciavit, qui veniens ſuper corporale hanc cum reverencia locavit. Et cum eſſet ad Eccleſiam translata, divina clementia plura miracula ibidem eſt operata, fuitque magnus de *Praga* & de aliis civitatibus concurſus populorum, de quibus duo duxi memorie commemoranda. Mulier quedam fuit langvida, & muta per ſpatium novem annorum, & ibidem ad corpus Domini adducta mox priſtine ſanitati fuit reſtituta, uſumque loquele recuperavit. Et homo quidam in rota volubili fuit contritus, & in ſingulis membris confractus, ejusque oculi de propria ſede extiterant evulſi, caputque ejus totaliter magno clavo ferreo crucifixum, & allatus ad corpus Dominicum omni leſione procul mota priſtinam valetudinem perfecte recuperat. Et in civitate *Curimenſi* eodem tempore corpus *Chriſti* fuit revelatum a perfidis *Judeis*, verberibus concuſſum, & cruentatum, unde miſeri *Judei* in regno *Boemie*, & in aliis terris, ferro & igne variisque modis fuerunt interempti, & mirum eſt, quod de corporibus eorum, dum vulnerarentur, aut mutilarentur, ſanguis non emanavit. Eodem Anno in civitate *Pulcka* etiam fuit inventum corpus *Chriſti* cruciatum, veniens quoque Epiſcopus *Patavienſis*, in cujus erat dieceſi, propter majorem cautelam a tergo circa hoſtiam inventam, aliam hoſtiam conſecratam apponi mandavit, timens ne populus ydololatrie committeret crimen. Multa quoque miracula per Salvatoris noſtri clementiam ibidem oſtenſa ſunt, & de largiſſimis oblationibus fidelium, eccleſia in honore Corporis Domini ibidem decenter extitit fabricata. Eodem Anno, in vigilia Translationis Sancti *Wenceslai*, creator omnium Deus, propter merita Beati Wenceslai miraculum in civitate *Pragenſi* ad ſui gloriam oſtendere eſt dignatus. Nam cum quidam viri in arte mechanica (*t*) eruditi inter ſe conferrent, quod feſtum translationis ſancti *Wenceslai* eſſet celebrandum, quidam vero (*u*) ex ipſis ait, quod illius Ruſtici feſtum nollent celebrare, adjungens varia enormia, que quaſi blaſphemiam ſapiebant, qui mox mutus eſt effectus, in aliisque ſenſibus exſtitit ebetatus, conſortes vero ſui in craſtino ipſum ad ſepulchrum ſancti prefati ipſi adduxerunt, ipſum in modum

ſes, ut Beneſſius de Weitmühle explicat p. 274. qui hæc tria miracula cum ſequentibus hujus anni compendio dat.

(*t*) Beneſſius nominatim ait *baliſtariorum*. (*u*) Idem di[illegible]*icum* ſeu germanum fuiſſe.

dum crucis proſtraverunt, precesque pro eo fundentes, & oblationes offerentes. Cumque caput Sancti *Wenceslai* allatum ſuper caput ipſius poſitum fuiſſet, mox vocem magnam emiſit, ac ſi gravi vulnere foret ſauciatus, & illico priſtine ſanitati & loquelę fuit reſtitutus, gratias agens Deo ſuo, & ſuo Martiri glorioſo, reatumque ſuum coram omnibus confeſſus, veram penitentiam pro delicto prefato. (*x*) Deinceps *Theutonici* patronum noſtrum in majori reverentia habuerunt, nam prefatus vir de eorum propagine fuit oriundus. Eodem Anno locuſte venerunt *Boemiam* magne quantitatis, & mirabilis diſpoſitionis quaſi in nubilo nivis, alique dum volarent condenſe valde & copioſe quidem, propter interpoſitionem ipſarum non poterant videri radii ſolares, & propter magnum fragorem & ſonitum ipſarum unus alterum non valuit audire loquentes, nec potuit percipi ſonus campanarum, & ubicunque cecide-runt, nec ſemina, nec fructus, nec fenum, nec gramina, nec aliqua hujusmodi terre naſcentia remanſerunt, ſed omnia conſumpſerunt, & ita ſpiſſe tunc in campis ſituabantur, quod in aliquibus locis usque ad genua equorum extendebantur, unde in multis locis *Boemiam*, *Moraviam*, *Ungariam*, & alias terras vicinas devaſtaverunt. Et volucres multe & varie propter formidinem locuſtarum predictarum in cavernis petrarum, & in abditis locis montium, & ſilvarum ſe abſcondentes fame interie-runt, & peſtifere erant, & venenoſe, quod porci, vel canes, vel alie beſtie ipſas devorantes, ſi non ſtatim limpham hauſerunt, vita priva-bantur, univerſus quoque Clerus, & populus *Pragenſis* cum reliquiis, & vexillis proceſſiones faciebant pro adverſitate dicta finienda, Dei cle-mentiam exorabant. Dein cum prefate locuſte ad pragenſem civitatem appropinquarent ſubito corvi, cornices, monedule, pice, ac alie aves diverſe repente congregate, mirandum dictu, cum maximo impetu re-pulerunt, que quidem locuſte magna dampna in diverſis regnis facien-tes ad *Renum*, & ultra pervenerunt.

De Eccliſi ſolis horis veſperarum in craſtino octave Petri & Pauli.

Anno Domini M. CCC. XXXIX. ſol fuit eclipſatus circa horam veſpertinam in craſtino octave *Petri*, & *Pauli* Apoſtolorum, & quia in

(*x*) Supple: *egit*.

in Chronicis publicis quoque fit mencio de ecclipſi ſolis, idcirco indicanda eſt cauſa ipſius, cauſatur autem ex interpoſitione lune inter viſum noſtrum, & corpus ſolis, & hoc fit, quando conjunguntur luminaria ſuper una linea diametrali producta a centro viſus noſtri per centra luminarium, vel juxta centrum luminarium prope terminum XII. graduum diſtantie centri linie *agenzabar*. Omnis ecclipſis vero lune cauſatur ex interpoſitione corporis terre ſuper una linea diametrali transeunte per centra ſolis, terre, & lune, & hoc fit, quando luna eſt in plenilunio exiſtente ipſa in diſtantia *Agenzabar*, vel cum graditur infra XII. gradus, que tunc attingit umbram terre, vel ejus aliqualem partem, & ſecundum hanc in quantitate obſcuratur. Verum tamen ecclipſis ſolis, vel lune in diverſis climatibus ſecundum magis, vel minus apparet. Unde Anno Domini M. CCC. XXIII. in die Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* hora tercia in *Boemia*, & in terris vicinis fuit ecclipſis ſolis, ſed tunc me exiſtente *Rome* nullum ſignum apparuit ecclipſis prefate. Porro ſol eſt quartus in ordine planetarum, ſub ſe habet *lunam*, *Mercurium*, & *Venerem*, ſuperius eſt *Mars*, *Jovis*, & *Saturnus*. Omnibus ſtellis & planetis eſt major in quantitate & virtute. Nam occies major dicitur eſſe tota terra, omnia ſydera illuminans, & habens cum ipſis principale dominium in generatione rerum inferiorum, duo enim requiruntur ad generationem, calor ſicut formale, humor ſicut materiale. Soli attribuitur dominium caloris, lune vero dominium humorum. Propter miram ergo horum celeſtium corporum pulchritudinem, & inenarrabilem effectus plenitudinem merito eſt in eis Deus laudandus, & benedicendus. Et nulla creatura corporalis ita expreſſe gerit veſtigium *Sanctæ Trinitatis*, ſicut ſol, nam corpus ſolare eſt gignens radium, & ab utroque procedit calor. Sic Pater genuit filium, & ab utroque procedit Spiritus Sanctus, qui eſt fons luminis & caloris corporalis, virtute ſua omnia vivificat, & omnibus rebus corporalibus ſpeciem atque formam adminiſtrat; Eſt enim ſol, ut ait quidam Doctor, oculus mundi, jucunditas diei, pulchritudo celi, decor ſiderum, menſura temporis, virtus & vigor omnium naſcentium, dominus planetarum, pater gemmarum, nec non cunctorum metallorum, ipſe enim in medio ſignifl. (y), ra-

(y) Ita vox hæc ſcripta, quid vero notet; conſequi haud poſſum, niſi dicamus: *igniſluos* legendam eſſe.

radios ex ſe mittit, qui ſuperiora, & inferiora ſecundum variam radiorum ipſorum impreſſionem illuſtrat, virtute quoque radiorum ipſius ſtelle erratice, nunc retrograde, nunc ſtationarie efficiuntur. Nunc in motu virtute ſolari celeriores efficiuntur, nunc vero retardantur. Aſcendendo verſus noſtrum orizontem dies efficit longiores, per os terre apperit germina, vel fructus, vel ſemina producit, & ſua ſubtilitate interiora penetrans vitam & ſpiritum diverſis rebus tribuit, & virtutes animalium fortiores efficiuntur, & homini omnique viventium augmentantur; deſcendendo vero per circulos auſtrales dies facit breviores, & omnia abſentia minorem vigorem habere reperiuntur. Secundum hujus elongationem, vel appropinquationem faciei, & corpora animalium, in calore, & vigore diſponuntur. Luna vero eſt decor noctis, mater roris, miniſtra humoris, dominatrix maris, menſura temporis, emula ſolis, mutatrix aeris, lumen a ſole mutuans, & ab ipſo prope, vel longe exiſtens ſortitur figure qualitatem, in quibus divina virtus nobis manifeſtatur, & ſic magnitudinem, & potentiam creatoris in natura, & effectu eorum perpendentes ipſum benedicamus jugiter, & laudemus. (z)

De magno Exercitu & conflictu Chriſtianorum cum Paganis. (a)

Anno Domini M. CCC. XL. Rex *Caſtelle*, Rex *Navarre*, Rex *Maioritarum* (*b*) & alii duo Reges a Domino Apoſtolico per ſuos ambaſſatores contra Paganos Crucem obtinuerunt, qua obtenta pugnaturi contra ipſos ſe viriliter & potenter aptaverunt, (*c*) mandantes, ut Chriſtiani de civitatibus, oppidis, & villis fugerent (*d*) procul mota omni dilatione. Nam Rex potentiſſimus paganorum cum maxima multitudine pugnatorum ad littus maris cum uxoribus & pueris appropinquabat, & ipſi Reges introitum ei non prohibuerunt. Cum ergo eſſent in terra Chriſtianorum, & exercitus eorum fuiſſent fere ad XX. miliaria in lon-

(z) Beneſſius p. 276. pene tribus verbis hanc integram Franciſci eccly pſis ſolaris & lunaris deductionem abſolvit. (*a*) Hoc Caput in Codice Metropolitano numero quintum eſt. Beneſſius vero illud ſummo rurſum quatuor linearum compendio ſtrinxit. (*b*) C. M. *Majoricarum*. (*c*) Idem *præparavernnt*. (*d*) Idem *recederent*.

longitudine dilatati, in latitudine bene ad quatuor milliaria (*e*) ſituati. RegesChriſtianorum prefati antrorſum & retrorſum, ad aliasque differentias locorum divino auxilio invocato ipſos audacter invaſerunt, & poſt duriſſimum, & prolixum prelium victoriam divina opitulante (*f*) clementia obtinuerunt, porro de paganis trecenta millia, & ultra ſunt occiſa, preter illos, qui in mari, & in fluminibus fugientes ſunt ſubmerſi, quorum ingens numerus ignoratur. Rex vero paganorum cum paucis evaſit, ſed Regina cum duobus filiis, & magna familia Domino Pape ſunt preſentati. De multis millibus interemptis aurei annuli ſunt recepti de manibus eorum, qui fuerant precincti baltheo militari. Et quod hec victoria extiterit miraculoſe, ex hoc perpenditur, nam quadraginta de paganis eſtimabantur ſuper (*g*) Chriſtianum; Hujus rei gratia Dominus Papa cum tota curia romana cum gratiarum actione pſallens gaudet, gratulatur, Deus vero (*h*) adoratur, populusque jocundatur. Rex vero *Francie*, Rex *Anglie*, (*i*) Rex *Boemie*, cum aliis Principibus, qui huic bello non poterant intereſſe propter inopinatam infidelium accelerationem, celeremque felicem conſummationem, toto cordis affectu victorioſo triumpho congaudebant, (k) cauſa autem hec fuiſſe fertur adventus Paganorum: Rex victus prefatus, & Rex *Tartarorum* Chriſtianorum terras obtinere decreverunt cecitate cordis, & perſuaſione inducti ſpirituum malignorum. Porro victus Rex primo ab occidente Chriſtianos invaſit, volens ſummi Pontificis, & Regis Francie terras poſſidere. Rex vero *Tartarorum* ab oriente partem Regni *Polonie* occupat, de quo in ſequentibus plenius dicetur. Et primus extitit victus, alter fame & frigore receſſit compulſus, & hec ſunt acta divina gratia ſuffragante. (*l*) Eodem anno Rex *Boemie* (*m*) totaliter fuit virtute vitiva privatus, qui quidem interiori & exteriori homine extitit excecatus, quia licet ſic adeo fuiſſet plagatus, tamen non deſiit acta iniqua operari, nam ſicut leopardus non deſerit colorum varietatem, ſic difficulter peccator peccati conſuetudinem relinquit, que efficitur quaſi altera

(*e*) C. M. addit: *dilatati etiam &.* (*f*) Idem *gratia ſimul & clementia Chriſtiani.* (*g*) *Exiſtimabantur ſuper unum.* Idem. (*h*) Idem *verus* minus recte. (*i*) Hæ duæ voces deſiderantur in C. M. (*k*) Idem: *fidelibus congaudebant, Deo grates referentes.* (*l*) Idem addit: *de quo ipſe Deus glorificetur.* (*m*) Quæ ſequuntur usque ad finem hujus Capitis deſiderantur in Cod. Met. quibus quidem Author Carolo IV. blandiri conatus, an tamen hæc pientiſſimo huic Principi maculas & vulnera patriæ ſuæ detegentia placuerint, multum dubito.

natura, a qua cum reſurgere nititur, peccatorum pondere prorſus cadit iterum coactus, & ſic prave conſuetudines cum peccatis niſi vita finiuntur. Et per hoc ſpiritualis liquet cecitas interioris hominis dicti Regis. Nam pluries viſus eſt inducere filium ſuum primogenitum ad opera nepharia, & iniqua, & quia erat variis imbutus virtutibus, ei nequaquam voluit aſſenſum prebere, quam ob rem ipſum multipharie afflixit increpando, maledicendo, perſequendo, magnis debitis obligando, demum morti exponendo, nam crebrius ipſum ad diverſas terras direxit ad bellandum contra fortiſſimos inimicos, intendens hanc Regni *Boemie* extinquere lucernam ſpecioſam, & hunc generoſiſſimum florem juventutis ſuffocare, quem miſericors Deus de periculis eruit graviſſimis per ſuam immenſam pietatem.

De adventu Tartarorum contra Chriſtianos, & de obitu Domine Margarete filie Regis Boemie. (n)

Anno Domini M. CCC. XLI. *Tartari* in maxima multitudine & fortitudine *Poloniam* intraverunt, ipſamque nimium devaſtaverunt, fertur quoque hac cauſa eorum adventus fuiſſe, quia Rex eorum cum alio Rege condixerat ad invadendum Chriſtianos, qui precedenti anno extiterat devictus, (o) alia cauſa eſt, propter terram *Rutenorum*, quam pridem debellaverat, & devaſtaverat Rex *Polonie* propter Ducem terre prefate, qui erat de ipſius proſapia oriundus, (p) quem intoxicatum nobiles dicte terre (q) morti tradiderunt, qui quidem Dux zelo ductus fidei orthodoxe accerſiri juſſit fidei katholice ſacerdotes, & de diverſis terris in ſacra Scriptura (r) viros eruditos volens germen vere fidei, & vineam Domini Sabaoth plantare, & exſtirpare ſciſmaticum errorem *Rutenorum*, qui nolentes (s) relinquere ſectam eorum Ducem veneno necantes, Chriſtianos ferro, igne, aqua, aliisque modis variis extinxerunt, (t) porro Rex *Polonie* (u) in adventu eorum magna cura & ingen-

(n) Caput iſtud in Cod. Met. obtinet Capitis ſexti locum, quod rurſum pauciſſimis expedivit Beneſſius. (o) Hæc cauſa deſideratur in C. M. (p) Idem: *qui exſtitit ei in linea conſanguinitatis aſtrictus.* (q) Hæ tres voces deſiderantur in C. M. (r) Idem: *in Theologia.* (s) *Dolentes.* (t) C. M. addit: *Hanc ob cauſam Rex Polonie ſumpſeras de hiis ultionem, Tartari vero advenientes reddiderunt talionem.* (u) Idem: *Caſimir.*

genti pavore perplexus inſtantiſſime a regibus & principibus vicinis (*x*) auxilium poſtulat, aſſerens, ſe fortitudini, & multitudini eorum reſiſtere non poſſe, nec per Regnum ſuum ipſis tranſitum prohibere ad alias terras Chriſtianorum. Hujus rei gratia multi fideles armis muniti contra eos pugnaturi (*y*) *Poloniam* turmatim proceſſerunt. Nam ex mandato Domini Apoſtolici in (*z*) univerſis Regnis predicabatur: Chriſtianorum qui crucem aſſumeret contra *Paganos*, vel pro ſe alium cum ſuis provideret ſumptibus, peccatorum maximam indulgentiam conſequerentur, & in futuro eternam retributionem. Porro (*a*) cum Reges & Principes cum ſuis invadere cupientes ipſos Paganos (*b*) non defuit divina clementia ſuos fideles non deſerens in ſe ſperantes, nam frigus grande, nives magne ipſos opprimentes, & ſuffocantes, nimium gravaverunt, quod metationes caſtrorum, & cuncta domicilia eorum operuerunt, quod vix equi & jumenta eorum ſurſum capitibus erectis reſpirare potuerant, famesque maxima fuit ſecuta, & principaliter timore, & terrore concuſſi divino, ad proprias ſunt reverſi manſiones. Porro Chriſtiani gratias Deo agentes ad terras proprias remeantes in pace permanſerunt, verum tamen *Tartari* multa millia Chriſtianorum ſecum deduxerunt.

Eodem anno Domina *Margaretha* filia Regis, jam marito ſuo Duce *Bavarie* viduata & filio unigenito de hac vita ſublato venit *Pragam* ſequenti die Dominica poſt Salvatoris noſtri Aſcenſionem, que cum magna ſolempnitate ab univerſo Clero, & a populo honorifice eſt ſuſcepta, & illico fit tractatus inter Regem *Polonie*, & ipſam de matrimonio contrahendo. Poſtquam vero de hoc inter ipſum, & Regem *Boemie* finaliter eſſet compromiſſum & concordatum, ipſa inclita Domina *Margaretha* egritudine exſtitit gravata, venitque *Pragam* ſponſus ejus Rex *Polonie* decenti, & multa militia ſtipatus, & paratus ad celebrandam nuptiarum ſollempnitatem. Adduxerat, namque ſue ſponſe pretioſa & exquiſita veſtimenta regalia, & ornamenta cum variis jocalibus, volens

(*x*) *A Regibus Ungarie & Boemie.* Idem. (*y*) Idem. *turmatim.* (*z*) *In regno Boemie & in aliis regnis.* (*a*) Quotiescunque noſtrum exemplar ſub initium orationis habet vocem porro, C. Met. ſubſtituit *unde.* (*b*) Crebrius Franciſcus in hac ſecunda Chronici ſui accuratione minime ſe prioris verbis alligare viſus, ſed phraſim pro arbitrio mutavit.

eidem ipſius benevolentiam captare ſpecialiter complacendo. (*c*) Porro Rex *Polonie* cum ſuis letus extitit, & jocundus ſperans ſponſam ſuam divina gratia ſanitati recuperari, & cauſa opitulamine auxilioque Medicorum. (*d*) Facta ſunt autem *Prage* his diebus multa haſtiludia, & diverſa exercitia militaria cum ingenti letitia & jocunditate, ſponſus vero Rex *Polonie* magnam liberalitatem inſinuat, namque quicunque *Pragenſis* civitatis incola, ſive advena, quociescunque voluit, ſuam menſam acceſſit excluſo potu quidem vinum latinum (*e*) omnibus commeſtibilibus large & jocunde miniſtratur. Et hoc convivium ultra ſpacium trium menſium duravit. Porro cum Rex *Boemie* adverteret ſponſam plus & plus debilitari, quam affectu magno proſequebatur, ſupplicavit Venerabili Patri Domino *Joanni* Epiſcopo *Pragenſi*, ut mandaret univerſo populo, quatenus preces offerrent pro ſue filie ſalute. Hujus rei gratia facte ſunt proceſſiones cum reliquiis & vexillis a Secularibus, & Religioſis ſingulis diebus infra tempus duarum hebdomadarum, quibus Reges ambo in humili habitu jugiter interfuerunt, directe ſunt preces ab univerſis pro ipſius convaleſcentia cum oblationibus hoſtiarum, ſed peccata paterna hanc impediverunt. Unde die tertia ante feſtum ſancte *Margarethe* ille regalis flos clariſſimi germinis exaruit, decidit, & deceſſit. Et quia, ut ait ſapiens, extrema hujus gaudii luctus occupat, unde converſum eſt gaudium nuptiarum in planctum exequiarum, letitia vertitur in merorem, riſus, jocunditas in lacrimarum reſolutionem, quia exſiccata eſt roſa feminei decoris, cecidit lilium nivei pudoris, arruit (*f*) viola laudabilis humilitatis. Planxit autem ipſam utriusque ſexus multitudo, quia erat cunctis affectabilis, & gratioſa referta virtutibus, & decorata, & per ipſam Regnum *Polonie* unitum fuiſſet regno *Boemie*, quod quidem per paternam avaritiam exſtiterat ſeparatum, & ſtirps regie *Boemie* gentis per ipſam, & ex ipſa, & in ipſa fuiſſet feliciter propagata. Sepulta eſt autem in Aula regia juxta ſarcophagum maternum in die Sancte *Margarethe* illa laudabilis *Margaretha*. *Poſt hec*

(*c*) C. M. paucis: *voleus ei per hoc ſpecialiter placere.* (*d*) Ita perobſcure Codex noſter. Metropolitanus breviter: *ipſam ſperans divina gratia ſanari & opitulamine medicorum.* (*e*) Rectius C. M. *& vinum omnibus latinum in omnibus neceſſariis large miniſtratur.* Per vinum autem *latinum* intelligitur *Italicum*, & primæ notæ. (*f*) C. M. *emarcuit.*

hec ſunt gentes, ipſam non modice flentes - - Moribus ornata, virtutibus intitulata. (g) Eodem anno Rex *Boemie* fundavit monaſterium in honorem beate virginis *Marie* prope minorem civitatem *Pragenſem*, & locavit ibi fratres *Cartuſienſes*, qui in regno *Boemie* prius non fuerunt. Eodem anno *Prage* ad S. Clementem heretici interfecerunt in conſiſtorio hereticorum de Polonia ordinis *Predicatorum* virum valentem, & Clericum excellentem, qui ipſo die de nocte miſſam officiaverat, & optime predicaverat, & Rex ipſum aſſecuraverat ſic feliciter de hoc ſeculo nequam migravit. (*h*)

De vaticinio Aſtrologorum, & de ruina pontis pragenſis. (*i*)

Anno Domini M. CCC. XLII. nova venerunt ab aſtronomis, qui ſunt *Pariſiis*, & in monte *Peſſolano*, que in his verſibus continentur: *Per motus ſyderum ſemper variatio verum, - - Accidit in mundo, de quo nunc indicium do. - - Anno Milleno tria C. quarto quadrageno, - - Nonas Novembris fit eccliplis denique ſolis - - Hora mox prima, quod noſtrum maxime clima - - Turbabit, mala multa dabit, fama*(k) *debilitabit - - Et venient multa poſt hec mundo nocitura, - - Nam tunc regnabit Saturnus, & hec agitabit, - - His dictis multi non credunt, ſed quaſi ſtulti - - Leti nunc vivunt, qui tunc fame forte peribunt, - - Sed valet iſta Deus, ſi vult avertere ſolus, - - Mundo nocere poterit, terra neque polus, qui hoc calice ſibi prejudicat tamen* (*l*) *ante.* Iſta tamen dicta non ſunt verificata ſicut exitus rei in ſuo tempore comprobavit. Eodem anno

(g) Imitatus Franciſcus leonina carmina, quæ ex Petro Abbate Aulæ Regiæ exſcribere ſolitus. Ad normam illius hoc loco tria ſubjunxit, e quibus tertium in Codice noſtro deſideratur, his verbis in Metropolitano expreſſum: *Ipſam mors perimit, pulchram de medio tollit.* At infelicior ipſo Petro Abbate in re proſodiaca Franciſcus. (*h*) Hæ duæ notitiæ deſiderantur in C. M. Beneſſius tamen meminit breviter & belli Ruthenici, & mortis Margarethæ, denique etiam fundationem Carthuſianorum Pragæ locupletius enarravit, neque poſtremum necem Inquiſitoris hæreticorum prætermiſit. Inſeruit vero longam utilemque narrationem de Ludovici fraudulentia, qui Joannem Ducem Tyrolis fratrem Caroli, uxore & terris privavit. (*i*) Hoc Caput locum ſeptimi & poſtremi in Cod. Metrop. occupat. (*k*) Veroſimiliter legendum *fame.* (*l*) E poſtremo verſu nullum ſenſum elicere fas eſt, præſertim cum notitia hujus eclypſis deſit tam in codice Metrop. quam etiam Beneſſii l. 3. ad h. a.

anno in vigilia Purificationis ſancte *Marie* calido vento auſtrali preambulo, quem pluvia quaſi vernalis fuit ſubſecuta; poſt duriſſimam hyemem, & graviſſimam, in qua multitudo hominum in *Boemia* & in aliis terris nimio frigore fuit extincta, factum eſt grande diluvium per impetum aque nivialis & pluvialis, & propter ingentem molem glaciei & ſpiſſitudinem ruptus eſt pons *Pragenſis* in pluribus locis, quod vix quarta pars de ipſo remanſit, verum tamen aquarum & glaciali impetu concuſſa, & debilitata; & omnia molendina, & obſtacula ſunt deſtructa, pluresque ville circa littora ſite cum hominibus, & ceteris animalibus ſunt abſorbte, & ſuffocate. In toto quoque orbe terrarum tunc temporis fuerunt maxime aquarum inundationes, ita quod (*m*) & pontes lapidei, & lignei ſunt deſtructi. Mare quoque fuit in altum levatum, quod omnes cyſternas *Venetiis*, & in aliis civitatibus mari adjacentibus totaliter ſuffocavit, & plurima dampna cauſavit, & in civitate *Pragenſi* aque longe lateque dampna plurima intulerunt, Cives quoque (*n*) multas, & magnas ſtrues lignorum ad edificia varia diſpoſitorum impetu aquarum perdiderunt. Et quia inopinate, & repente factum eſt diluvium, viſe tunc domus cum hominibus, mollendina cum ſuppellectilibus, infantes cum cunabulis natantes, quibus matres anxie ſuccurrere non valuerunt, viſa ſunt quoque animalia diverſa domeſtica, & varia utenſilia deferri. Porro illa quaſſatione miſerabili mitigata, multa corpora hominum & jumentorum ſubmerſorum ſunt reperta. Et primo homines intellexerunt quod tam grande & arduum bonum perdiderunt, (*o*) nam cum res neceſſaria perditur, primo pretium ejus advertitur, nam quaſi corona regni occidit, cum ille pons famoſus corruit, fitque labor magnus, & periculum in navigando, & meror pauperum naulo carendo. Pons quoque fortiſſimus (*p*) a Venerabili Patre Domino *Johanne* XXVII. Epiſcopo *Pragenſi* in *Rudniz* efficaciter, firmiter, decenterque conſtructus permanſit inviolatus, licet ibi major extitit aquarum concurſus, & gran-

(*m*) C. M. *in aliis terris.* (*n*) Idem: *Pragenſes & Podskalenſes,* (*o*) Iisdem pene, truncatis; tamen verbis reddidit hanc exundationem ad hunc annum Beneſſius p. 279. (*p*) MS. Met. *valentiſſimus.*

grandior de glacie maſſarum impulſus. (q) Verſus ſequitur: *Surgit res mira, grandis validaque ruina - - Pontis Prangenſis per rivum Multavienſis, - - Inſultus cujus mala terre parturit (r) hujus - - Planctus prorupit, ingens dolor intima rupit, - - Ville nam multe perierunt optime culte, - - Domus natabant, homines in eis ululabant, - - Et glacies gentes nudas duxit rugientes.* Eodem anno facta eſt diſcordia inter Ducem *Karinthie* juniorem filium Regis *Boemie*, & inter Duciſſam conthoralem propter ſterilitatem, que aſſeruit ipſum non habere potentiam liberos generandi, ſed ipſa fuit minus juſta in ſua contentione, nam defectus inter conjuges fit quandoque generationis ſempiternus, quandoque ad tempus determinatum, unde viſi ſunt conjuges usque in ſeptimum, octavum, nonum, decimum annum, vel adhuc amplius ſine fetu fuiſſe, qui tamen inpoſterum prole non caruerunt. Porro *Ludvicus* Bavarus predictam intelligens diſſenſionem contra Deum & juſtitiam calide procuravit, quod Duciſſa filio ſuo Marchioni *Brandeburgenſi* matrimonialiter fuit copulata, & in carnis privio ſunt nuptie celebrate.

Eodem anno acceſſit quidam Monachus ordinis Sancti *Benedicti* ad Cardinalem, qui erat Domino Pape quam plurimum familiaris, aſſerens, ſe fore Dei nuntium habentem ad Dominum Apoſtolicum legationem familiarem (s) qui eum ad preſentiam ejus introduxit, qui nuntium Dei conſtanter ſe aſſeverat, revelavitque quedam ſecreta ſoli Deo & Domino Pape cognita, adjiciens ſignum divine revelationis: ipſum Dominum Papam in brevi de hac vita migraturum. Qui ſciſcitans ab eo, ſi poſſet ad ſpatium quatuor, vel trium, vel duorum vivere annorum, qui ait, non, nec ad ſpatium unius anni, ſed tantum ad tres menſes, qui in cuſtodia ipſum includi mandavit, & juxta verbum prefati viri religioſi eſt factum. Nam Dominus Papa Benedictus XII. in die *Marci* de hoc ſeculo ad Dominum migravit. (t) Decemque diebus elap-

(q) Idem addit: *Tunc temporis circa minorem civitatem Pragenſem propter multitudinem arenæ, quæ impetu aquarum exſtitit aggregata, fuit obſtructus aquæ meatus, & amplius molendina ibidem haberi non potuerunt.* (r) Perperam C. M. & editio utraque *patruit.* (s) Idem: *ſpecialem.* (t) C. M. addit: *Venerabilis quoque Pater Dominus Joannes epiſcopus Pragenſis mandavit in ſua eccleſia Pragenſi, & in tota civitate Pragenſi exequias eidem ſolempniter celebrari tertia die poſt feſtum Sanctæ Trinitatis.*

elapsis post ingressum in conclavi die tertia Domini Cardinales elegerunt in Papam Venerabilem Patrem Dominum Petrum Archiepiscopum *Rothomagensem.*

De creatione Ecclesie collegiate pragensis, (u) & obitu Domini Johannis.

Anno Domini M. CCC. XLIII. Dominus Marchio *Moravie* attendens maxima & innumera beneficia & honores, quibus Deus glorioſus ipsum sue dignationis, & clementie gratia donis multiplicibus sublimavit, & ditavit ad laudem & honorem ipsius zelo sincere devotionis accensus, cupiens terrena in coelestia, temporalia in eterna salubriter permutare, Capellam regiam in Castro *Pragensi* sub *Sanctorum Omnium* titulo consecratam, venerabilis in Christo Patris Domini *Johannis* Pragensis Episcopi de concessione tociusque Capituli ecclesie Pragensis in collegiatam ecclesiam erigi, ac duas dignitates, videlicet Decanatum & Preposituram, undecimque canonicatus, & decem ministros ibidem ordinari & statui cum distinctis eorum redditibus, & prebendis, quos comparavit pro thesauro proprio de consensu patris sui Regis *Boemie* ad habendum, libere tenendum, possidendum jure proprio in perpetuum; voluitque prefatus Dominus Marchio *Moravie*, ut Decanus predicte ecclesie Collegiate per Capitolum ipsius ecclesie eligeretur, & per Episcopum Pragensem, qui pro tempore extiterit, confirmaretur. Collationem vero prepositure & prebendarum pro se reservavit, & hec omnia gratiosissimus pater & Dominus Dominus *Benedictus* papa XII. confirmavit, & suis bullatis literis firmissime roboravit. Ceterum predictus Dominus Marchio ad honorem Dei, & Beate virginis *Marie*, omniumque Sanctorum, multas reliquias Sanctorum auro & argento, gemmisque pretiosis multipliciter ornatas cum sincera devotione obtulit, & donavit, ornatusque varios & preciosos, multos calices, & monstrantias, ac illa (*x*) suppellectilia ecclesiastica, cunctaque necessaria valencia ad prefate ecclesie collegiate utilitatem & decorem. (*y*) Eodem anno in vigilia

(*u*) Videlicet ad Omnes Sanctos. (*x*). Ita quidem codex, sed legendum: *alia.* (*y*) Benessius hujus fundatæ ecclesiæ Collegiatæ compendium dedit, erectionem vero illius ad annum superiorem reposuit, quo anno quidem erectam fuisse ex ipsis verbis

lia *Epiphanie* (z) Domini Venerabilis Vir Dominus *Johannes* IV. Pragenſis Epiſcopus XXVII. hora tertia viam univerſe carnis eſt ingreſſus de hoc ſeculo ad Dominum migrando. Qui cum ante mortem in egritudine laboravit, diſpoſuit, & ordinavit, ut omnibus ſervitoribus ſuis incipiendo a primitivis utpote Prelatis, Capellanis, & Militibus, quibus per centum marcas dari precepit, & mediocribus, & minoribus, & ſervitoribus extitit ſumma peccunie, ſecundum merita perſonarum & ſtatuum exigentiam determinata, aſſignata, & ſic univerſi habuerunt conſolationem, & ſecundum meritorum ſuorum retributionem, ſicque bonam famam, quam in vita habuit, laudabiliter in morte reliquit, & aliis multis ob ſalutem & remedium anime ſue propter Deum plura errogavit, volens ſibi theſauros in celis theſaurizare. Porro plena fruens adhuc ſoſpitate mandavit fieri, & procurari tumbam Sancti *Adalberti* in eccleſia Pragenſi de auro & argento decenti, & ſumptuoſo opere, ymaginibus diverſis & ſculpturis artificialibus mirifice decoratam, & talibus (*a*) in Regno *Boemie* non fuit prius reperta. Inſuper in prefata eccleſia Pragenſi ſibi ſtudioſe de loco ſepulture providit, mandavitque fieri ymaginem de auricalco artificiali opere conſummatam, & perfecte deauratam ad inſtar Preſulis in Pontificialibus ſuper ſacrophagum locandam, (*b*) & alia plura ordinavit fieri, que erant neceſſaria, & ornantia ſuam

bis Franciſci manifeſtum ſit, cum dicat eam jam a Benedicto XII. Papa confirmatam fuiſſe, qui anno ſuperiore in Aprili jam mortuus erat. Cauſa autem quod Franciſcus erectionem in præſentem annum rejecerit, videtur veroſimillima eſſe, quod hoc anno primum electio Decani, nominatio Præpoſiti, Canonicorumque, denique inſtallatio eorundem acciderit præſente Carolo Marchione, qui ab Aprili anni ſuperioris usque ad Junium anni 1343. Praga abfuit partim in Moravia, partim in Sileſia, Poloniaque moratus, uti ex ejus diplomatibus teſtatum fit. Cujus quidem rei Franciſcus præ Beneſſio certiorem cognitionem habuit, cum jam tum Capitulo Pragenſi adſcriptus fuerit.

(z) Beneſſius ait *in Octava Sanctorum Innocentium.* Sed major fides adhibenda Franciſco, qui horam ipſam obitus, teſtamentariamque diſpoſitionem adnotavit. (*a*) Veroſimiliter legendum: *talis.* (*b*) Beneſſius ad annum 1373. Monumentorum meorum T. IV. p. 61. omnino meminit, quod Joannes hic epiſcopus jaceat *in Capella S. Silveſtri*, ſed valde mirum, cum corpora epiſcoporum in chorum novæ hodiernæ eccleſiæ Metropolitanæ tranſtulit, non quoque *imaginem illam de auricalco perfecte deauratam* in monumentum ſempiternum, decusque hujus eccleſiæ parietibus indiderit, quæ proh dolor, cum tot tantisque vetuſtiſſimis prioris eccleſiæ S. Viti monumen-

ſepulturam. (c) Ceterum in Anniverſario ſuo XIII. Sexagenas, & XII. groſſos ſingulis annis ſolvendas Dominis Canonicis, & miniſtris eccleſie Pragenſis, item monaſterio Beate Virginis in *Rudnicz* Canonicorum regularium, & tres marcas in villa *Jeſſeniz* deputavit. Ex his & ſupradictis, quam pius benefactor, conſolator & pater Cleri extiterit, populique clemens & providus rector, gentisque *Boemice* fidelis zelator ac indefeſſus procurator. (d)

De Electione primi Archiepiſcopi eccleſie Pragenſis.

Eodem anno poſtquam Dominus *Johannes* IV. Epiſcopus Pragenſis XXVII. de hac vita deceſſit, die undecima honorabilis vir Dominus *Arneſtus* Decanus Pragenſis eccleſie a Capitulo divina opitulante gratia in epiſcopum Pragenſem eſt electus. Qui in ſtatu ſuo honeſtiſſime fuit converſatus virtutibus inbutus, naturalibus donis ornatus, ſcientia illuſtratus, & variis donis gratuitis ditatus, & ſicut preceſſit alios officii dignitate, ſic emicabat vite ſinceritate, & licet iſta electio fuerit canonica, & utique ex inſpiratione divina cauſata, verum tamen quidam de Capitulo emuli equitatis, fautores perverſitatis non attendentes eccleſie utilitatem, nec perſone electe dignitatem, tanquam vulpino ganitu prefate electioni contradixerunt, & quia invidia eſt dolor felicitatis aliene, unde ipſique nequeunt mutari, non ceſſant calumniari, & quecunque aſſequi non potuerunt, venenoſo dente, ut hyrcus ſqualidus, lacerare non obmittunt; & ſic invidia tabeſcentes ſunt ſeipſos livido corde corrodentes, animasque ſuas pernicioſe mortificantes. Porro Rex *Boemie* cum univerſis terre Baronibus, Clerus quoque ac populus, huic laudabili electioni congaudentes Deo referunt gratiarum actiones. Ceterum Venerabilis Dominus electus, volens cauſam ſuam defendere, ac de ſuis adverſariis triumphare, multis regalibus, (e) nec non Baronum, Abbatum, & Capituli dicte eccleſie Pragenſis ad Curiam Romanam eſt profectus, dirigente Domino Deo iter ſuum in proſperitate, procul mota om-

mentis & inſcriptionibus peſſumdata eſt, quod nemini tunc antiquitatum cognitio, & ſtudium cordi eſſet.

(c) Locupletiores ſepulturæ hujus memorias dederat jam Franciſcus lib. 3. c. 4. in Codice Metropolitano, quæ nonnihil truncata in hac ſua nova editione huc tranſtulit. (d) Deeſt verbum *conjice* aut ſimile. (e) Veroſimillime legendum: *multis rogatibus*

omnium adverſitate. (*f*) Tantam gratiam Deus ei contulit, ut a Domino Apoſtolico, a Dominisque Cardinalibus grato & gratioſo ſuſciperetur affectu. (*g*) Nam revera in exteriori homine erat decorus in aſpectu, in interiori virtuoſus in conſpectu, mundus ac purus in affectu; (*b*) hujus rei gratia Dominus Papa petitiones ſuas hilari vultu exaudivit graciis variis honorando, unde ipſum ſtudioſe mandavit Domino Cardinali *Portunenſi* confirmari, & eum cum honorificentia devocius in epiſcopum Pragenſem conſecrari, quem univerſi Domini Cardinales cum magna reverentia affectuque ſincero ad oſculum pacis ſuſceperunt, eidem gratiſſimum, & condignum honorem exhibentes, totaque Curia romana laudabiliter congratulabatur, & tunc yemps adverſitatis abiit, ymber detractionis receſſit, eſtas proſperitatis, ſerenitas jocunditatis advenit. Porro votis, deſideriisque ſuis efficaciter potitus, actisque laudabiter conſummatis, acceptis literis bullatis a Domino Papa *Clemente* Sexto cum benedictione ad ſedem propriam remeavit. Denique univerſus Clerus, populusque civitatis Pragenſis cum Reliquiis & vexillis proceſſionaliter obviam procedentes ſuum Venerabilem Paſtorem cum ingenti letita ſuſceperunt. Ceterum exultat nimium eccleſia Pragenſis ſponſa ſponſi de adventu, amplectitur ſponſum glorioſum, & innixa ſuo dilecto ipſum oſculatur, in Domino fruitur ſponſo, eidem ineffabili charitate copulata cupiens fructum laudabilem, Domino Deo placabilem, cum ipſo dulciter procurare. Denique filiorum ſuorum corda infirma ad rectitudinem vite erexit, & ad viam ſalutis eterne eosdem duxit non ſolum bono exemplo, verum etiam ſalutifera doctrina, unde in jure Canonico decoratus, in aliisque facultatibus extitit excellenter eruditus, de cordibus ſuorum ſubditorum germina vitiorum radicitus extirpavit, cunctos-

(*f*) Nuſpiam alibi electionem Arneſti tanta accuratione & veritate deſcriptam reperias. Balbinus p. 82. qui illius vitam multa diligentia ſcripſit, omniaque ex manuſcriptis & impreſſis corraſit, minus recte ad manuſcripta provocans ait: *concordibus omnium omnino Canonicorum votis Arneſtus epiſcopus nominatur*, quod procul dubio ex unico M. S. Chronico Glacenſi, quod in margine notavit, hauſit, ſed Chronicon iſtud multo recentius eſt, quam ut Franciſci auctoritatem infringat. (*g*) Beneſſius p. 281. maxime ea de cauſa Arneſtum Romam profectum ſcribit, quod Archiepiſcopus Moguntinus tum una cum Ludovico Bavaro *majori ſententia excommunicationis fuerit innodatus*, ut igitur electionis ſuæ confirmationem Romæ quærere coactus ſit. (*b*) Beneſſius hæc paucioribus enarrans addit: *Erat filius quondam Domini Arneſti de Pardubicz ſtrenui militis.*

que errores, falsasque obliquitates funditus eliminando. Ceterum Deus de sua immensa clementia, videns ipsum meram habentem gratitudinem, gratiam gratia cumulavit. Nam illustris Princeps Dominus *Carolus Moravie* cupiens ecclesie Pragensi exemptionem, honorisque augmentationem, obtinuit a Domino Apostolico, ut in eadem esset Sedes Metropolitana, & immediate ad Curiam pertineret *Romanam*, nam pridem subdita extiterat Archiepiscopo *Moguntino*, unde cum pallium de prefata Curia fuisset allatum, Venerabilis pater & Dominus Dominus *Arnestus* Archiepiscopus Pragensis per plures episcopos adjacentium terrarum in ecclesia Pragensi cum maxima solempnitate extitit consecratus die Dominico proximo ante *Adventum Domini*, fuitque solempnitas prime impositionis pallii, sive acceptationis in persona prefati Domini *Arnesti*. (i) Denique primus ipse in Regno *Boemie* Archiepiscopali accepto pallio egressus de ecclesia in presentia Regis *Boemie* & Marchionis *Moravie*, nec non multorum principum aliorum episcoporum novam fundavit ecclesiam *Prage* artificiali opere & celaturis magisterialibus, nunquam in hoc regno visis, laudabiliter erigendo. Eodem tempore Abbas de *Lutomysl* per prefatum Dominum Archiepiscopum in episcopum est consecratus, qui est suus subditus cum episcopo ecclesie *Olomucensis*, hujus rei gratia convivium solempne & valde sumptuosum Dominis Episcopis, & omnibus Prelatis, & Canonicis, totique Clero plurium ecclesiarum, nec non advenis universis in Castro Pragensi in Domo regali extitit sufficientissime procuratum, quo consummato predictis Dominis episcopis, & aliis multis advenis, Dominus Archiepiscopus Pragensis dona & exenia copiosa animo sincero, & hilari vultu est largitus, qui cum gratiarum actione ad propria sunt reversi.

De Creatione Collegii Clericorum in Ecclesia.

Eodem anno illustris Princeps Dominus *Marchio Moravie*, cupiens obtinere celesti regno eternam retributionem, ad honorem Dei omnipotentis, & Beate Virginis *Marie*, patronorumque nostrorum, nec non omnium Sanctorum pro vita perpetua adipiscenda, pro suorumque presen-

(i) Hæc multo locupletius ad eundem annum enarrat Benessius.

ſentium predeceſſorum, ſucceſſorum, cunctorumque fidelium defunctorum, vivorum ſtatu felici, & eterna ſalute, & propter cultus divini incrementum, in eccleſia Pragenſi XXIV. clericorum ſecularium miniſtrorum, ſeu Collegium, Precentore in eo computato, qui eſſet eorum ſenior, & proviſor, quorum XII. presbyteri, ſex Diaconi, & ſex ſubdiaconi fore deberent, quos *Manſionarios* voluit nuncupari, quique tenerentur cottidie, & deberent circa ipſam eccleſiam perſonaliter reſidere, & non per alium horis Beate Virginis cottidie intereſſe. Eosdem prefatus Dominus Marchio de novo creavit, ſtatuit, & ordinavit, & voluit, quod dicti *Manſionarii* habitum haberent decentem intra & extra eccleſiam ſuo propoſito congruentem; & contulit eisdem & donavit bona larga, & redditus ſufficientes, quod (*k*) victu, & amictu, pro diſtributionibus quoque cottidianis irrevocabili donatione aſſignavit cum omnibus juribus, & libertatibus, obventionibus, & ſuis pertinentiis comparavit, reſervans ſibi ſpecialiter jus Patronatus, & ſuis ſucceſſoribus *Boemie* Regibus, minorum vero prebendarum Diaconorum & Subdiaconorum ad Precentorem, & ad maiores prebendatos, & *Manſionarios* collationem ſive inſtitutionem voluit pertinere, & quod omnes eſſent ſub regimine *Decani* Pragenſis. (*l*) Dominus vero Archiepiſcopus, (*m*) & Prelati, Canonicique eccleſie prefate proſpicientes premiſſa in magni divini cultus augmentationem & decorem ipſius eccleſie redundare, deliberatione & tractatu ſuper his prehabito, diligenter ad ipſius Principis inſtantiam dictum numerum Clericorum in eadem eccleſia Pragenſi auctoritate ordinaria crearunt, ſtatuerunt, & ordinarunt, omnia, & ſingula per prefatum Principem ordinata, & diſpoſita roborarunt, & ratificarunt, & approbarunt literis ſuis approbantes. Dominus vero Papa *Clemens* Sextus hec univerſa viſa, & intellecta grata, & rata habendo ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica confirmavit ſuarum literarum patrocinio efficaciter roborando. (*n*)

Quc.

(*k*) Lege: *pro.* (*l*) Hæc omnia fuſiſſime deducta inveniuntur in curſu & ſtatutis Manſionariorum, quæ Tomo III. Monumentorum meorum ex Codice Doxanenſi p. 291. & ſeqq. publici juris feci. (*m*) Arneſti Archiepiſcopi ſtatuta Manſionariis præſcripta habentur, c. l. p. 316. (*n*) Hæc eadem bulla eodem loco excuſa habetur p. 323.

Quomodo Rex Boemie repulit Regem Polonie de finibus ſuis, & de victoria vltramarina miraculoſa.

Anno Domini M. CCC. XLIV. Rex *Polonie* cum magno exercitu proprio, annexo ſibi exercitu Regis *Hungarie*, ac aliarum gentium multitudine copioſa intrat hoſtiliter terram *Opavie*, ipſam igne & ferro devaſtando; Porro Dominus *Nicolaus* Dux terre prefate non valens pretaxatis reſiſtere, auxilium Regis *Boemie* inſtantiſſimis precibus poſtulavit. Et quia Principes ſolent exercere juſtitiam proprias injurias vindicando, aut de offenſis ſue militie, & aliorum ſubditorum ſummendo ulcionem, unde Rex *Boemie* advertens periculum in *Moravie* predictus Rex (*o*) memorata terra ſubjugata, ſuam tyrannidem ampliando, *Moraviam* ingrederetur, quia ſecundum ſapientem: parvus error eſt in principio, magnus in fine; hujus rei gratia cum ſuo primogenito Marchione *Moravie* exercitu validiſſimo congregato, quem Venerabilis pater Dominus Archiepiſcopus *Arneſtus* ſancte eccleſie Pragenſis primus, ipſis in auxilium multitudinem copioſam Galleatorum, & forcium armatorum deſtinando, augmentans nimium amplificavit, cumque terre *Opavie* cominus appropinguaret, prefatus Rex *Polonie* veritus eſt a facie eorum, robur & virtutem ipſorum metuendo, ad regnum proprium eſt reverſus, quem Principes noſtri una cum ſuis usque ad *Cracoviam* ſunt perſecuti, & in obſidione ejusdem per easdem plurimi ſunt precincti baltheo militari, & ſolempniter milites effecti (*p*). Bella quoque particularia inter partes adverſas extiterunt, & multi inimicorum ceciderunt, & precipue Rex *Ungarie* de interitu militum ſuorum non modicam ſuſtinuit turbationem, (*q*) & quia *Cracovia* propter defectum victualium difficilis erat ad capiendum, converſi ſunt ad alias civitates, & munitiones, & quam pluribus expugnatis, & raptis, invaluit magna fames, & victualium defectus. Itaque Barones, & nobiles Regni *Boemie* & *Moravie* militibus ſuis panem per buccellas modicas diſtribuebant, aquam pro pecunia comparando. Nam regnum *Polonie* variis modis fuerat devaſta-

(*o*) Ita perobſcure Codex noſter, ſed veroſimiliter reſtituendum: *Rex Boemie advertens periculum in Moravia, ne prædictus Rex* ſcilicet Poloniæ Caſimirus. (*p*) Beneſſius etiam Joannem fratrem Caroli Marchionis *Militem factum* ſcribit. (*q*) Beneſſius CCCCC. ex Ungaris occiſos ſcribit.

ſtatum. Porro Principes noſtri ob hanc cauſam conſpicientes exercitum ſuum nimium aggravari, nuncios regis *Polonie* pro treugis adipiſcendis, ſive condictione ſuſceperunt, (r) quibus peractis & confirmatis Principes noſtri, cum ſuis ad propria ſunt reverſi. Rumor autem inſonuerat, quod propter debitum XX. millium marcarum hec guerra fuerit exorta, quas Rex *Polonie*, Domina *Margaretha* ſponſa ſua adhuc vivente filia Regis *Boemie*, eidem mutuaverat, cujus ſi vita deſiderabilis duraſſet, multa, nec tanta mala fuiſſent ſubſecuta. Eodem tempore Rex Cypri miraculoſe cum paucis Chriſtianis maximam multitudinem Paganorum vicit, & interemit, qui *Turci* nuncupantur, ſic continetur in epiſtola infra ſcripta: Rex Cypri Regine *Sicilie* ſalutem; Gaudete, & congratulamini nobiſcum, & cum ceteris fidelibus cruce ſignatis. Cum ad prelia contra infideles *Turcos* ob reverentiam Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, qui pro nobis voluit crucifigi, (s) in hoc prelio nos non dereliquit, unde una nobiſcum gratias, & laudes referatis Deo & Virgini glorioſe de immenſo beneficio nuper in me facto. Nam cum nos cum fidelibus cruce ſignatis moti ad prelium contra *Turcos* congregati eſſemus, *Turci* habebant duodecies centena milia, & nos duo milia, & incepimus pugnare ex adverſo potenter contra magnam multitudinem inimicorum proſternentes, & prelium usque ad veſperam duravit, & ita nimium feſſi non poteramus amplius preliari, & expectabamus palmam Martirii, & cum vidiſſemus nos in tali puncto conſtitutos clamavimus ad Dominum dicentes: Domine *Jeſu Chriſte*, qui voluiſti pro nobis crucifigi, da nobis fraternam & perfectam charitatem, & conforta corda noſtra, ut in tuo nomine valeamus palmam Martirii obtinere, quia eis reſiſtere non valemus, & ſic deſperati de victoria mortem amariſſimam expectabamus gementes & flentes. Et ecce apparuit nobis unus ſuper equum album ſedens, habens vexillum album, in quo crux erat rubei coloris, hic indutus erat pilis camelorum habens faciem oblongam, & macilentam cum barba prolixa, & cum ſonora voce clamavit: o fideles no-

(r) Subticuit Franciſcus cauſam hujus pacificationis initæ, quia videlicet Czenko de Lipa cum ſuis a Polonico milite fuit obrutus, captusque Cracoviam deductus, uti narrat Beneſſius. Porro Beneſſium jam his annis Franciſci Chronicon non habuiſſe ad manum, ſed Marte ſuo ſcripſiſſe ex diverſitate narrationum, plurimisque additamentis manifeſtum fit. (s) Veroſimiliter deſideratur vox: *progrederemur* aut ſimilis.

nolite timere, quia divina Majeſtas celos aperuit, & mittet adjutorium inviſibile, ſurgite, & confortamini & viriliter mecum ad pugnandum venite, quia pauci ex nobis morientur, & vitam eternam poſſidebunt, obtinebunt, & ſic ejus auxilio ſurreximus confortati, ac ſi nunquam fuiſſemus preliati, & adverſarios invaſimus iterato, & pugnavimus tota nocte, ſcilicet nobis lux quaſi ſolaris luminis tota nocte apparebat. Die vero facto, qui remanſerunt de *Turcis* fugam ceperunt, & ex noſtris oculis evanuerunt, & ſic obtinuimus victoriam auxilio divino. Et antequam de loco prelii tranſiremus, Miſſam de ſancta *Trinitate*, & de Beatiſſima Virgine *Maria* fecimus devote celebrare, gratias Deo & Beate Virgini debitas referentes, & petentes, ut poſſemus corpora Chriſtianorum ab infidelium corporibus diſtinquere, & tunc ille, qui apparuit, nobis reſpondit: quod petiſtis, impetraſtis, & majora his obtinebitis, ſi in fide perſtiteritis, nos vero perſonaliter eum interrogavimus, quis eſtis vos, qui tanta pro nobis feciſtis, ut valeamus veſtrum nomen divulgare. Et reſpondit: Ego ſum, qui dixi, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & his dictis diſparuit dimiſſo odore ſvaviſſimo, quo mirabiliter fuimus recreati, plus quam cibo & potu materiali. Sequenti die decrevimus corpora mortuorum Chriſtianorum juvare, & cum venimus ad locum prelii invenimus ad capita ſingulorum Chriſtianorum fuſtem longam ſine frondibus, & in capite florem album tanquam hoſtiam conſecrandam, & inſcriptum aureis literis: Chriſtianus ſum ego, tunc ſegregantes corpora ab infidelibus voluimus pro ipſis facere officium defunctorum, & audivimus voces de celo, ſive melos, & dulciſſimum genus melodie, ita quod ex hoc quilibet videbatur poſſidere vitam perhennem, & tunc cantaverunt verſum: Venite Benedicti patris mei, usque in finem, & tunc ſepelivimus corpora Chriſtianorum ſexaginta juxta *Thebaydem* civitatem, corpora autem *Turcorum*, que potuimus invenire, erant decem & ſeptem milia, qui in corpore, & in anima eternaliter perierunt. (*t*)

Anno Domini M. CCC. XLV. ſeptimo die *Octobris* circa ortum ſolis fuit eclipſis ſolis, & evidenter ſole oriente apparuit aliquantulum de ſole obſcuratum, & hec obſcuratio fuit in ſigno libre, in quo quedam

(*t*) Beneſſius omiſſa hac tota dubiæ fidei epiſtola tribus pene verbis victoriam Regis Cypri annunciat.

dam memoranda pro ſalute humani generis fuerunt perpetrata. Et fuit ecclipſis lune eodem anno XIV. die *Septembris* hora XII. poſt meridiem in octavo gradu arietis. Et fuerunt ambo luminaria celi ecclipſata in uno menſe. Sic quoque ſequebatur, quod dictum *Hermetis* haberet locum, qui ait: quando ambo luminaria celi in uno menſe ecclipſantur, quod poſt ſecuntur multa incommoda, & mala in hoc mundo. Conjunctio quoque *Jovis*, & *Saturni* fuit circa finem *Martii*. Eodem anno currente, in decimo nono gradu aquarii, & die octava *Februarii* eodem anno fuerunt in aquario quinque Planete, videlicet *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Sol* & *Mercurius*, & in capite quaſi *Marti* conjunctum fuit *Martis*, & *Saturni*, & *Jovis* in uno termino. Que conjunctio ſignificavit guerras, & alia multa, que concordabant ex hac conſtellatione. Eodem anno, ſpiritu maligno ſvadente, in veneno ejusdem peſtifero inficiente Regina *Apulie* malinata fuit malum ſui conthoralis, unde cum Marſcalco, & cum quibusdam Regni magnatibus in nece Regis conſpiravit, cumque in thoro regali Rex quieſceret cum Regina more maritali, Marſcalcus cum complicibus ſuis inpetuoſe ad oſtium thalami regalis pulſaverant, fingentes ſe valde arduâ cum Rege tractaturos, Rex vero metuens ſibi malum iminere eis introitum negavit, Regina vero jugiter Regem exhortabatur, ut ad eos egrederetur, afferente cauſas legitimas adventus eorum, quas nequaquam differe valerent. Et non conſentiente Rege Regina clam januam eisdem patefecit, qui mox in Regem irruentes, ipſumque per capillos apprehendentes tam diu per commodum regale vellicantes & vulnerantes traxerunt, quousque ſpiritum exalavit. Et ecce actus primus olim a prima muliere perpetratus eſt per hanc Reginam renovatus. Nam ſicut illa ab antiquo ſerpente virus ſibi infuſum eodem participem effecit prothoplaſtum cum ſua poſteritate, adinſtar illius iſtam malitiam que habet rationem veneni, in maritum proprium infundendo, fraudulenter, & dampnabiliter interemit. Eodem anno currente, & virtute conſtellationis regnante, Dux ſive Comes Holandie exercitum magnum congregavit. Principibus adjacentibus ſibi cooperantibus, qui verſus terram *Friſonum* ſe preparavit, & quia per mare fuit acceſſus ad eandem, galeis, & navibus multis preparatis, voluit eam ſibi ſubjugare, ſuoque dominio mancipare, quia quondam extiterat ſubjecta Dominio ſuorum Majorum, cumque eſſent non longe a litoribus terre diſtantes, ventus validus flatu ſuo ipſos in navibus diſſipavit, qui cum ad magnam diſtantiam localem fuiſſent ſequeſtrati, porro

naves primeve cum nobili militia eſſent appropinquantes, *Frizones* in foveis, quas paraverunt, latitaverunt cautuloſe ſe abſcondendo. Illis quoque de navibus ſuper litora exeuntibus, illi ſuper illos ex inproviſo irruentes, & cum maximo clamore invadentes, variis modis cunctos vita privarunt, colligentes vero arma, & veſtes occiſorum, easdem galeas criſtatas capiti imponentes, acceptisque vexillis interemptorum naves eorum intraverunt, & ipſis cum gaudio preſtolantibus naves ſequentibus cum Principalibus appropinquaverunt; quibus illi ſignis innuebant, ac ſi eos poſt victoriam ad terram invitarent. Princeps ſuos exiſtimans juſſit velocius appropinquare, cumque eſſent circa litus, cognoſcentes quod eſſent illuſi, fugere non valuerunt, nam magna multitudo armatorum de foveis exiens, & de foſſis cum illis, qui in navibus erant; preſtolantibus ipſos cum ingenti impetu occiderunt, Principem quoque *Holandie* cum aliis Principibus captivaverunt, cumque flexis genibus unus Principum pro Prin ipe *Holandie* exoraret, ut eo vivo dimiſſo intromitterent ſe de ſuo principatu, & illi conſilio prehabito conſenſerunt & illico unam manum prefato Principi jubent amputare, & iterum preces porriguntur, ut ſaltem tunc eorum furia ceſſaret, at illi viri impii omnibus membris truncatis corpus ejus equis per varia loca traxerunt. Porro Principem, qui ſe pro eo morti exponebat, decollare juſſerunt, omnem quoque militiam illorum excellentem crudeliter interfecerunt procul omni pietate (*u*) O quanta & qualis extitit malicia illorum virorum crudelior ferociorque ferarum ferocitate, nam leones humiliatis, & proſtratis hominibus pareunt nullam moleſtiam inferentes, & ab eis ſpecie differentes, ſed hi malitie veneno referti hominem ad ymaginem creatum, formidinem divinam poſtergantes, frauduloſe exterminaverunt, & hec malicia effrenata eſt hoſtis ſapientie, degenerata ratione, excedit juſticie menſuram, amiciciam rumpit, concordiam perimit, per terram auffert pacem, hanc ira inflammat, furor exaſperat, cecitas indurat. Porro Principes cum ſuis, ab eis interempti vere ſapientie Principes non extiterunt, nam bona gratie, bona nature propter bona fortune pernicioſe perdiderunt. Inter cetera quoque Dei dona merit, donum Dei eſt mundus iſte cum ſuis divitiis & deliciis & corporales creature, majus, quod ad ymaginem ſuam hominem fecit, &

(*u*) Subſtitue: *remote procul omni pietate.*

& naturalibus donis mirifice perfecit, maximum eſt, quod hominem redemit & ſacramentis mundando doctrina evangelica illuſtrat, premaximum eſt gratia Dei, & dona Spiritus ſancti; ſupereminens, & excellentiſſimum eſt future glorie & premium vite eterne.

De Electione & coronatione Domini Marchionis in Regem Romanorum.

Deus auctor pacis, & amator in eccleſia triumphante ſummam pacem ordinavit, in eccleſia quoque militante de ſue immenſe bonitatis largitate ſaluberrimum intulit pacis principium, inſpirando Domino Pape, & Electoribus Imperii, ut Princeps pacificus in Regem *Romanorum* eligeretur, & adverſarius pacis (*x*) per ipſum cum ſuis complicibus exterminaretur. Nam pax eſt magnum donum, eſt & veſtigium ejus, & quaſi teſtatum fidelibus legatum, & eſt ſemita humane ſalutis. Unde ſapiens ait Proverbiorum: Omnes ſemite ejus pacifice. Porro ſi pax temporis non habetur, pax pectoris difficulter cuſtoditur, ac demum ad pacem civitatis non pervenitur, de qua ſcriptum eſt: ſedebit populus meus in pulchritudine pacis; nec Deus ibi habitat, ubi non eſt pax, & mentis tranquillitas, in pace enim factus eſt locus ejus.

Anno igitur Domini M. CCC. XLVI. die XXVI. menſis *Novembris*, VI. Kalendas *Decembris*, hoc eſt proximo die dominico poſt feſtum Beate virginis *Catharine* (*y*) electus fuit & coronatus illuſtris Princeps Dominus *Karulus* Marchio *Moravie* in Regem *Romanorum* per Archiepiſcopos *Colonienſem* & *Treverenſem* in Civitate *Bunna*, que eſt prope *Coloniam*, & interfuerunt multi Principes, tam ſpirituales, quam ſeculares, Archiepiſcopi prefati, *Moguntinenſis*, & *Pragenſis*, Rex *Boemie*, Dux *Saxonie*, *Palatinus*, nec non alii Electores imperialis dignitatis, & alii

(*x*) Intelligit author Ludovicum Bavarum ab eccleſia excommunicatum, cujus quidem hiſtoriam, resque inter Pontificem atque eum geſtas multo diligentius locupletiusque perſecutus eſt Beneſſius de Weitmihle. (*y*) Beneſſius l. 4. p. 342. ad h. an. ait: *quæ fuit dies S. Katherinæ.* Sed minus recte, 26 enim Novembris anno 1346. incidit in diem Dominicam, feſtumque Catharinæ pridie ſcilicet 25. colitur. Unde etiam recte Albertus Argentinenſis aliique ajunt: *Dominica ante Andreæ exſtitit coronatus.*

quam plures principes preter ſolum *Branburgenſem*, qui tanquam nil juris in electione (z) fuit excluſus, cum jus electionis, quod ſibi debebatur, ad Dominum Papam fuerit devolutum, vel ad alios Electores. Eligitur autem in Regem *Romanorum* ex conſenſu, & ſpeciali mandato Domini Apoſtolici unanimiter & concorditer per omnes Electores, licet ipſo recuſante & contradicente, tandem victus precibus ſue conſenſit electioni, & hoc conſumatum eſt anno prefato XI. die menſis *Junii* hoc eſt die Dominico ante feſtum ſancti *Viti* noſtri Patroni, (a) Legati quoque a latere Domini Pape ſpecialiter remiſſi cum literis bullatis in electione, & coronatione pretaxata ipſas publicaverunt cum magna ſolempnitate. Approbata autem hec ſunt per Dominum Apoſtolicum anno predicto VI. die *Novembris* in feſto beati *Leonardi* Confeſſoris; Eodem die Dominus Papa propria in perſona fecit ſolempnem ſermonem ad laudem, & honorem Dei & Sanctorum ejus, & in fine famam bonam Domini electi extollendo, & commendando ultra omnes Principes hujus temporis ipſum dignitate & honore cunctis preferendo. Et tunc huic laudabili approbationi interfuit Venerabilis Pater Dominus *Arneſtus* Archiepiſcopus Pragenſis cum aliis nobilibus, qui de hoc facto fuerant ſpeciales legati. Et egregium Collegium totius Curie *Romane*, & cuncti Domini laudantes, & ei gratias referentes hanc gratioſam & benivolam approbationem ſincero corde commendaverunt.

De obitu Regis Boemie.

Eodem anno in vigilia beati *Ruffi* Martiris Rex Boemie cum Rege *Francie*, & cum filio ſuo *Karulo* in Regem *Romanorum* electo, annexis quoque pluribus aliis Principibus, Ducibus, Magnatibus, Comitibus, Baronibus, & de diverſis mundi partibus militibus pervenit ad Regem *Anglie* hoſtiliter invadendum, qui Rex ante adventum ipſorum juxta famoſam urbem *Pariſius* metaverat ſua caſtra, ſperans Regem *Francie* poſſe ſuperare, qui quasdam provincias ſuas contra juſtitiam videbatur ſibi uſurpare, ſed dicto rege *Boemie* cum aliis ſupervenientibus in adjutorium

(z) Supple: *habuiſſet*. (a) Erravit iterum Beneſſius p. 339. cum ait electionem hanc *feſto Sanctæ Margarethæ* accidiſſe, quod in 10 Junii incidit, & vere 11 Junii anno 1346. in Dominicam incidiſſe recte advertit Franciſcus.

rium Regi *Francie*, Rex ipſorum formidans vehementer ad fugam ſe cum ſuis expoſuit, in vicina nocte retrocedendo feſtinavit propter accellerationem pluribus relictis victualibus, & multis aliis rebus utenſilibus, ſuppelectilibusque dimiſſis. Porro ad concilium Regis *Boemie* Rex *Francie* cunctique Principes, Ducesque exercituum Regem *Anglie* ſunt inſecuti, qui jam pertranſiverat magnum flumen periculoſe, in quo transvadatio raro exſtitit reperta, qui ratione vicinitatis ad mare, & in meridie fuerat immoratus, & pro tunc vadus fuit inventus, quo audito Rex *Francie* voluit ad propria remeare, Rex vero *Boemie* nequaquam carere volebat, ne inſequeretur ultra terminos Regni *Francie*, ipſo quoque annuente pariter poſt ipſum proceſſerunt. Denique prefatus Rex *Anglie* receperat ſe ad tuta loca inter valles & nemora, adventum eorum preſtolando, & hoc ideo fecerat, quia minorem exercitum habuerat, erant enim decem vel plures armati ſuper unum de his, qui in exercitu exſtiterunt regum predictorum. Quod advertens Rex *Francie*, ait ſuis Principibus: non committamus bellum cum adverſariis noſtris quousque recedant ab his locis tutis, & munitis, cui Rex *Boemie* nequaquam voluit prebere conſenſum. Porro cum jam exercitus convenisſet, Rex *Boemie* cum filio ſuo electo Rege *Romanorum* viriliter congreſſi aciem belli tenuerunt, ſed quia eventus bellorum dubius frequentius dinoſcitur, multis maxime per ſagittas proſtratis, & interemptis major pars *Francigenarum* fugiendo terga verterunt, & multis aliis occaſionem fuge dederunt; Cum autem nobiles Regni *Boemie* conſpicerent periculum vite affuturum, ſuaſeruntRegi, quod cum ipſis de bello decederet, qui reſpondit, quod nollet hoc crimen glorie ſue inferre, nec famam ſuam ex hac cauſa denigrare, ſed mandavit eis, ut ducerent eum ubi major impetus, & vigor belli exiſteret, fragorque armatorum. Cui unus ex nobilibus Regni *Boemie* reſpondit, nos illuc vos ducemus, unde amplius vobiscum non redibimus; Cumque hoc effectui mancipaſſet, Rex *Boemie* heu! cum pluribus Principibus, Baronibus, & militibus de diverſis mundi partibus cecidit, & extitit interemptus, filio ſuo glorioſo Principe *Karulo* difficulter cum vita transeunte, & pauca milicia ſecum remanente, qui, ut docet relatio fide dignorum, fuit in bello ante patrem, & non fuga vel alia ſpecialis cauſa, ſed divina gratia ipſum a periculis protexit, & clementer preſervavit. Poſt hec Rex *Anglie* cum ſuis nobilibus Regem *Boemie* & alios Principes, qui in bello ceciderant, ſtudio-

dioſe deplanxerunt & honorifice ſepulture tradiderunt. (*b*) *Annis millenis tria centum ſex quadragenis - - Ante diem Ruffi vicinata* (*c*) *dieque ſecunda - - Extat occiſus, nobis evanuit, eo vijus* (*d*) *- - Prob dolor Johannes Boemorum Rex quaſi Magnes - - Strenuus & juſtus, mitis, audax atque robuſtus, - - Aſtutus ſapiens ſemper largiſſime regnans. - - Rex ſine quartali* (*e*) *fuit ſexque annis triginta - - Et bene regnavit, ac terre pacem procuravit. - - O Jeſu Chriſte bone, ſuo ſpiritui miſerere - - Quidquid exceſſit, dum ſceptra regalia geſſit, - - Paſſio Chriſte tua ſibi ſumma ſit medicina, - - Per quam ſalvetur celeſtibus & ſocietur.*

Anno Domini M. CCC. XLVIII. (*f*) Dominus *Karulus* inclitus Rex *Romanorum* zelo divini amoris accenſus, ac calore dilectionis proximi refertus, bonum reipublice cupiens ampliare, & Regnum *Boemie* laudabiliter exaltare, impetrat a Domino Papa diverſas quasque gratias, que in ſequentibus ſcriptis continentur.

De inſtauratione & inſtructione in Regno Boemie ſtudii generalis.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. (*g*) In ſuprema dignitatis Apoſtolice ſpecula quamquam inſufficientibus meritis divino diſpenſationis munere conſtituti, ad univerſas fidelium regiones, eorumque profectus, & commoda tanquam univerſalis Dominici gregis Paſtor commiſſe nobis ſpeculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipſis ad querenda literarum ſtudia, per que divini Numinis ſancteque katholice fidei cultus protenditur, juſtitia colitur, tam publica quam privata res utiliter geritur,

(*b*) Ex narrationum diverſitate, adjunctis, additamentisque manifeſtum fit Beneſſium Franciſci Chronico non amplius uſum. (*c*) Ita MS. an fortaſſis a vicies, vicinata id eſt quaſi vigeſima efformata? (*d*) Ita quoque perobſcure Codex. (*e*) Id eſt ſine quadrante anni triginta ſex annis. (*f*) Error ſcribæ eſt, ponendusque annus MCCCXLVII., de quo agitur, & qui ſequente Capite adhuc continuatur. (*g*) Franciſcus Petrum Abbatem Aulæ Regiæ imitaturus, qui plura diplomata, bullas, epiſtolasque ſuo Chronico inſeruerat, jam priorem epiſtolam ad Siciliæ Reginam datam, & nunc Clementis Papæ Bullam narratis ſuis intexuit.

tur, omnisque prosperitas humane conditionis augetur, gratiosos libenter favores impendimus, & oportune commoditatis auxilia impertimur. Nuper siquidem ex parte charissimi in *Christo* filii nostri *Karuli* Regis *Romanorum* illustris nobis est expositum, quod in hereditario Regno suo *Boemie* multisque aliis eidem regno finitimis regionibus, atque terris *Generale studium*, quod in illis partibus summe foret expediens, non haberetur, quodque Metropolitica Pragensis civitas in ipsius Regni medio, locoque saluberrimo sita, & a diversarum partium gentibus frequentata, in victualibus quoque aliisque necessariis copiosa ad hujusmodi Generale studium regendi, cum particulare dudum in ea fuerit, accommoda multum existeret. Nam considerantes eximiam devotionis, ac fidei puritatem, quam tam ipse *Karulus* & predecessores sui *Boemie* Reges, quam ejusdem Regni incole ad Sanctam *Romanam* Ecclesiam gessisse, ac ipse *Karulus* Rex & incole gerere dignoscuntur, ferventi desiderio ducimur, ut regnum ipsum, quod divina bonitas multitudine populi, rerumque copia predotavit, fiat literarum fertilitate fecundum, ac in eo, quemadmodum auri & argenti copias fore dinoscitur, sic scientiarum prevalentium sit abundantia, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque fons irriguus, de cujus pleinitudine hauriant universi literalibus cupientes imbui documentis. His igitur omnibus, & presertim amenitatibus civitatis prefate diligenti examinatione pensatis, (*b*) ad hujusmodi universale studium non solum premissorum ejusdem Regni, & Regionum circumadjacentium incolarum, sed etiam aliorum, qui de diversis mundi partibus ad eandem confluent civitatem, commodum, & profectum paternis affectibus anhelantes dicti Regis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate statuimus, ut in dicta civitate Pragensi perpetuis futuris temporibus Generale studium vigeat in qualibet licita facultate, & quod legentes & studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis Doctoribus vel legentibus & studentibus commorantibus in studio Generali gaudeant, & utantur. Quodque illi, qui processu temporis scientie margaretham fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assecuti, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac magisteri honorem, seu

(*b*) Integrior hic sensus est, quam in exemplari excuso in Gloria Universitatis Pragensis p. 8.

ſeu titulum pecierint impertiri, per magiſtros, ſeu per magiſtrum illius Facultatis, in qua examinatio fuerit ſacienda, Archiepiſcopo Pragenſi, qui eſt pro tempore, preſententur, idem quoque Archiepiſcopus Doctoribus & Magiſtris in eadem facultate inibi actu regentibus convocatis illos in his, que in promovendis ad Doctoratus ſeu Magiſterii honorem requiruntur, per ſe, vel per alium juxta modum & conſuetudinem, que ſuper talibus in Generalibus ſtudiis obſervantur, examinare ſtudeat diligenter, eisque, ſi ad hoc ſufficientes & idonei fuerint reperti, hujusmodi licentiam tribuat, ac honorem ſeu titulum conferat Magiſtralem. Illi vero qui in eodem ſtudio dicte civitatis examinati, & approbati fuerint ac Doctoratum, ſeu titulum Magiſterii obtinuerint, extunc absque examinatione, ac approbatione alia regendi & docendi, tam in civitate predicta, quam alibi ubicunque; quibuscunque tam dicte civitatis, quam quorumlibet aliorum locorum, ſeu Generalium ſtudiorum, in quibus voluerint, legere, vel docere, ſtatutis vel conſuetudinibus, apoſtolica, vel alia quacunque firmitate vallatis nequaquam obſtantibus plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum *Petri & Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit, incurſurum. Datum *Avinione* VII. Calendis *Februarii* Pontificatus noſtri anno quinto Preter ea alie gracie per prefatum Dominum Regem *Romanorum* in Curia obtente ſunt, pro fabrica Eccleſie Pragenſis cum literis bullatis roborata: videlicet, quod quicunque ſubſidium dat pro ſtructura nove eccleſie predicte, quod de indulgentia unum annum conſequeretur, & unam quadragenam. Pro altari quoque Beate Virginis ad cujus miniſterium dictus Dominus Rex Collegium laudabile Clericorum procuravit, eidem omnem neceſſitatem providendo, obtinuit indulgentias copioſas.

De Anno Jubileo, & gratia Jubilei.

Anno Domini M. CCC. XLVII. venerunt ex parte Senatorum ac Principum *Romanorum* honorabiles viri quam plures Sindici Urbis *Romane* cum magna humilitate ad Dominum Papam ſupplicantes ex intimo

mo cordis affectu, ut annus (*i*) in urbe *Romana* in quinquagesimo esset anno, eo quod centesimum etatis brevitatem. (*k*) Hujus rei gratia Dominus Papa in crastino mandavit fieri consistorium & Dominos Cardinales omnes vocari, & in ipsa nocte in visione Domino Pape apparuit sanctus *Petrus* in manu gestans claves duas, protulitque ad ipsum hec verba: aperi os tuum, & ignem ex eo mitte, quo calefiat & illuminari valeat totus mundus. Et in crastino Dominus Papa celebravit Missam de Sancta *Trinitate*, orans, ut si visio ista a Deo esset, ut iterum appareret, qui secunda nocte iterum habuit & eandem visionem, unde prehabito consilio ac diligenti tractatu cum Dominis Cardinalibus consensit petitioni *Romanorum*, mandans eis dare literas cum Bullis nimium gratiosas, & commendat multum urbem *Romanam* asserens ipsam esse sanctam civitatem, patriarchalem, sepultura Sanctorum Apostolorum *Petri* & *Pauli* honoratam, & plura aliorum sanctorum corpora per Romanos sunt illuc translata, ipsa quoque est sanctificata sanguine Sanctorum Martirum multorum millium ibidem pro nomine Dei interemptorum, unde asserit beatus *Gregorius*, quod in urbe Romana Sanctorum Martirum pro nomine *Christi*, & pro fide katholica passorum corpora requiescere ultra milia pro qualibet die anni. O qualis est hec civitas Apostolica Patriarchalis, Imperialis, & quantis laudibus extollenda, ubi sedes est beati *Petri* Apostoli, & quantis preconiis predicanda, & honorum titulo cunctis preferenda. Unde evidenter apparet, quod ipsa est a Deo eterno electa, ut que hactenus erroris Magistra fuerat, & falsitatis, fieret postmodum discipula veritatis. Unde de ipsa est scriptum: De civitate, quam elegi, veniet vobis salus & videbunt oculi vestri, & gaudebit cor vestrum. Sic omnes excedit in Sanctorum abundantia & multitudine indulgentiarum. Ceterum approbatio & confirmatio anni gratie per dictum Papam facta insequitur in his scriptis: Cunctorum piissimus Opifex salutifero crucis agone, quem pro assumpte carnis liberatione subierat, triumphanter consumato, redire disponens ad Patris dexteram, unde venit, ut conditum, redemptumque gregem conformi sublevaret presidio, hominibus hominem pretulit Deus homo alium vi-

(*i*) Supple: Jubilæus aut Jubilaris. (*k*) Oratio scribæ of itantia truncata, verosimiliter ita restituenda: eo quod ad centesimum ob etatis brevitatem raro pertingeretur, aut quid simile.

videlicet *Petrum* humanitate divinitatis expreſſorem, prelatum, & apoſtolice milicie ſigniferum & Primatem. (*l*) Inter ceteros ſacre cooperationis miniſtros, preclaro electionis vaſe, & gentium lumine beato *Paulo* Apoſtolo ſibi in partem ſollicitudinis coadunato, ſignanter tamen in *Petrum* & per eum in omnes ſibi canonice ſuccedentes, ſic pietatis ſummam transfudit in terris, ut acceptis celicis clavibus fierent celeſtis Regie janitores, quarum quidem miniſterio interdum pro ſubditorum ſalute liberalius eſt utendum. Quantum mortalium condicio lubrica ex infecte radicis traduce viciata in proclive malorum generali pravitate dilabitur, ita generalis ope levaminis noſcitur indigere. Hoc pio verſans in pectore felicis recordationis *Bonifacius* Papa VIII. predeceſſor noſter ſub certa forma, ſuis expreſſa literis, cunctis fidelibus quacunque(*m*) Authoritate Salvatoris noſtri anno centeſimo (futuris perpetuo numerando temporibus) dictorum Apoſtolorum ſacratiſſimas in urbe Romana Baſilicas devote viſitantibus omnem peccatorum remiſſionem pleniſſimam fuit miſericorditer impartitus. Verum quantum etatis humane anguſta mortalitas eſt obnoxia caſibus, tanto periculorum agmine concluſa, ut pauciſſimis reſpective contingat, ad metam dicti centeſimi pervenire. Nos vero immeriti ejus vices gerentes in terris, qui ſequenti turbe, ne in via deficeret, eſt miſertus, volentes, ut tam gratioſa concéſſio Domini pluralitate participantium amplietur, & eterna veluti reſarcitione diſpendii humane vite conſulere brevitati: De Fratrum noſtrorum conſilio centeſimum annum provida moderaminis lance ad quinquageſimum duximus redigendum, in hoc legalem veteris teſtamenti traditionem ſpiritualiter amplectentes, ut ſicut quinquageſimus ſub tempore legis annus jubileus nomen de gaudii ſignificatione ſortitus, longinquas ad cognatorum proſapias & poſſeſſiones translatas in alios ad primos Dominos revocabat pandendo carceres & debita relaxando, ſic noſter quinquageſimus per urbem gratie latitudine introductus animas delictorum illecebris devias conditoris reformet imperio, & reſtauraret conſorcio ſuper-

(*l*) Hanc Bullam uſpiam typis datam fuiſſe multa inquiſitione facta non reperio, quæ eo dignior ut hic apponatur integra, cum prima ſit, quæ Annum Jubilæum a ſpacio centum annorum ad quinquaginta traduxit. Illud autem merito deplorandum, quod ſcribam imperitiſſimum nacta ſit, qui eam obſcuriſſimis orationibus deturpavit. (*m*) Ita codex, ſed legendum: *quibuscunque*.

pernorum, diſcriminoſos criminum nodos abrumpat, & ſpiritualia debita, ad quorum ſatisfactionem reperiendam facultas non ſuppetit, meritorum condonet benigniter diſpenſatoria liberalitas remittentis. Nos igitur omnipotentis Dei, & glorioſe Genitricis ejusdem ineffabili pietate, ac Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, univerſis *Chriſti* fidelibus, qui anno quocunque a predicta utilitate quinquageſimo ſuccedentium temporum curriculis evolvendo, ſi *Romani* XXX. ſi vero peregrini XV. continuis, vel interpolatis diebus prelibatas Baſilicas tantorum Apoſtolorum memoria celebres, ac ſuorum corporum precioſo depoſito locupletes, nec non ſanctam *Lateranenſem* eccleſiam, ubi *Conſtantinus* clementiſſimus Imperator dictorum Apoſtolorum, jam in celis triumphantium, viſione luſtratus, & pia informatione premonitus, ac per beatum *Silveſtrum* Papam tam ſpiritualis quam corporee lepre remedia conſecutus, orthodoxe fidei cultum de tetris latebris in publicum ſecure libertatis eduxit, devote viſitaverint, nec non his, qui hujus viſitationis iter ſeu actum per eos aſſumptum infra anni dicti ſpacium implere nequiverit mortis preventu vel legitimo impedimento corporis obſiſtente, dummodo per veram penitentiam & confeſſionem preambulas Dominice menſe tunc ſe capaces exhibeant. Etſi religioſi exiſtant, ad peregrinationem & viſitationem predictas ex licentia ſuorum Prelatorum acceſſerint; de Fratrum noſtrorum Conſilio, & Apoſtolice plenitudine poteſtatis omnium peccatorum ſuorum remiſſionem pleniſſimam tenore preſentium indulgemus. Propter dicta vero vel aliquod predictorum Indulgentiis aliis per predeceſſores noſtros conceſſis viſitantibus Baſilicas & Eccleſias memoratas, & alias Eccleſias, ac pia loca urbis predicte in ullo prorſus intendimus derogare, ſed easdem omnes, & ſingulas innovando auctoritate Apoſtolica confirmamus.

De gratiis a Domino Rege Romanorum in curia impetratis, & obtentis. (n)

Cum ad omnem Sanctorum reverentiam Chriſtianorum cunctorum devocio debeat excitare, ſpecialiter tamen incole Regni *Boemie* ad Sancti

(n) Titulus hic non reſpondet ſubſtratæ materiæ, quæ eſt gratia per intercessionem S. Wenceslai obtenta.

Wenceslai noſtri incliti glorioſi Patroni laudes, & preconia extollenda eo affectuoſius, & devotius conſueverunt erigere, quanto magna (*o*) certum eſt in prefato Regno miracula varia & ſaluberrima remedia proveniſſe, & per ejus ſancta exempla celeſtis Regni aditum nobis declaratum fuiſſe. Hujus rei gratia ad amorem ipſius, & famulatum non ſolum miracula olim per ipſum facta, ſed & noſtris temporibus meritis ipſius, & interceſſionibus quam plura beneficia divina provenerunt. Anno namque predicto quidam adoleſcens bone indolis, de famoſa parentela civili in *Kutne* montibus propagatus, (*p*) propter quosdam naturales defectus mutus eſt effectus, ſed cum varia remedia, ſibi adhibita curationis cauſa, in nullo penitus extiterunt ſibi profutura, denique conſilio prehabito prefatus adoleſcens per parentes ſuos *Pragam* eſt aductus, ſed nec *Prage* beneficia medicine eidem ſuccurrere valuerunt. Porro querentes celeſtem medicinam ad ſepulchrum Sancti prefati ipſum adduxerunt, eidem ſacrificium contriti & humiliati cordis offerentes, precesque devotas fundentes exoraverunt, adoleſcens quoque affectuoſis ſuſpiriis cum gemitu interioris hominis Sanctum *Wenceslaum* deprecabatur pro ſanitate recuperanda. Et ecce celeſtis medicus jam dictus vota ſupplicantium ex alto reſpiciens miſericorditer affuit, medelam ſalubrem juveni contulit, cuncta impedimenta organorum vocalium exſtirpando, eum perfecte ſanavit. Qui mox Deo in ſancto *Wenceslao* magnis vocibus gratias & laudes referebat, ſitque ingens gaudium ſuis parentibus, & Clerus quoque cum populo ipſis ſincero affectu congaudebant, Deum in ſanctis ejus jugiter laudantes.

De coronatione Domini Karuli regis electi Romanorum in Regem Boemorum.

Dominus Deus omnipotens, qui continet in ſe virtutum cunctarum excellentiam ſummamque perfectionem, & omnibus ex ſua pietate entibus eſſe largitor, rector, & gubernator exiſtens univerſorum, a nullo quoque adjutus, nec directus, nec eſt cunctis in rebus, quod ejus regno non ſubjiciatur, & ab ipſo ſuam eſſentiam non ſortiatur. Eodem quoque univerſa ad debitum finem dirigente providit, & ordinavit illu-

(*o*) Lege, *majora*. (*p*) Beneſſius, qui ſtrictim hæc narrat, addit nomen adoleſcentis, *Eberhardus*, inquit, *filius Eberhardi*.

luſtrem & egregium Principem Dominum *Karulum* heredem Regni *Boemie* in Regem *Romanorum* ac *Boemorum*, non ſolum his regnis, ſed & univerſe ſancte eccleſie in hac laudabili perſona laudabiliter providendo. Hujus rei gratia ex divina clementia *Romanorum*, *Boemorumque* regnis poſt turbulenta & inordinata tempora quaſi aurea ſecula advenerunt, ut liquet ex cauſis legitimis, & preclaris; unde venit hora, & nunc eſt, in qua tota tetra *Ludovicice* fraudis, ac *Bavarice* caliginis nox preceſſit, & dies illuxit, in qua juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens ſuſcepit incrementum, creſcens in diem perfectam, in qua ſtatus eliminatur ſchiſmatice pravitatis, qui quam plures obumbrabat nubilo cecitatis. Ceterum cum prefatus Dominus in terra *Tyrolis* ſubjugatis ſuis adverſariis, caſtris, municionibusque plurimis obtentis *Pragam* revertitur de *Trideuto*, & antequam aſcenderet ad apices *Imperatorie* majeſtatis, voluit prius in Regem *Boemie* coronari, preparatis quoque cunctis neceſſariis, & proviſis ad tam magnificum, & celebre convivium celebrandum, omnibusque circumſtantiis adjunctis huic glorioſe ſolempnitati, coronatus eſt itaque corona illa, qua patre vivente debuit coronari, in qua inpendit plura millia marcarum, & quia obtulerat ipſam Deo: & beato *Wenceslao*, ſalutem anime ſue deſiderans & ſuorum ſucceſſorum, nec non proventus eccleſie Pragenſis ampliare ordinavit, quod Reges ſibi ſuccedentes eadem corona coronarentur, & quod quilibet eorum eccleſie prefate offerret marcas ducentas, (*q*) ut pro eisdem reditus prepararentur Dominis Canonicis, & ceteris Manſionariis equa parricione. Et quod de his prelibatis Regibus anniverſaria ſolempniter agerentur, & hec ad inſtantiam Domini Regis literis Papalibus ſunt firmiter roborata. Coronatur itaque Dominus Rex cum Domina *Blanczа* ſua conthorali, Anno Domini M. CCC. XLVII. die Dominico proximo ante beate *Marie* Virginis Nativitatem in eccleſia Pragenſi infra Miſſarum ſolempnia per Dominum Archiepiſcopum Pragenſem, Epiſcopis pluribus cooperantibus, in preſentia multorum Principum, Magnatum, & Baronum, qui ad hanc ſolempnitatem venerunt mundi partibus de diverſis, quibus Dominus Rex omnia neceſſaria mandaverat miniſtrare, fueratque conſtructa quedam domus mire magnitudinis in novo foro majoris civitatis Pragenſis in-

(*q*) Beneſſius p. 344. ad eundem an. ait: *CCC. ſexagenas in utilitatem eccleſie & Capituli convertendas.*

intrinſecus, & extrinſecus variis pannis nobilibus & ſericeis auro textis decenter ornata, in qua Dominus Rex & Regina in apparatu regali cum prefatis Principibus, & cunctis advenis convivium ſue coronationis celebravit, & ad menſas ſingulorum, & cunctorum eſt habundanter, & largiſſime miniſtratum, fitque letitia, & gaudium magnum univerſis tam glorioſo Principi congratulantibus. Hinc ſonus buccinarum ac diverſorum inſtrumentorum muſicorum ſuaviter reſonabat, hinc varia exercitia, ſenſibus hominum delectationem inducentia, frequentantur, & ſic tota dies in magna deducitur jucunditate, multa quoque dona & magnifica munera largitus eſt Dominus Rex tam advenis, quam indigenis, qui interfuerunt pretaxate ſolempnitati.

Eodem anno XIII. (r) die menſis *Octobris*, Dominus Rex cum valido exercitu nobilium Regni *Boemie*, quem cives Pragenſes, ac aliarum civitatum multum amplificaverunt, verſus *Bavariam* proceſſit cum comitatu Principum plurimorum. Et ecce facta eſt mutatio dextere Excelſi, que adverſarium eccleſie *Ludovicum Bavarum* evulſit de hac vita, ut non eſſet occaſio mortis & ruine multorum, & ut Princeps pacificus in pace intromitteret ſe de his, que ad Imperium dignoſcuntur pertinere. Undecima namque die menſis *Octobris Ludvico* ſchiſmatico de venatione transeunte verſus *Monacum* corruit de equo, fractaque cervice morte ſubitanea terminatur. Et ceu zyzania de agro Domini mundum triticum inficiens eradicatur. *Annis millenis trecentis bisque vicenis - - Junctis ſeptenis, poſtquam Deus eſt homo lenis, - - Quatuor exactis ter Octobrisque diebus - - Humanis rebus finem facit & male factis - - Verſutus Bavarus Papeque rebellis, Avarus - - Mox moriens ſub equum ruit, & bene, namque fuit - - Equum iſtud in exemplum ſit Principibus violentum - - Juxta Philoſophum non fore perpetuum.* Porro Dominus Rex nemine adverſante intromiſit ſe de *Ratisbona*, de *Nurenberg*, & de aliis civitatibus ſpectantibus ad Imperialem dignitatem, denique Principes diverſarum terrarum vicinarum venientes, ſe humiliter ſubjicientes omagium receperunt. Eodem anno Fratres, qui *Carmelite* nuncupantur, poſuerunt primum fundamentum erectionis Domus eorum extra muros civitatis Pragenſis. Monachi quoque Sclavi nigri ordinis

(r) Beneſſius ait: *die XI. menſis Octobris.*

nis de *Crowacie* (*s*) partibus venientes habitacula ſua inter *Sderas* & *Wyſſegrad* juxta eccleſiam Sanctorum Martirum *Coſme*, & *Damiani* locaverunt, & hec acta ſunt Domino Rege annuente, & ordinante ad cultum divinum amplificandum (*t*)

De fundatione Nove Civitatis Pragenſis, & de Epydymia valde gravi & perniciosa.

Rex Regum Dominus Deus Celi & terre, Imperator & rector, congrue poteſt auguſtus appellari, auget enim res de non eſſe in eſſe producendo. Denique potentia, ſapientia, bonitas, cunctarumque perfectio virtutum in ipſo ſunt per eſſentiam, in creaturis vero per participationem. Cui ſoli convenit eſſe omnis boni bonum, bonitas enim uniuscujusque eſt perfectio ipſius, Deus autem cum ſit ſimpliciter perfectus, ſua perfectione omnes rerum perfectiones comprehendit, & ita eſt omnis boni bonum. Ceterum ſummum Regem imitatus Sereniſſimus Princeps, & Dominus Dominus *Karulus* Rex *Romanorum* ac *Boemorum* ſemper Auguſtus, auxit enim regnum ſuum in ſpiritualibus, & temporalibus, ut liquet in predictis.

Anno quoque Domini M. CCC. XLVIII. XXVI. die *Marcii* (*u*), fundavit Dominus Rex prefatus *Novam Civitatem Pragenſem* manu propria

(*t*) Croaciæ. (*s*) Beneſſius hanc poſteriorem fundationem ad annum ſequentem rejecit. (*u*) Erravit Beneſſius, cum die *beati Marci* primarium lapidem poſitum a Carolo pag. 346. ſcribit, qui cujuscunque exemplaris errore inductus pro *Marcii* legit *Marci*, ad priores Romanos numeros dici, numerosque anni ſubjunctos non advertens. Tandem vero certam diem ſcilicet 26 Martii habemus poſiti fundamentalis lapidis Novæ civitatis, in quo variare authores, nec certum quid definitum fuiſſe haſtenus, recte advertit Doct. Pelzelius in vita Caroli P I p. 203. Sed jam errorem iſtum Beneſſius ipſe in poſteriore Chronico ſuo, quod Tomo IV. Monumentorum noſtrorum excuſum dedimus emendare viſus, quantumvis transſumptoris oſcitantia ibidem XXV. dies Martii pro XXVI. poſita fuerit. Id unum maxime miratus ſum mox nominatum Doctiſſimum Virum tam indignam in Chronicon iſtud a me editum ſtrinxiſſe cenſuram, ut in Præfatione Beneſſii ſui p. XVII. aſſerere auſus ſit: id plane *Beneſſio indignum eſſe*, quod niſi adhuc ineditum manuſcriptumque cum eo communicaſſem (Beneſſii Libris IV. necdum detectis) neſcio, quam feliciter Caroli vitam ſcripſiſſet. Sed dabitur occaſio omnia ejus injecta dubia

&

pria primum lapidem ponendo. Eodem anno die XVII. *Januarii* hora XVII. minuta unius hore VII. poſt meridiem fuit ecclipſis lune, & fuit duratio ejus a prima usque ad finem trium horarum XXVIII. fere minuta. Et erat ecclipſis cum commixtione magna virtutum planetarum, que erant quaſi in dyametro in aſpectu oppoſitionis. *Sol*, *Luna*, *Venus*, *Mercurius*, & *Mars*, & apparebat ibi jugiter *Saturnus*, excommixtionis virtute effectus ipſius eſt ſubſecutus, ſcilicet terre motus maximus in longitudine, & latitudine per plurimas terras, & regna extenſus, & precipue in montanis *Carinthie* nimium invaluit, quod caſtra plura funditus conquaſſavit, Monaſteria quoque cum villis, multisque variis edificiis totaliter evertit, & fuit hoc, quando luna & ſignifertores pervenerunt ad loca, ubi fuit virtus corum concitata, & fuerunt due apparitiones portarum magne, que ſtatim ſequebantur ecclipſim, & he fuerunt *Veneris*, & *Martis* in dyametro, & *Mercurii* & *Jovis*, & fuit XXV. die *Januarii*. Eodem anno & menſe in feſto Converſionis Beati *Pauli* Apoſtoli, & ipſo die in multis terris fuit magnus motus terre, ſed in *Boemia* minor, quia edificia non corruerunt, & motus ſimilis non recordatur, nec in Cronicis reperitur. Poſt hec ſubſecuta eſt maxima & horribilis ephydimia & peſtilencia, que duravit fere per totam eſtatem & autumpnum, cui ſimilis nunquam audita eſt, nec reperta, que ſe extenderat lacius, & longius per diverſas terras, & regna, nam *Janua*, & *Pyſis*, & plures famoſe civitates ſunt facte deſerte per mortalitatem; in *Venetiis*, in *Florentia*, in *Bononia* vix unica pars, in aliis partibus & civitatibus tertia pars, vel minor populi remanſit; Et non ſolum in terris Chriſtianorum, ſed etiam in terris Paganorum prefata ephydimia homines extinxit terribiliter devaſtando, unde *Saracenis* & *Turcis* defunctis Cruciferi cum alba cruce de ſepulchro Domini ſe ſine magno impedimento intromiſerunt. Et tunc temporis cariſto (*x*) & flamma mire magnitudinis cecidit ſuper *Anchonam* civitatem, homines & cuncta in ea contenta, cremando & in cinerem rediigendo exceptis ſexaginta hominibus, qui de ipſa fugierunt. Eodem anno poſterius venit ne-

& difficultates convellendi, oſtendendique, quod Beneſſius re ipſa Ordinem S. Franciſci profeſſus fuerit, præſertim cum integrum, longiusque procurrens Beneſſii exemplar mihi promiſſum ſit. Nam Metropolitanum mutilum eſſe ipſe non diffiteretur.

(*x*) Ita vox diſtinctis literis ſine ſigno abbreviationis in codice expreſſa, quid notet non aſſequor, niſi forte *fulgur*, ut alibi *cariſtata galeæ* pro fulgurante.

nebula denſa, & obſcura, quod homo hominem cominus non videbat, que duravit in dicta civitate per plures horas, poſt cujus diſceſſum reperta ſunt quatuor millia corpora hominum defunctorum. Eodem anno in *Cathaym* & in finibus ejus pluit aqua mixta cum maxima multitudine vermium & ſerpentum, & ranarum, in quibus eſt multitudo magna interempta, & devorata, & quicunque tangebat defunctum, mox cadebat moriendo; Et tunc temporis in terra, que eſt inter *Cathaym* & *Perſidem* pluit ignis in globis ſive peciis ad modum nivis, qui villas, civitates, & caſtra incendit, qui continentia & contenta cremavit in cineres rediigendo, lapides quoque & muri adinſtar lignorum comburebantur, ex quo procedebat fumus nimium peſtiferus, & nocivus. Nam quicunque illum videbant, vix ad unam diem vivebant, & multi decedebant ex viſu, & contactu illorum defunctorum. Et quam plures galee in mari *Januenſium*, & aliarum civitatum per viſum, & per infectum aerem, per fumum prefatum emoriebantur, ex quibus pauci ad propria remeaverunt, ibidem decedentes in *Conſtantinopoli*, & in vicinis civitatibus & in *Sicilia*, in quibusdam provinciis pauci viventes remanſerunt. Denique propter prefatam ephydimiam *Marſilia* fuit totaliter depopulata, & in vicinis civitatibus multa millia hominum deceſſerunt, cauſe autem hujus ex predictis patent intuenti. Eodem anno viſus eſt ignis magne quantitatis moveri de occidente verſus orientem, & magni lapides de nubibus celi ceciderunt, de quibus unus pro miro Regi *Francie* eſt in *Aſulo* deportatus. Et quidam Rex gentilis magnus, Dominus fere totius *Barbarie*, fecit fieri viam pro mercatoribus, verſus *Januam* per deſertum & dum ad videndum eam cum magna familia tranſiret, venerunt nuncii aſſerentes, quod quam plures uxores ſue infra duos dies eſſent defuncte, & omnes homines ſue civitatis mortalitate terminarentur; Rex nimis territus ait, Dei eſt hoc judicium volentis quod ſucipiamus fidem Chriſtianam, & miſit nuncios pro conſiliariis ſuis, volens eſſe Chriſtianus. Qui cum audiviſſet, quod Chriſtiani ita morerentur, ſicut *Saraceni*, recuſavit baptizari; & inter gentiles tunc temporis ceciderunt fulgura de celo, & combuſſit duas civitates magnas, videlicet *Amoden* & *Jaboren*, & cum omnibus, que eis adjacebant totaliter conſummendo. Preter ea in prefato die Converſionis Sancti *Pauli* propter motum terre maximum *Ravenna*, & quam plures alie civitates ſunt in edificiis pro magna parte & in muris deſtructe, & multi homines oppreſſi interierunt, & tranſeundo verſus *Villacum* in pluribus locis plura clauſtra &

eccleſie cum variis edificiis corruerunt, & prope ibidem montes cadentes XXIII. villas obruerunt, homines, & jumenta exterminando, predicta quoque civitas eſt funditus deſtructa, & caſtra vicina XXXIV. ceciderunt, & terra in diverſis ſcindebatur locis, & tremore magno longo tempore paciebatur; Et tunc in tota *Carinthia* & *Carniola*, & in terris vicinis maxima dampna evenerunt, mortalitas quoque ad *Auſtriam* etiam pervenit, & in Regno *Boemie* inceperat dominari, ſed aura recens, & frigida ipſam eliminavit; ſed Deo pocius, & ſuis Sanctis eſt gratias agendum. Eodem tempore quidam ſtudentes de *Bononia* verſus *Boemiam* transeuntes, viderunt quod in civitatibus, & in caſtellis pauci homines vivi remanſerunt, & in aliquibus omnes defuncti fuerunt, in multis quoque domibus, qui vivi remanſerant, & egritudine oppreſſi, unus alteri non potuerant porrigere hauſtum aque, nec in aliquo miniſtrare, & ſic in magna afflictione & anxietate decedebant. Sacerdotes quoque, miniſtrantes Sacramenta, & Medici egris medicamenta, ab ipſis inficiebantur, & moriebantur, & plurimi ſacerdotibus mortuis ſine confeſſione & Sacramentis eccleſie de hac vita migraverunt, facte ſunt autem foſſe magne, late, & profunde, in quibus corpora defunctorum ſepeliebantur; in locis quoque pluribus infectus aer plus inficiebatur, qui plus nocet quam cibus corruptus, ex putredine cadaverum, quia non remanſit ſuperſtes, qui ſepeliret, verum tamen de prefatis ſtudentibus niſi unus fuit *Boemiam* reverſus, ſodalesque ſui in via deceſſerunt. Advertendum eſt quoque, quod ſic per corporalia, & ſenſibilia mens hominis in Deum poteſt elevari, ſi quis cum reverentia Dei & timore debito modo eisdem utatur, ita etiam eorum uſus indebitus amori carnali annexus mentem a Deo vel totaliter abſtrahit, cum in rebus conſtituitur inferioribus, vel mentis intentionem a Deo retardat ſecundum plus & minus ſubſequente affectus diverſitate, hinc eſt quod avari, guloſi, luxurioſi & ceteri vitioſi his ſenſibilibus rebusque corporalibus enormiter utentes & excecabili amore eisdem inherentes offendunt Dominum, juſtitiam ejus contra ſe provocando, & precipue peccatis contra naturam, unde ſicut olim ante legem & ſub lege veteri, ita & nunc culpis exigentibus ephydimia & plagis aliis homines afflixit temporaliter, multos ex his eternaliter condempnando. Et ſequenti anno prima die *Auguſti*, que fuit dies Veneris, & ad Vincula Sancti *Petri*, obiit Regina *Boemie* Domina *Blancza* prima conthoralis incliti Domini *Caroli* Regis *Boemie* & *Romanorum*, & cum magno apparatu, & ſolempnitate ſepul-

pulta eſt in eccleſia Pragenſi, que huic plurima legavit & precipue regales cortinas.

De ſecundo matrimonio Domini Karuli Regis Boemie ac Romanorum.

Anno Domini M. CCC. XLVIII. Domino *Karulo* Regi *Romanorum* & *Boemorum* extitit matrimonialiter copulata filia Comitis de *Falcz*, nomine *Anna*, in die translationis Sancti *Wenceslai*, que fuit quarta feria poſt *Reminiſcere*, & fuerunt nupcie ſolempniter celebrate in caſtro *Bacharaco* ſuper *Renum*. Et eodem anno in dominica *Omnis terra*, prefata Domina Regina peperit filium primogenitum (*y*) & baptiſatus eſt in caſtro Pragenſi in eccleſia Cathedrali cum magna ſolempnitate nomine *Wenceslaus*. Et eodem anno *Wolkmarus* Marchio de *Branburk* reverſus eſt ad ſuum Principatum, qui multis annis de ipſo ſe abſentavit, in aliis terris variis & regnis incognitus degendo, & multas adverſitates ſuſtinendo. Et dum crederetur de hac vita deceſiſſe, *Ludvicus Bavarus*, qui ſe gerebat pro Imperatore, filium ſuum ad prefatum Principatum ſubſtituit & promovit. (*z*) Et dum idem prefato Principi reverſo reſiſteret, nec admitteret dominari, hic mox Domini *Karuli* Regis *Romanorum* ac *Boemorum* auxilium & ſubſidium inſtantiſſime poſtulavit, cujus precibus Dominus Rex annuens, cum valido ac potenti exercitu in adjutorium ſuum properavit, & adverſarios ſuos humiliavit, & ante civitatem *Ffrankfwoycz* multos milites fecit, & baltheo militari precinxit. Et exinde multum notabilibus, & multis actibus perpetratis Princeps prefatus a Domino Rege in feodo accepit dictum Principatum. Eodem anno XXIII. *Julii* feria IV. hora veſperarum fuit apertio portarum,

(*y*) Intelligendum de eodem anno nuptiarum celebratarum adhuc currente, ſi autem agatur de anno ſolari, filius hic primogenitus Wenceslaus dictus primum anno ſequente 1349. natus eſt, ut recte adnotavit Beneſſius, quod ipſum innuit Franciſcus, cum natum ait Dominica *Omnis terra*, quæ eſt Dominica ſecunda Epiphaniæ, atque eo anno in 18 Januarii incidit, cum nuptiæ anno priore 4 Martii celebratæ fuerint.
(*z*) Novum Synchroni authoris teſtimonium Waldemarum Marchionem Brandeburgenſem pridem defunctum ſuperſtitem creditum fuiſſe.

& ventus fortis cum maxima pluvia & vehementi, & tunc plurima nocumenta ſunt ſubſecuta, precipue in montibus *Endie*, ita quod plurima hoſpicia corruerunt, & multitudo hominum periit, & fuit ſuffocata maxima in foſſis per aquam nimiam & vehementem. Eodem tempore Rex fratri ſuo Domino *Johanni* Marchionatum *Moravie* liberaliter contulit in preſentia Principum diverſorum. Eodem anno currente venerunt *Pragam* multi penitentiam agentes de diverſis terris ſenes & juvenes, turmatim & proceſſionaliter in ciliciis, & eccleſias circumcurrentes, precincti manus panno linteo, ſuperius nudi incedebant ſe graviter flagellantes usque ad largam ſanguinis effuſionem, flagella autem eorum erant nodoſa in quibus quaſi acus, ſive aculei ferrei erant infixi, & in primo eorum adventu multos ad devotionem provocabant. Qui ſe flagellantes canticum quoddam vulgaliter decantabant, & multi incole terre *Boemie* de eorum inſolita & laborioſa penitentia mirabantur, & eis opera miſericordie plurima inpendebant, & multi de *Boemia* tam *Boemi*, quam *Theutonici* eisdem jungebantur. Et quia ſecta eorum erat non modicum corrupta, in ſe continens varios errores, quibus cognitis Dominus Archiepiſcopus cum aliis Prelatis eccleſiarum amplius ipſos ſuſtinere nolentes de *Boemia* exire coegerunt.

De Confirmatione ſtudii generalis in civitate Pragenſi.

Sunt duo loca, inter que anima humana conſiſtens, ad utrumque ſe poteſt movere. Deus eſt in ſummo, mundus in imo, medium autem oportet participare conditiones aliquas extremam propter connexionem univerſi. Et imo oportet, quod anima in aliquo conveniat cum eternis, & in aliquo cum temporalibus. Cum eternis quidem in hoc, quod ſecundum ſubſtantiam eſt omnino ſtabilis & manens in eternum, & convenit cum temporalibus in hoc, quod ſecundum aliquas operationes eſt mutabilis. Hujus rei gratia, ſi ipſa in his, que deorſum ſunt, ſe per cupiditatem inmerſit, per varias diſtractiones rapietur, & a ſe quodamodo diviſa diſſipabitur. Sed hoc non poteſt vitare niſi per ſtudium ſapientie, & diſcipline, uſus enim diſcipline dirigit animam ad virtutes, virtus autem ducit ad beatitudinem eternam. Porro inclitus Dominus *Karulus* Rex *Boemorum* ac *Romanorum* advertens maximam utilitatem ſtudii ſapientie, & virtutis, generale ſtudium Pragenſis civitatis ſuis literis regalibus aurea bulla roboratis gratioſiſſime corfirmavit, perpendens inſuper

per quod bona anime ſunt preſtantiora, excellentiora, nobiliora bonis nature & fortune, cupiens igitur, ut prefatum ſtudium generale bonum & felicem finem ſortiretur, vocavit, & literis ſuis accerſiri juſſit de variis ſtudiis aliarum terrarum Magiſtros & Doctores, quibus legaliter providit, & generoſe, ut pro ſuis laboribus haberent vite preſentis neceſſitatem ac largas proviſiones. Fuerunt autem quinque Magiſtri *Theologie*, quorum unus legit in eccleſia Pragenſi, & predicavit. Cui venerabilis Pater, & Dominus Dominus *Arneſtus* primus Archiepiſcopus Pragenſis honorifice providit, & copioſe; alii vero Magiſtri in Monaſteriis ſui ordinis ſacram *Theologiam* legerunt, & hujuscemodi acta ſaluberrima in hac terra *Boemie* nunquam viſa, nec audita fuerunt. Jus autem *Canonicum* legit Doctor Decretorum de *Bononia* vocatus, & idem Jus *Canonicum* legit in eccleſia Pragenſi Magiſter *Stephanus* prefati Domini Archiepiſcopi Cancellarius, Magiſter vero *Balthaſar* de *Tuſia* legit libros artis Medicine, (*a*) alii vero Magiſtri in ſcolis ſuis artes legerunt liberales. Ceterum more generalium ſtudiorum ſingulis annis electus fuit Rector Univerſitatis & ſolempniter in eccleſia Pragenſi approbatus. Porro Dominus Rex eidem ac ceteris generalis ſtudii ſcolaribus generoſas donavit libertates, qui cum Domino Archiepiſcopo ad melioris ſtatus perfectionem, & ejus felicem conſummationem mandavit clero totius regni *Boemie* donari, & afferri contributionem copioſam. Eodem tempore venit ad Dominum Regem quondam Rome urbis Tribunus nomine *Nicolaus* (*b*) vir magne literature, & facundie, primum quidem civis *Romanus* ſed Principatum prefatum aſſecutus ſe in ſuis literis ſcribebat *Nicolaus Tribunus ſeverus & clemens*, & deinde *Nicolaus candidatus miles Spititus ſancti*, quia ut dicitur in die Penthecoſtes nutu divino, ut aſſeruit, fuit in tribunum electus, & pluribus coronis coronatus, ut ex ſuis literis colligitur evidenter, quo Principatu adepto fertur magnam utilitatem reipublice & univerſitati procuraſſe, & plura bella comiſiſſe, ita quod *Columpnenſes* Principales in urbe *Romana* proſtravit, ac delevit, qui in tantam elationem elevatus, & preſumptionem primum quidem *Bavarum Ludvicum*, dein ipſo defuncto, Dominum noſtrum Regem, in Regem *Romanorum* electum, & omnes Electores

(*a*) Hæc peculiaria ſunt, quæ nuſpiam apud alium reperies. (*b*) Beneſſius ad annum 1349. hanc narrationem reponit.

res ad curiam ſuam literatorie citavit; Qui prehabito conſilio citationes ſuas contempſerunt, & ad hoc faciendum aſſeruit ſe ex privilegiis antiquorum Principum *Romanorum* habere plenam auctoritatem; ceterum conſpiratione contra eum facta per prefectum urbis prefate repulſus & fidefragus effectus, dicto Tribuno exilium procuravit. Qui ad montes *Witanos* veniens cum heremitis fratribus *Minoribus*, quorum ordinem dicitur fuiſſe profeſſus, veniensque ad eum quidam heremita, nomine *Anglicus*, ipſum nomine proprio ſalutavit, quo mirante, quod nomen ſuum fuerit occultatum, tunc ait illi: ſatis pro te orationibus & contemplationi vacaſti, expedit jam, ut pro utilitate proximi, & republica utiliter ſtudeas inſudare, dans eidem certos legationis articulos ad Regem *Romanorum* ex parte ſua perferendos, quo in hoc facto heſitante ſubjunxit prefatus heremita: vadas ſine formidine, nam pro ſigno reperies apud ipſum talem librum ſic intitulatum, tandem veniens ad Dominum Regem propoſuit ſatis erroneam ſuam legationem, & libro ſibi oſtenſo *Johannis* heretici hic condempnati, in quo perlectis quibusdam capitulis oſculatus eſt eum, dicens: iſte eſt liber, quem queſivi, & ecce inveni; quo facto dixit, quod infra annum & dimidium magna perſecutio Cleri eſſe deberet, ita quod Papa eſſet in periculo in propria perſona, & quod occidentur multi Cardinales, & quod infra tempus jam dictum deberet modernus Papa de hac vita migrare, & alter loco pauper eligi, qui edificare deberet templum pulcrius templo *Salomonis* in urbe *Romana* in honore ſancti *Spiritus*, ad quem Papa, reſidui Cardinales confugerent, & veniam poſtularent, ſed gratiam non conſequerentur; & quod poſt quindecim annos deberet eſſe unus Paſtor, & una fides, & quod prefatus novus Papa, Dominus Rex noſter, & ipſe tribunus deberent eſſe quaſi veſtigium ſancte *Trinitatis*. Aſſerebat quoque, quod dictus Dominus Rex noſter deberet regnare in iſtis terris, ipſe vero tribunus in partibus ultramarinis, & alia plura his ſimilia proferebat, & etiam erronea, propter que tanquam de hereſi ſuſpectus fuit per Dominum Archiepiſcopum arreſtatus, & deinde publicatis proceſſibus in eccleſia Pragenſi, qui fuerant per Epiſcopum *Spoletanum* huc miſſi, ſedis Apoſtolice legatum, in quibus ratione contumacie in negotio fidei pro heretico condempnabatur. Hujus rei gratia Dominus Rex & Dominus Archiepiſcopus predictum tribunum ad curiam Pape transmiſerunt.

De

De allatione magnarum Reliquiarum Imperii ad Pragenſem civitatem.

Dem glorioſum, velut piiſſimum Regem, & Imperatorem benigniſſimum credimus omnia in omnibus impartiri, nunc quidem ſalutis principia inſpirare, & inſerere bone voluntatis ardorem, nunc vero virtutes heroycas ſive Theologicas, nec non habitus aliarum virtutum infundere, nunc vero bona varia ſpiritualia, & corporalia ſuis tribuit creaturis, & quia non modica bona, ſed maxima dona largitus eſt tibi Dominus Deus tuus o *Boemia* per Dominum Regem *Karulum*, & tuum quaſi per inſtrumentum ſue clementiſſime providentie, videlicet ſanctuaria, que videntur ad ipſum pertinere, hujus rei gratia, non ut ingrata, ſed Domino Deo grata, cum univerſis generibus creaturarum in te contentarum in laudem tui exſurgas plaſmatoris, & immenſas gratiarum actiones ipſi devote referendo. Attende igitur prefati beneficii pretioſitatem, quo te gratioſe locupletavit, & per conſequens ſuper alia regna exaltavit. Anno igitur Domini M. CCC. XLIX. prefatus Dominus Rex accerſito filio *Ludvici Bavari* in preſentia multorum Principum in Pragenſi civitate ſecum concordavit, quod predicta Sanctuaria Imperii in *Boemiam* ſibi adducerentur. Porro Dominus Rex ſolempnes nuncios miſit *Bavariam* in *Monachum* propter allationem reliquiarum, quibus allatis Dominus Rex in die *Palmarum* cum Domino Archiepiſcopo, ac aliis Principibus, & nobilibus, nec non cum Clero univerſo, comitante turba plebis copioſa, pedeſter, obviavit Sanctuariis ad *Wyſſegradum* cum magna ſolempnitate & devotione. Et in Nova Civitate fuerunt monſtrata univerſitati, premiſſa exhortatione, deinde conductiſta ad caſtrum Pragenſe. Sunt autem hec Sanctuaria Imperii: Pars magna ſancte Crucis, & lancea, cum qua fuit in ipſa cruce latus Domini transfixum, & clavus, cum quo fuit Dominus eidem cruci affixus, & plura alia, Sancti *Karuli* Imperialis & gladius, qui fuit ſibi divinitus miſſus. Mandavit autem Dominus Rex prefatus ceteris temporibus, ut dicte reliquie incolis ſui regni monſtrarentur, & vero ex devotione plurimi affecti, etiam de aliis terris properabant. Eodem tempore Dominus Rex non ſolum cultum divinum, ſed & reliquias Sanctorum in eccleſia Pragenſi augmentavit, donavit itaque eidem caput beati *Ignatii* Martiris, & Pontificis, qui fuit de cognatione Salvatoris, ſcripſit quoque epiſtolas, ſive

li-

literas beate *Marie* virgini, ipſa quoque eidem reſcripſit gratioſe, alias quoque multas reliquias, & varias Apoſtolorum, Martirum & Confeſſorum ornatas auro, & argento, & gemmis pretioſis, quod nullus aliorum Regum hujus regni prefatam eccleſiam Pragenſem tam excellenter & magnifice exaltavit, ditavit & honoravit.

De circumſtantiis anni gratie, & Jubilei.

Anno Domini M. CCC. L. In pluribus epydimia, ſive peſtilentia genus humanum devaſtavit, ſed tunc in *Boemia* etiam locum habebat, quam ob rem multi effugere volentes *Romam* iter arripuerunt, & tamen ipſam non evaſerunt, unde de iis idem poteſt dici verſus: *Incidit in cillam volens vitare caribdim*, verum tamen ſecurius & melius fuit eis ad animarum ſalutem in peregrinatione decedere, quam in propria patria in periculis manere. Et quia iſte annus erat annus gratie & jubileus multi *Romam* tranſeuntes pro indulgentia, & gratia obtinenda de hac vita migrarunt, quidam in urbe *Romana*, quidam vero ab ipſa recedentes, quidam ad eam accedentes, itaque quorumcunque tertia vel quarta, vel media pars moriebatur, & quoque omnes, qui erant in ſocietate una, vel comitatu de hac vita deceſſerunt; hujus rei gratia cemeterium vicinum eccleſie Sancti *Petri*, quod ſacer campus nuncupatur, fuit multum dilatatum, quia non poterat capere corpora defunctorum peregrinorum, unde propter maximam multitudinem advenientium, & de toto mundo confluentium fuit magna cariſtia, & defectus victualium, ita quod multi incole Urbis *limpha* pro vino utebantur, unde tam Clerus quam populus in urbe *Romana* in temporalibus multum profecerunt, in naturalibus vero non modicum defecerunt, nam infectus aer, qui & corruptus fuit ex ſpurciciis peregr norum, multos *Romanos* infecit, qui non morte naturali, ſed violenta de hac vita migraverunt. In precedenti vero anno in prefata urbe *Romana* fuit facta eccliſis ſolis particularis, que non fuit hic, ſed pridem fuit hic, ſed non illic, & tunc temporis fuit motus terre, quia quedam eccleſie & domus in prefata urbe corruerunt, incole vero ejusdem quaſi diem noviſſimum metuentes cum luctu magno & ejulatu exeuntes in vineis, & in campis per plures dies habitarunt.

Mi-

Miraculum.

Anno Domini M. CCC. LI. Virgo quedam Zycania nomine, que ex nimio dolore oculorum extitit totaliter excecata, cum eadem cecitate pluribus annis duravit, que cum audiviſſet de operibus miſericordie, & de magna pietate, quam impendit indigentibus, & variis neceſſitatibus oppreſſis Sanctus *Wenceslaus*, magna devotione ad ipſum affecta, peciit amicos ſuos, ut ad Pragenſem civitatem duceretur, que dum adducta fuiſſet, poſt refectionem corporalem, & gratiarum actionem accepto baculo ſurgens devote protulit hec verba: o Beate *Wenceslae* glorioſe noſter Patrone, qui es pauperum adjutor, & oppreſſorum relevator, adjuva me, ut ſine ductore ad tuum ſanctum corpus valeam pervenire, hoc dicto mox viſum clare habuit, & abjecto baculo cum ſuis amicis ad eccleſiam Pragenſem pervenit, & ante ſepulchrum Beati *Wenceslai* grates agendo, omnibus, qui aderant, narravit, de ipſius illuminatione, & viſus reſtitutione. *Et ego FRANCISCUS Penitentiarius Domini Archiepiſcopi editor hujus Cronice* plures Canonicos & Miniſtros Pragenſis eccleſie adduxi in teſtimonium, ad hujus miraculi majorem declarationem.

Aliud miraculum.

Eodem anno fuit quidam adductus ad Pragenſem civitatem, qui pluribus annis fuit contractus, & officium pedum, & manuum per beneficia medicine corporalis non valuit rehabere, convertit ſe igitur toto cordis affectu ad Sanctum *Wenceslaum* vota vovens & orationes cordis, & oris offerens, & per merita beati *Wenceslai* integram recuperavit ſanitatem, qui incolumis veniens ad ſepulchrum beati *Wenceslai* eidem immenſas retulit gratiarum actiones, & omnibus audientibus narravit ſuam gratioſam curationem. Eodem tempore Dominus Rex montem *Wiſſegradenſem* muris cinxit fortiſſimis, & turribus firmans ipſum venuſte decoravit. Eodem tempore prefatus Dominus Rex in ſua Nova civitate Pragenſi eccleſiam Sancti *Caroli* errexit, in qua Canonicos Regulares locavit eisdem de neceſſitatibus temporalibus largiter providendo. Eodem anno filius Domini Regis nomine *Wenceslaus* puer (*c*) duorum

(*c*) Abhinc ceſſat character prioris ſcribæ, novusque incipit.

annorum de hac vita in die Sancti *Stephani* & in ecclesia Pragensi est sepultus. Et in *Ancona* civitate *Lombardie* ignis maximus de celo cecidit, & totaliter ipsam cremavit.

Anno Domini M. CCC. LII. fuit in Apulia maximus terre motus. Eodem anno Dominus Rex contra quosdam nobiles se erexerat, & ipsi se sibi oppossuerant, qui cum vallido exercitu intulit eis multa dampna, viriliter eos subjugavit suo regimini subjiciendo, & eodem tempore de *Florentia*, & de aliis civitatibus *Thuscie*, ac *Longobardie* venerunt venerabiles viri suam peragentes legationem, & per literas suas se Domino Regi subjiciebant, & ipsum ad suas partes invitabant. Eodem anno *Clemens* Papa in die beati *Nicolai* nature debitum solvit de hac vita migrando, & post sex dies Dominus *Stephanus* Penitentiarius loco ipsius est electus *Innocentius* nominatus. Eodem anno Dominus *Johannes* episcopus *Olomucensis*, qui prius fuerat Prepositus *Wissegradensis*, (*d*) & successit ei Prepositus Omnium Sanctorum Dominus *Johannes* vir honorabilis, & fuit in ecclesia Pragensi in episcopum solempniter a Domino Archiepiscopo consecratus. Eodem anno obiit *Anna* Regina *Boemie* in ecclesia pragensi solempniter sepulta, & fuit ecclipsis lune, & diu duravit, quam siccitas magna fuit subsecuta, in pluribus locis frumenta, & alia terre nascentia defecerunt.

Anno Domini M. CCC. LIII. in Dominica infra Nativitatem Domini, Dominus Papa *Innocentius* fuit more consueto consecratus, & corona Summi Pontificis coronatus. Eodem anno Dominus Rex ex quadam devotione intravit monasterium virginum ad Sanctum *Franciscum*, & cum allate fuissent (*e*) abscidit particulam de digito Sancti *Nicolai*, & mox apparuit caro rubra, & sanguinolenta, & in cultello due gutte sanguinee apparuerunt, & post plures dies Dominus Rex cum Domino Archiepiscopo reversus ad prefatum monasterium abscissam particulam digiti applicavit majori parti, & continuo ei adhesit, acsi incisio non fuisset, sed modica remansit cycatrix. Eodem tempore Dominus Rex quatuor altaria construxit in ecclesia Pragensi, & unum ex his fecit

(*d*) Supple: mortuus est. (*e*) Supple: *reliquie*.

cit in honorem Sancti *Nicolai* conſecrari. Eodem anno nuptie celebrate ſolempniter fuerunt filie regis noſtri, & filii Ducis *Auſtrie* (*f*) in Pragenſi civitate. Eodem anno Dominus Rex duxit in uxorem filiam fratris Ducis de *Swydniz* nomine *Annam*, & fuit coronata in Reginam *Boemie* eodem (*g*) XXVIII. die *Julii* infra ſolempnia Miſſarum, & hec eſt Domini Regis tertia conthoralis. *Et hic eſt finis Cronice.*

(*f*) Benesius filiam *Katharinam*, ſponſum *Rudolfum* exprimit. (*g*) Scilicet adhuc anno.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

AD

FRAGMENTUM CODICIS PRÆBENDARUM, DISTRIBUTIONUM ET OFFICIORUM ECCLESIÆ S. GEORGII ORD. S. BENEDICTI IN CASTRO PRAGENSI.

Conſilium voluntasque noſtra erat hic proferendi apographum fragmentum tranſumtum ex vetere codice monaſterii Sanctimonialium Ordinis Sancti Benedicti primi omnium in caſtro Pragenſi anno 967. erecti, quod ante annos facile viginti nobiscum benevole communicaverat Reverendiſſimus D. piæ memoriæ Joannes Franciſcus Barthon tum adhuc Canonicus, poſtea digniſſimus Decanus Metropolitanæ eccleſiæ ex archivo ejusdem Parthenonis depromptum. Non fuiſſe id autographum & memoriæ quæquæ vetuſtioris ſcribæ, & charta, & characteres & cyphræ Arabicæ prodebant, luculenterque oſtendebant ſeculo medio ſupra decimum quartum ex vetuſtiore codice tranſcriptum fuiſſe. Cum vero fragmentum iſtud jam jam pluribus animadverſionibus illuſtratum prelo typographico ſubjicere paramus, conſiliumque noſtrum Clariſſimo viro amicoque ſuaviſſimo D. Raphaeli Ungar Bibliothecæ Cæſareæ Pragenſis Præfecto primario aperimus, ab eodem edocemur: Autographum ipſum membranaceum in Bibliotheca Cæſarea aſſervari, quod pro ſua erga nos benevolentia præter hæſitationem nobiscum communicandum annuit, ut proinde jam editio multo emendatior integrior-

griorque prodeat, nam ſcriba ille, qui ſæculo XV. apographum archivi S. Georgii tranſumpſerat, majore, atque fas eſt, uſus licentia, non modo ubivis numeris Romanis Arabicos ſubſtituit, ſed etiam narrationes ipſas centum triginta tribus paragraphis diſtinxit, imo nonnulla ſequius legit, nonnulla dormitans prætermiſit, quædam etiam ſuo arbitratu explicavit. Comparet itaque exemplar diligenter accuratum ad fidem autographi, fragmenti, inquam, duodecim foliorum ex vaſtiore vetere membranaceo codice reſiduorum, quæ ne perirent poſteriorum poſſeſſorum prudentia ſagacitasque proſpexit, ut nova theca veſtirentur. Folia quidem iſta magnitudine & latitudine ſua communem membranaceorum codicum menſuram multum ſuperant, primorumque foliorum margines fuligine notati innuunt, hoc fragmentum cujuscujus demum incendii flammis fuiſſe ereptum. Character ſemiuncialis monachalis elegans eſt & ad paginam usque primam ſupra vigeſimam æqualis, cui alius jam ſcriba obtigit, quem alterius & tertii quartique manus excepit; paginæ priores undecim in duas columnas ſectæ, reliquæ una linea per totam latitudinem currente ſcriptæ ſunt. Inter annos 1352-62, codicem iſtum exaratum fuiſſe plura indicia reliquit ſcriba, nam de Innocentio VI. Pontifice Romano loquens ait: *Innocencii moderni*, de Carolo IV. Rom. Imp. *qui Romanorum modo tenet Imperium*, denique de Arneſto Archiepiſcopo primo Pragenſi: *Arneſti modo jam Archiepiſcopi*, quibus verbis teſtatum reliquit ſe hoc annorum intervallo ſcripſiſſe.

Ut jam de argumento codicis iſtius præfemur; Plura is olim complexus fuiſſe videtur, præterque Præbendarum, diſtributionum officiorumque eccleſiaſticorum hujus eccleſiæ conſignationem, etiam donationum, fundationum, privilegiorumque inſtrumenta comprehendiſſe, cum poſtremum ad Librum IIII. donationum fiat revocatio. Principio præmiſit compilator, quisquis demum fuit, paræneſin prolixam ad Clerum eccleſiæ S. Georgii ſeu a ſe ſeu alio factam, qua exaggerat gravitatem implendi

di injuncti divini officii, voluntatique postremæ fundatorum, testatorum, benefactorumque satisfaciendi, quod argumentum plurimis terriculosis exemplis e Sacra Scriptura, historia profana, patriaque urget, ut ostendat plenam periculi aleam eos subire, qui majoribus suis & benefactoribus ingrati, beneficiorumque immemores officia divina, oneraque imposita negligenter exequuntur, aut plane intermittunt, nonnisi, ut pinguescant, perceptionibus distributionibusque intenti. Est autem sermo iste principio mutilus, cujus tamen magnæ parti pepercit ignis, quem vel ea de causa mutilum hic apponimus, tum ne fragmentum istud magis magisque truncetur, tum quod exempla quædam etiam ex historia Bohemiæ involvat, denique quod haud concinne a ceteris narrationibus rescindi potuerit, uno enim veluti filo res universa pertexitur. Succincta primum narratione compilator non modo incunabula Christianæ fidei in Bohemia, sed & ecclesiæ S. Georgii a Wratislao I. Duce fundatæ, atque in Parthenonem Ordinis S. Benedicti sub Boleslao Pio conversæ perstringit, cujus causam in negligentiam desidiamque Cleri & ministrorum ecclesiæ conjicit, quos per fœminas ejectos dolet, quorum similia plura refert, quæ frustra in alio vetere nostro scriptore exquiruntur. Hammerschmidius quidem in Historia sua S. Georgii ad codicem istum provocans p. 3. appellat *manuscriptum antiquissimum librum S. Georgii in membrana*, e quo præsertim de præbendis, distributionibus officiisque plura ab eo excerpta fuisse manifestum est, at vero plura indicia reliquit autographum ipsum nunquam eum vidisse, sua nonnisi e quibusdam excerptis hausisse, aut certe codice isto somnolenter indiligenterque usum fuisse, nam multo amplius historiam suam memoriis codicis istius irrorare & fœcundare potuisset, cum contra plures Abbatissas hujus monasterii, in hoc ipso manuscripto memoratas, penitus prætermiserit, neque eas in seriem retulerit, nec dierum annorumque supputationes, quæ autographo respondeant, secutus sit. Illud ipsum est, quod pridem in Annalibus nostris Hagecianis P. III. p. 439. (cum nobis manuscripti istius copia nec-

necdum facta fuiſſet:) Hammerſchmidii ad hunc ipſum codicem provocantis fidem in dubium vocaverimus, quod aſſereret: *eccleſiæ S. Georgii opus jam anno* 912. *cœptum, anno vero* 913. *abſolutum fuiſſe*, quam chronologiam hiſtoriæ tempori minime congruere ibidem advertimus, ut proinde merito eodem loco cenſuram noſtram tulerimus, nos quidem quoad alia ex hoc codice narrata hiſtorica Hammerſchmidii fidei derogare nolle, at certe annos 912 & 913. in eo expreſſos eſſe, nobis perſuaderi haud paſſuros, quos jam a codice iſto abeſſe advertet, legetque benevolus Lector.

Ut ut autem fragmentum iſtud parvæ molis, paucorumque foliorum eſt, non contemnenda tamen quæquæ ſuppeditat univerſim rei hiſtoriæ & literariæ Bohemiæ, tum liturgiæ veteris, conſuetudinumque patriarum cognitioni, quemadmodum & voces medii ævi continuando locupletandoque Gloſſario Dufreſnii & Carpentieri plurima ſubſidia ſubminiſtrarunt, cujus Appendicem ex meris Boemicis ſcriptoribus manuſcriptisque, utrique mox nominato auctori nunquam lectis cognitisque, jam a plurimis annis meditor, conſcriboque. Et quidem ut brevitatis cauſa unius alteriusve prægustum amico Lectori dem, edocemur jam ſæculo ordiente IX. ſubque Wratislai I. Ducis noſtri imperio exſtitiſſe apud nos chartas publicas teſtium nominibus roboratas, his enim Compilator noſter verbis rem teſtatam facit: *Libro*, inquit, *tranſumptionis litterarum Monialium inter teſtes poſitos habetur mentio Archipresbyterorum propriis nominibus expreſſa: Wlita Archipresbyter, Bielca presbyter &c.* Hiſtoriam filiorum Wilhelmi Leporis de Waldek, qui matrem ſuam violenta manu e monaſterio S. Georgii extractam carceribus ſuis incluſerunt, nuſpiam alibi ſi bene memini, commemoratam inveni. Sed quorſum plura præoccupo, quandoquidem ſubjectæ noſtræ animadverſiones ubivis rariora ſive in re hiſtorica, ſive ceremoniis eccleſiæ, ſive conſuetudinibus patriis indicant, atque ubi opus videtur, elucidant. Id inter alia in hujus codicis ſcriptura perrarum, atque

que inter ſcribas hujus ætatis minime uſitatum mihi viſum, quod ſigna interrogationis ubivis jam ea figura, qua hodie pinguntur (ſcilicet virgulæ infra & ſupra reflexæ ſeu ſerpentinæ puncto ſuperjectæ) viſantur, aliæ etiam interpunctionum notæ frequentius accuratiusque expreſſæ, ſi unam vocalem i excipias, quæ nuspiam virgula, minus puncto aliquo diſtincta comparet, cum tamen alius codex ejudem monaſterii (de quo paulo inferius plura dicturi ſumus, quinquaginta annis facile vetuſtior) jam paſſim omni loco vocalem *i* virgula obliqua & quidem rubri coloris notet. Quod maxime eo fine hic commemoramus, quod aliqui cognoſcendæ ætatis veterum characterum, codicumque in ſignanda ſeu per virgulam ſeu per punctum *i* vocali certum temporis indicium reponant, imo legem ſtatuant, cum jam alias exemplis oſtenderimus: ſcribas ejusdem temporis & ſæculi in hoc, ceterisque interpunctionum ſignis variaſſe, alterumque præ altero diligentiorem accentuatas punctatasque literas *i* præſertim in concurſu literarum *n. m. u.* jam multo ante ſæculum decimum quartum & quintum pro arbitrio, ſaltem apud gentem noſtram, adhibuiſſe, quod idem de aliis diſtinctionum, interpunctionumque notis ſentiendum, ut proinde erraturus is eſſet, qui ex ejusmodi unico indicio codices veteres & diplomata in ſuſpicionem ſubleſtæ fidei adducere tentaret.

Injecimus ſuperiore periodo alterius codicis manuſcripti mentionem, cujus itaque propter elegantiam raritatemque (nuspiam enim unus aliquis ſcriptorum noſtrorum illius meminit) codicum veterum æſtimatoribus cognitionem præbendi animus eſt. Non eſt is quidem ex Hiſtoricorum genere, attamen ad acta literaria Bohemiæ, ad ſcriptorum patriorum antiquitatisque, imo & Genealogiæ notitiam eum pertinere nemo inficiabitur, ex quo jam aliqua præſertim Reverendiſſimi Mæcenatis noſtri in gratiam, ad cujus Ordinis memorias & decora ſpectat, delibabimus: Servatur in eadem Bibliotheca Cæſarea Pragenſi alius liber membranaceus elegante charactere ſemiunciali anno 1312 ſcriptus, lon-

longitudine mediam ulnam Pragenſem, tantundem prope latitudine æquans. Scriptus integer linea per duas tercias paginæ currente, terciam imagines illius ævi non inelegantes vivis hodie coloribus auroque decoratæ obtinent, quarum univerſim numero quinquaginta ſunt præcipuarum narratarum rerum delineationem exhibentes. Argumentum codicis iſtius Paſſio Chriſti eſt ſub parabola militis, id eſt nobilis ſtrenuique viri repræſentati, qui ſibi deſponſatam hominis animam fraudibus diaboli (cujus perſonam latro ſuſtinet) per Adæ peccatum corruptam, captivamque multis ſtrenuis facinoribus, & ipſa morte liberat, gloriæ priſtinæ reddit, participemque regni ſui facit, quam conſequitur alius ejusdem authoris Tractatus de manſionibus cœleſtibus duobus annis poſterius ſcriptus. Primam paginam averſam per folium integrum occupat repræſentatio authoris genu flexi Cunegundi Abbatiſſæ S. Georgii librum ſuum offerentis, ad quem ſcribendum illa ipſa exhortata fuerat, ſcriptorique argumentum præbuerat. Imaginem hanc Lectoris quodammodo obtutibus objecturi, eidem non injucundum caſurum judicavimus, ſi eandem accuratius deſcripſerimus, maxime quod librum iſtum vix unquam in publicum proditurum credamus, tum quod picturarum multitudo majores ſumptus depoſcitura eſſet, tum quod morales iſtiusmodi libri rariores plerumque editores invenire ſoleant. Præſentatur itaque Cunegundis habitu monaſtico intra ædem ſacram celatura varia (quam hodie Gothicam appellamus) decoram ſaldiſterio regali elevato cuſſinoque rubro inſtrato inſidens, manu ſiniſtra pedum abbatiale aureum ſine faſcia tenet, dexteram ad authorem exporrigit ad librum ſibi nuncupatum recipiendum. In apſide viſuntur prominentes duo volantes angeli, qui utraque parte coronam auream ſuper ejusdem vertice tenent, ab angeli dextri lateris ore profluit leoninus verſus: *Mundum ſpreviſti regnum terreſtre liquiſti.* Ex alterius: *Felici dono jam te premiando corono.* In dextro margine ædis ſacræ nomen CUNEGUNDIS mixtis aureis, cæruleis, rubrisque uncialibus literis ſcriptum eſt, quod ſemiuncialibus rubris conſequun-

quuntur verba: *Abbatiſſa monaſterii Sancti Georgii in caſtro Pragenſi Sereniſſimi Boemie Regis Domini Ottacari ſecundi filia.* Infra adgeniculatus ſpectatur monachus Ordinis Prædicatorum, eo prorſum indumentorum colorumque genere, quod hodie Ordini huic uſitatum eſt, manu dextera Cunegundi porrigens librum cærulea theca veſtitum, altera ſchedam cum hac inſcriptione tenens: *Suſcipe dictata de Regum ſanguine nata, ad laudem Chriſti que me dictare feciſti, de ſponſo plura ſub militis apta figura.* Ad latus genuflexi hec rubro colore, uti cetera omnia leguntur: *Frater Colda Lector de ſancto Clemente Ordinis Fratrum Predicatorum egregius dictator hujus libri.* A tergo ejusdem Coldæ dictatoris ſeu authoris compoſitorisve complicatis ad precandum manibus genuflexus quoque viſitur Canonicus Beneſſius ſcriba hujus libri raſus capite inſtar monachi, tunica ſubrubra, epomide vero cærulea ſine manicis indutus cinctusque, circum quem verba minio ſcripta leguntur: *Beneſſius Canonicus Sancti Georgii ſcriptor ejusdem libri.* Siniſtro latere ædiculæ ſtant octo Sanctimoniales ſingulæ manu librum tenentes, quibus uncialibus diverſicoloribus literis ſuperſcriptum eſt: PRIORISSA CUM CONVENTU. In primo trium Sanctimonialium ordine poſtremum locum obtinet eodem monaſtico veſtitu induta filiola Cunegundis Abbatiſſæ ex Duce Maſſovienſi, cui ante nupta erat, ſuſcepta, veroſimillime pro more illius ſæculi *oblatæ* locum nomenque in monaſterio obtinens, a cujus tergo leguntur verba: *Domina Perchta Domine Abbatiſſe filie Regis gnatta.* (a) Apſis ædis

(a) Hæc Perchta Cunegundis filia adhuc dum ignorata fuit, nec alia poſthac illius memoria, imo Balbinus in ſua Tabula Genealogica Przimisleæ ſtirpis plane præteriit Cunegundem ante ſuſceptum habitum monaſticum Ord. S. Benedicti nuptam fuiſſe. De illa hæc Hammerſchmid in Hiſt. S. Georgii p. 92. *Anno* 2278 *cum aliis lectiſſimis Virginibus Parthenonem S. Claræ Pragæ ingreſſa eſt, ſed poſt annos duodecim ad fratris ſui in Regnum Poloniæ jura firmanda Papa annuente coacta Maſoviæ Ducei in conjugem datur. Duce mariso viduata ſub annum Chriſti* 1302. 22 *Julii Deo ſe reſtituit.*

ædis ſacræ ſemicircularis utraque parte columnæ innixa eſt, ejus celato faſtigio impoſitus eſt clypeus eccleſiæ S. Georgii, nempe in rubro campo S. Georgius eques radiatus dextera vexillum cum faſcia candida, rubra cruce inſignita, ſiniſtra clypeum candidum itidem rubra cruce ſignatum geſtans. Utraque columna in pyramidem celatam deſinit, dextero culmini inſertus eſt clypeus *regni Bohemiæ*, ſcilicet in rubro campo leo caudatus totus candidus cum corona flava, in ſiniſtra columna ſupereminet clypeus alter vetus *terræ Boemiæ*, qui aliter etiam *arma Sancti Wenceslai* dictus, videlicet aquila nigra uniceps alis expanſis in ſubrubeo flammeo campo. Quod autem mirum eſt, nunquamque alias a me obſervatum, alæ utrique ſemicirculus albus inſtar lunulæ ſuperductus eſt, ut haud multum diſſimilis videatur hodierno clypeo Ducatus Sileſiæ. Omnes tres clypei ſuis appellationibus notati ſunt, & quidem primus *Boemie*, alter *Sancti Georgii*, tertius *Sancti Wenceslai*, de quo poſtremo vetere terræ Bohemiæ clypeo ex effigie Sancti Wenceslai deprompto copioſe egimus Tomulo IV. Diſſertationum Bornianarum p. 185. in obſervationibus hiſtorico criticis ſuper origine, mutatione & geminatione clypei Bohemici. Cum imaginem hanc ſuis veluti lineamentis exceptam Lectoris obtutibus ſtitimus,

Amici monentis conſilio & rogatu etiam alterius poſterorum memoria dignæ iconis deſcriptionem hic adjungendam cenſuimus, quæ integra etiam membranæ pagina, & quidem numero decima ſexta, Paſſionis inſtrumenta exhibet, hæc ut eo ordine, quo in codice depicta ſunt, referantur, paginam in quatuor veluti columnas, a dextro latere exorſi, diſpeſcimus. In prima igitur columna repræſentatur Chriſtus radiato capite & cruce per radium ducto, manibus in cœlum elevatis orans in monte Oliveti, ſanguineoque madens ſudore, ſupra loco Angeli calicem offerentis, ut hodie pingi ſolet, ſpectatur manus e nubibus eminens exporrecto pollice, indice & medio, reliquis duobus clauſis; manus hæc circumdata eſt radio, per quem crux quoque ſi-

milis priori ducta, ſupra quam legere eſt: *Dextera Domini.* Quo vetere teſtimonio iterum confirmatur ſententia noſtra: manum illam in primis noſtris numis non deſignaſſe *Divi Viti manum*, uti pridem opinionem doctiſſimi Viri Franciſci Pubitſchka confutavimus. A dextera Chriſti flectentis eſt columna ad quam flagellatus a ſummo paginæ ad imum uſque perducta, in quam quatuor ſpiris in nodum deſinentibus implicitus eſt funis, columnæ faſtigio inſcriptum *ſtatua*, funi *funis.* Infra Chriſti flectentis genua corona picta eſt, in cujus medio verba ſunt: *Spinea corona*, ſub hac vaſculum capacius cum manubio, intra quod ſcriptum: *urna cum fele.* Ex ejusdem ſiniſtro latere culter cum laterali inſcriptione: *Circumciſio.* Subtus duo flagella nodoſa inter quæ vox *Flagella* poſita eſt. A ſummo coronæ usque ad alterum flagellum occupat ſpatium menſura lignea quinque & medium pollicem Pragenſem longa, cujus lateri ſiniſtro adſcriptum: *Hec linea ſedecies ducta longitudinem demonſtrat Chriſti.* Quæ menſura ſi certa fide niteretur, innueret Chriſtum ingentis plane ſtaturæ fuiſſe, quæ ſupra tres ulnas Pragenſes duas tertias ulnæ æquaſſet. In altera columna ſupremo loco eleganti prorſus pictura exhibetur Chriſti caput cum barba fuſca, prolixa bifida, capillis etiam ultra eam defluentibus, totum radio cæruleo intra geminum circulum crucemque mediam cinctum, ſupra quod inſcriptum eſt: *Veronica* ſcilicet vera icon Salvatoris Romæ in eccleſia S. Petri aſſervata, cujus jam Clemens IV. Tom. II. epiſt. 484. anno 1268. meminit. Sub Veronica exhibetur vulnus lateris dextri lancea perfoſſi menſuram duorum pollicum Pragenſium æquans, e cujus parte ſiniſtra verba leguntur: *Hec eſt menſura*, circum vulnus intraque menſuram fugitivis literis rubeis minutioribus hæc appoſita ſunt: *Redemit pendens in cruce ſancta oſtendens vulnere - - - bus nos - - - vulnere omnibus tranſeuntibus.* Intermedia nempe crebris oſculis Sanctimonialium deleta ſunt, videtur enim codex iſte olim ſeu in choro, ſeu alio quoquo demum loco publico monaſterii expoſitus fuiſſe, quod attritio litusque multum uſum folii iſtius prodant.

Vul-

Vulneris effigei ſubjecta eſt palmæ dexteræ figura, intra cujus pollicem & indicem vox *alapa* poſita eſt. Infimum locum obtinet forceps cum ejusdem nominis inſcriptione. In tertia columna primum locum occupat *calix* majoris molis cum eadem inſcriptione, cui ſubjicitur imago crucis, in qua Chriſtus nonniſi duobus clavis pedum affixus ſtantis ritu inclinato capite præſentatur ſiniſtra tenens virgas & flagellum, dextera ſchedam hoc verſu ſignatam: *Sic homo ſto pro te cum peccas, deſine pro me*, id eſt: *propter me*. Supra brachium dextrum crucis legitur *Jeſus Nazarenus*, ſupra ſiniſtrum *Rex Judeorum*. Sub eodem ſiniſtro crucis brachio delineata eſt aliqua candidi linteaminis ſpecies ſine nota appellationis, huic ſubſtrati ſunt tres *clavi*, quos nonniſi ternos pictorem effinxiſſe mirum, cum quatuor clavis Chriſtum affixum præſentet, clavis denique ſubjectus eſt bifidus malleus. Quarta columna exhibet effigies *ſpongiæ* perticæ impoſitæ, *lanceæque* per totam paginæ longitudinem decurrentes ſuisque appellationibus notatas, has conſequitur ſcala eadem longitudine duodecim gradibus diſtincta in cujus medio verba inſcripta ſunt: *Hæc eſt ſcala habens duodecim gradus humilitatis.* Tum una linea perpendiculari exprimuntur duæ laternæ, duo globoſi fuſtes, denique duo gladii, quibus inſcriptum: *Tanquam ad latronem - - - - - - - - - & fuſtibus*, mediæ voces longo uſu libri evanuere. Agmen denique claudunt extremo margine duæ faces. Ut itaque in hac Inſignium Paſſionis delineatione deſiderari videantur tunica inconſutilis, tres aleæ, & arundo, quæ in alia priore inſtrumentorum horum delineatione depicta viſuntur. Infimum hujus paginæ locum occupavit alia inſcriptio ſemiuncialibus literis, e qua tantum tria prima verba fugitiva cognoſcere licuit: CONTEMPLARE IN PLAGAM, reliqua abſterſa, & mucore obſita ſunt. Ut autem antiquorum codicum ſtudioſus Lector penitiorem manuſcripti iſtius cognitionem indipiſcatur, dedicationem cum Prologo ſeu compendio Parabolæ ex ipſo autographo depromptum Indiculo ſupra nominato ſubjicimus, maxi-

xime quod codex iſte in eodem monaſterio ſcriptus, Cunegundique Abbatiſſæ crebrius in ſuperiore libro Præbendarum memoratæ nuncupatus ad ejusdem memorias pertineat.

FRAGMENTUM

PRÆBENDARUM, DISTRIBUTIONUM ET OFFICIORUM IN ECCLESIA S. GEORGII CASTRI PRAGENSIS.

Noveritis, (*a*) quod bona in *Dubrawitz* per Dominum *Mathiam Deturri* reſignata ſunt intabulata Dominis Præbendatis Sancti *Georgii* in caſtro *Pragenſi*. Si contingeret querere, tunc queretis in Regiſtro ſecundo Ulrici, quondam Notarii (*b*) pargameneo A. XXIV.

Dans eis licentiam uſum fruendi de omni ligno, quod erat in paradyſo, & cuncta, que creaverat ſue ſubjiciens ditioni, inhibendo eis ſolummodo de ligno ſcientie boni & mali ne guſtarent. Sed oblſti ſunt benefactorum ejus, precepta Dei parvi pendentes, ad inhibita manus extenderunt, & cibum vetitum ſumentes, conceſſum, quo libere uti potuiſſent, amiſerunt, vitamque, ſi perſeveraſſent in mandatis Dei, & in

(*a*) Hæc manu ejusdem ſæculi præjecta ſunt, inſcriptaque ſuperiori parti thecæ codicis. (*b*) Id eſt in Tabulis Regni, quas anno 1319. exorſus eſt Joannes Rex Bohemiæ. Libri vero, quibus emptiones, venditiones, transactiones, contractus &c. inſerebantur nomen indepti ſunt a Notariis. Ita ab Udalrico Notario nomine Liber Udalrici primus, ſecundus, tertius dictus. Paſſim autem Udalricus iſte primus omnium Notariorum ab erectis Regni Tabulis fuiſſe creditur. Cujus quidem libri Anno 1541. cum ceteris incendio caſtri Pragenſis exuſti, at fragmenta apographa plura ſuperſunt a nobis aliquando publicanda.

in innocentia, veſcendo de ligno vite, conſervaſſent. Unde Deus eos premuniendo, & informando predixit: Quacunque enim die comederitis de prohibitis, morte moriemini; ſed obliti ſunt benefactorum ejus. Amplius Dominus volens *Adam* ad ſalutarem revocare penitentiam, ſicut in *Geneſi* legitur: Dum deambularet Dominus in paradyſo ad auram poſt meridiem, clamavit, & dixit: *Adam* ubi es? Ille: Domine audivi auditum tuum, & timui, & abſcondi me, eo quod nudus eſſem, & Dominus: quis tibi indicavit, ut nudus eſſes? (c) & Dominus: cur comediſti de ligno vetito? (d) & Ille: (e) Mulier, quam dediſti mihi in ſociam, dedit mihi, & comedi. Ecce contemptus: quia culpam propriam volebat retorquere in Dominum ſuum creatorem, ut dicit *Moyſes* in cantico ſuo: Dominum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui; Unde Dei juſto judicio ob culpam inobedientie, & oblivionis mandatorum Dei ejectionis de paradyſiaca habitatione ſententiam, & mortis penam incurrit, quam evitare potuit, ſi in innocentia permanſiſſet; ſibique & ſuis poſteris labores in hoc exilio, & poſt damnationem perpetuam cumulavit juxta ſententiam Domini dicentis: Pro eo quod obediſti voci uxoris tue, plus quam mee, maledicta terra in opere tuo &c. Et omne genus humanum pro culpa originalis peccati deſcendit ad inferos, etſi ſacro fonte baptismatis culpa hujusmodi tollitur, pronitas tamen peccandi ex contractu carnis paterne remanet, juxta verbum ſapientie: proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua. Poſſunt hec applicari & ad diluvium dicente Domino ad *Noe*: Penitet me feciſſe hominem, finis venit univerſe carnis coram me; Omnis quippe caro coruperat viam ſuam, quia in lege Domini ambulare noluerunt, & obliti ſunt benefactorum ejus. Similiter & in *Babylonia* penam confuſionis linguarum per oblivionem beneficiorum Dei incurrerunt implentes voluptatem ſuam, & ſequentes veſtigia patrum ſuorum. Ut dictum eſt: Obediſti voci uxoris tue, plus quam mee. Et amplius fornicatio, & avaritia, quod eſt ydolorum ſervitus, nec nominetur in vobis. Denique *Moyſes* vir ſanctiſſimus legislator, eo quod per oblivionem Nomen Dei non ſanctificavit apud ſilicem, quem percuſſit virga bis,

(c) Mirum ſane in hoc Codice ſignum interrogationis eadem nota & figura, ut hodie fit, exprimi. (d) Et hic interrogatio eadem nota fit, & poſtea ubique. (e) Loco duorum punctorum hodie uſitatorum ſtrichla vulgo dicta poſita, qualis in diviſione vocis hodie ſolet fieri.

bis, quam accepit in conſpectu Domini, ut legitur in libris Numeri: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac poterimus aquas educere. Dixitque Dominus ad *Moyſen* & *Aaron*: Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis *Iſrael*, non introducetis hos populos in terram, quam dedi eis. Similiter & populus *Iſraeliticus*, cui Dominus promiſit educere eos de ſervitute *Pharaonis*, & de *egyptiaca*, quod & fecit, populus vero, cum eum educeret, non credidit Domino. Etiam eo tempore, quo concluſit inimicos ejus populo vidente (*f*) mare rubrum, & itinere, quod iter quadraginta dierum expediebatur ad terram promiſſionis, premiſerunt XII. exploratores, quibus plus intendebant credere, quam verbis Dei, per XL. annos erraverunt in invio, & non in via, nec modico tempore ſuſtinuerunt conſilia Domini. Nam *Moyſe* aſcendente in montem ad Dominum pro lege, fecerunt ſibi vitulum conflatilem dicentes: Iſti ſunt Dii tui *Iſrael*: qui eduxerunt te de terra *Egypti*, & mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fenum, & propter hoc nullus eorum, qui exiverunt de *Egypto* de tanta multitudine, exceptis duobus, *Caleph* & *Joſue*, & his qui nati ſunt in deſerto, non in *Egypto*, nec *Hur*, nec *Aaron*, ſed nec Sanctus *Moyſes* guſtavit, vel introivit in terram lacte & melle manantem. Et cur hoc? cito fecerunt, obliti ſunt &c. (*g*) Hoc idem conſideratur in *Heli* ſacerdote, qui per negligentiam oblivionis ab avaricia, & rapina, que fiebant per filios ſuos *Ophni*, & *Fineés* in *Sylo*, quòd non cohercuit eos ab hujusmodi peccato, & Archam Dei, & filios ſuos, & vitam & ſacerdotium domui ſue perdidit in eternum, quia oblitus fuit Dei Creatoris ſui, & beneficiorum ejus. Amplius in factis Regum, *Saul*, *David*, *Salomonis*, conſidera: *Saul* enim per Dominum electus primus in Regem, potenter regnavit, & prophetavit, ut legitur: Num & *Saul* inter Prophetas? Sed dum non explevit mandata Dei, & regnum eo vivente ab eo ſciſſum, & datum alteri, & ſpiritus prophecie ablatus, & malignus ſpiritus eum vexavit, ut dicitur: Miſit iram indignationis ſue in eum, & tribulationem, immiſſionem per angelos malos. *David* quoque cum in bello virtutis intereſſe deſiit, vitio otii vacans, adulterium, homicidium, & traditionem proximi perpetravit, penamque exhorbitationis filii ſui *Abſolonis*, perſecutionem, & aliorum paſſus eſt. Deusque ſibi dixit: Non edificabis mihi domum, quia vir ſanguinis es. *Salomon* autem, licet

(*f*) Fortaſſis legendum: *transeunte*, vel intrante. (*g*) Ita MS. ſed ſine ſenſu.

cet habuiſſet a Deo infuſam ſapientiam, & multa dicta bona, & edificativa ſcripſit, & docuit homines ſapientiam, qui tamen ſeductus ab *Ethyopiſſa*, ultimo, ut dicitur, a fide apoſtatavit, de ſe ſcandalum, ſeu malum exemplum dereliquit, ſic quod de eo dubitatur, utrum ſit de ſalvandis, an non? quia de eo veritas ait: nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt. Quilibet iſtorum Regum propter oblivionem beneficiorum Dei paſſus eſt finem, ſeu malum exitum, & corripuit Reges, & alibi: filii Regni ejicientur de Regno, & dabitur genti facienti fructum, & nota dicente Apoſtolo: Hec omnia illis in figura contingebant. Et beatus *Gregorius* exponens verbum *Job Beemoth* abſorbuit fluvios, habetque fiduciam, quod influat in eum fluvius *Jordanis*, dicit: per *Jordanis* fluvium intelligimus *Chriſtiani*, in quo *Chriſtus* baptizari dignatus, nobis ſacri fontis conſecrans fluentaret generationis exempla, & doctrinam dereliquit. *Beemoth* ergo abſorptis fluviis omnibus, per quos fluvios *Judei* & Infideles quique intelliguntur, habet fiduciam, quod in os ejus fluvius *Jordanis*, id eſt: populus *Chriſtianus* influat, quod ſi non omnes influant, tamen pars non parva influit, qui obliti ſue nativitatis celeſtis, juxta dictum: Celum mihi ſedes eſt. Celum aptari poteſt cordi hominis, ſecundum illud: Prebe fili cor tuum mihi: ad quid? Et habitabo cum illo, & qui obliti ſunt etiam regeneracionem ex aqua & Spiritu Sancto, de qua veritas ad *Nycbodemum* dicit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei. Memoriter (*b*) ergo tenenda ſunt Dei, & *Chriſti*, & Perſonarum, Dei & *Chriſti* perſonam repreſentantium, & ſervanda precepta, & fugienda prohibita; dicente Domino: qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et *Joannes* in ſua epiſtola: qui ſe dicit Dominum diligere, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. *Thomas de Aquino* in compendio Theologie veritatis dicit: ſumme bonitatis triplex eſt emanacio: per creacionem, generacionem, & facturam. Creare eſt aliquid ex nihilo facere, ut legitur: In principio creavit Deus celum & terram. Generare, ſe ſibi ſimilem producere, ut in Divinis Perſonis, Pater filium genuit (*i*) conſubſtantialem, & coequalem, ut in ſymbolo habetur. Filius a Patre ſolo eſt, non factus: nec creatus, ſed genitus. Facere eſt, ex materia prejacente aliquid, ut dicitur: Formavit Deus hominem de limo terre ad ymaginem,

(*b*) Id eſt: *in memoria.* (*i*) *Sibi* multo poſteriore calamo ſuperſcriptum.

& ſimilitudinem ſuam ad ymaginem in naturalibus, & ſimilitudinem in gratuitis. Verum tamen in ymagine pertranſit homo, ſed in ſimilitudine non omnis, quia qui obliviſcuntur beneficiorum Dei per ingratitudinem, ſed in gratuita negantur ingratis juxta illud: non projicietis margaritas veſtras ante porcos Homo tamen bonus, & malus in naturalibus permanet, ut dictum eſt: In ymagine pertranſit homo, quia generat hominem, ut dicit ſapiens quidam: homo & ſol generant hominem: facit res ex materia prejacenti, producit formam, quam intus habet in animo conceptam in eſſe, ſicut faciunt opifices. Etiam quodammodo dicitur creare homo, ut quod non fuit, producat in eſſe, nec generando, nec faciendo, ut puta; officia, beneficia, & hujusmodi beneficium & officium eccleſiaſticum, quod non fuit, fit per ſuſtentationem (*k*) nature, qua gauderet in beneficio, & onus expleret in laborando in officio, ut dictum eſt, *Ade* in paradyſo, qui principaliter figurabat eccleſiam, ut operaretur, & cuſtodiret illud: ecce officium oneris de fructu lignorum ejus, que ſunt in paradyſo veſcendi libertas. Ecce ſuſtentatio vite, & beneficium delicatum, in quibus officio & beneficio ſi perſeveraſſet, vitam conſervaſſet, & vivus cum gloria victorie ſerpentis, mulieris, & proprie temptationis de eccleſia militanti coronandus, ad eccleſiam triumphantem translatus fuiſſet, ad quam nos perducat, qui vivit, & regnat Deus, Amen.

Precedentium Patrum ſcripta filios poſteros informaverunt; Tribus benefactoribus non poteſt homo ſatisfacere pro beneficiis, nec equaliter reſpondere: Deo, qui te fecit hominem, creavit te, & redemit te, & pro merito quemque ſalvavit. Parentibus, qui te hominem generarunt de proprio ſanguine. (*l*) Tertius ſubdividitur in Magiſtrum & Dominum, ſicut dicit veritas. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſervus ſuper Domino ſuo, ſufficit diſcipulo & ſervo, ut ſint ut Magiſter, & Dominus. Deus enim facit omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil. Specialiter tamen quedam per ſe facere dignatur, ut animam hominis, quam ſibi infundendo creat, & creando infundit. Ergo ſolus ſubſtantiam anime, quedam vero per alios, ut puta: per parentes ſubſtantiam corporis filiis; per Magiſtrum ſubſtantiam ſcientie diſcipulis; qua ſuum Creatorem poſſent cognoſcere, & per Dominum ſubſtantiam ſu-

(*k*) Alia manu ſupraſcriptum: *proviſionis.* (*l*) Alia itidem manus ſuperjecit: *educaverunt.*

ſuſtentationis vite, qua adepta poſſit vacare devotioni & contemplationi divine, & exemptus eſſe a labore maledictionis *Ade*, & ſudore vultus veſcendi pane ſuo, ſervis ſuis adminiſtrat. Unde propoſitio aſſumpti thematis, quantum a Deo (*m*) ſatis claret. Et etiam quantum ad homines, qui ſupplent perſonam Dei & *Chriſti*, ſicut apparet ad oculum in *Romanis* Principibus. Quoniam Dominus *Romane* civitatis tempore Nativitatis *Chriſti* toti mundo dominabatur, & imperabat, ut *Lucas* teſtatur. Exiit edictum a Ceſare *Auguſto*, ut deſcriberetur univerſus orbis, & timebatur in omnibus partibus mundi. Unde & *Judei*, ut *Joannes* teſtatur, dixerunt: Ne forte veniant *Romani*, & tollant noſtrum locum, & gentem. Item tempore *Conſtantini* Imperatoris, qui Sanctum *Silveſtrum* Romanorum Pontificem aliorum Pontificum primus Dominum conſtituit, ut ſicut ipſe ſolus Rex *Romanorum* extitit, & eſſet aliorum Regum Dominus, eſſet & Rex Regum Imperator totius Monarchie temporalis, ſic etiam *Romanus* epiſcopus aliorum epiſcoporum, & totius Cleri, verius dicendo omnium hominum Pater & Dominus, ac Rector ſpiritualis. Ille Ceſar, iſte Papa nominarentur. Dans ſibi & cunctis eccleſiarum Rectoribus & miniſtris plenam facultatem poſſeſſiones habere pro ſuſtentatione vite, ut eo in Divino cultu vacare poſſent liberius, ipſaque largitione ſua ſuis poſteris, & cuilibet fideli homini de ſua ſubſtantia providere perſonis eccleſiaſticis de ſuſtentatione vite in beneficiis creatis, & creandis, onusque officii imponere, ut unicuique Deus inſpiraverit, liberam facultatem prebuit, & exemplum. Sed moderno tempore Romani eo, quod obliti ſunt benefactorum ejus, videlicet Dei & Imperatoris, ac Pape, perſonam *Chriſti* repreſentantium, contemnentes, utriusque & Ceſaris & Pape carent electione, & ſunt miſeriores aliis gentibus. Pro eo quod gentes ſub hoccaſu (*n*) ſolis habitantes *Romane*, ac univerſalis ſancte eccleſie ſummum faciunt Pontificem. Et ſub ſeptemtrione Rex *Boemorum*, Dux *Saxonie*, Marchio *Bramburgenſis*, (*o*) & *Palatinus Reni*, nec non *Moguntinenſis*, *Trevirenſis*, & *Colonienſis* Archiepiſcopi *Romanorum* & totius mundi Imperatorem, & Dominum conſtituunt atque Regem. Item qui ſunt obliti Divini Precepti, Parentes inhonorantes, quales exitus habuerint, apparet in *Cham*, qui

(*m*) Alia manu ſuperſcriptum *hominis &c.* (*n*) Occaſu. (*o*) *Brandeburgenſis.*

viſis verendis patris ſui, deriſit eum, pro quo maledictionem & ſuo ſemini ſuſcepit a patre, ſervitutique eum perpetue ſubjugavit, & privavit benedictione fratrum *Sem*, & *Jafeth*. Et tempore moderno filii *Wilhelmi* dicti *Leporis de Waldek* (*p*), qui inter Barones terre *Boemie* erat potior; eo mortuo non honoraverunt matrem ſuam, eam de eccleſia Sancti *Georgii* in caſtro *Pragenſi* extrahentes, vinculis eam vincientes in ſuis carceribus recluſam pro tempore tenuerunt, ejecti de ſuis habitationibus, & poſſeſſionibus, caſtris, beneficiis, in pauco tempore, aliqui ex eis mendicantes vitam finierunt miſere, (*q*) quare? obliti ſunt beneficiorum ejus. Et de filio prodigo, ſi non penituiſſet, quis finis ſuus fuiſſet, ſumitur exemplum penitencie. Item, qui Magiſtri ſui parvipendentes informacionem, quales habuerunt exitus? *Neronis* exitus hoc demonſtrat, qui ut dicitur, cum *Rome* preeſſet, *Senecam* virum politicum, (*r*) ſuum Magiſtrum, ipſum *Neronem*, & alios mores bonos docentem, ſine cauſa ad electionem mortis proprie conpulit, qui *Nero* ultimo de tanto imperio fugit ſolus, & a lupis creditur eſſe conſumptus.

Ceterum hi, qui ex ingratitudine officia inſtituta explere negligunt, & fundatores ac benefactores ultima voluntate fraudant, gaudere volunt de ſuſceptis beneficiis, (*s*) Prelatorum, Canonicorum nominibus appellari, ut *Phariſei* amantes locari in ſedibus primis, & in viis ho-

(*p*) In margine rubro colore ſcriptum eſt: *Nota; Inhonoraverunt parentes filii Leporis.* De hoc vero Wilhelmo Lepore ſeu *Haſenburg* copioſe agit Petrus Abbas in ſuo Chronico Aulæ Regiæ, quem Tomo meo V. Monum. p. 375. anno 1319. in quadam contentione vulneratum & poſtea mortuum ſcribit, cui Petrus Epitaphium verſu leonino adornavit. Porro ex verbis præcedentibus *tempore moderno* eruitur Sæculum XIV. quo ſermo iſte ſcriptus eſt, & quo filii Wilhelmi ſuperfuerunt. Sed poſtea magis ipſa annorum periodus declaratur, qua codex primus ſcriptus eſt. (*q*) Si Haſenburgici poſteriores ex eadem Wilhelmi & filiorum ejus progenie deſcenderunt, profecto ſæculis poſterioribus ad magnas rurſum divitias & potentiam pertigerunt. Niſi dicere malimus poſteriores nonniſi a caſtro Haſſenburg, quod dein poſſederunt, Haſſenburgios appellatos fuiſſe. (*r*) Virum rei politicæ & adminiſtrandi Imperii peritum. (*s*) In margine poſteriore calamo adſcriptum: *Nota: de ultima voluntate fundatorum & de intereſſentia Miſſe, vel percepsione emolumentorum, ut patet infra &c.*

honorari, de rerum copia intergere, (*t*) portionum grandium, & frequenti recepcione hylaſcere, (*u*) ſed corpore in miniſterio, imo ſolum intereſſe integre Miſſe, aut aliquem actum Divini Officii facere erubeſcunt. Attediatur Deo ſervire, contendit plus recipere, capacem rapiendi ſe exhibet, & ad exequendum miniſterium, & etas & ſcientia non admittit, periculis aliis minantur, ſoli exiſtentes in periculo, aliena rapientes, cum non ſint eorum; quia data ſunt genti facienti fructum, & non illis ſtantibus die tota ocioſis, & non conductis in vineam Domini, & ſi conducti, & in vinea eſſent, non laborantes. (*x*) Unde de jure ſcripto tales tenentur ad reſtitutionem. Nonne muſce, aranee, & mures frequenter apparent infra diùtina, & quia ſunt inutiles, ideo repelluntur, ſic & omnes non facientes fructum, non tantum denegare, que coronantur, rapere, ſed ut infructuoſam arborem, ne terram occupet, ejicere, juſtiſſima Jura dictant. Quicunque minor annis, & ſciencia, & moribus adipiſcitur beneficium, requirens certum officium, quia beneficium datur propter officium, ſuſpenſus eſt a jure ab executione officii, & perceptione fructus beneficii, licet & ordine preveniant etatem, quousque etas & ſcientia, & promotio ordinum ſuffragentur, quemadmodum in multis eccleſiis hoc idem obſervatur, & ultra hoc, quod dicit veritas: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam in hoc ſeculo, & timeo, ne dicatur eis: fili recepiſti bona in vita tua, & nunc cruciaris, magnumque chaos inter nos factum eſt. Ubi ſut Prelati, Canonici, & loca eorum *Iheroſolimis*, perierunt propter iniquitatem ſuam, & hi, qui *Rome* fuerunt, viderunt multas eccleſias ſublatis donis & miniſtris dirutas, & plurimas ruinam ſtructurarum & cleri fugam minantium. Et in caſtro *Pragenſi*, Sancti *Petri*, (*y*) & alie capelle ſunt ſublate. Nec non in eccleſia Sancti *Georgii*, ſicut fama famat, & ſeniores informaverunt juniores, ut agnoſcat generatio altera, filii qui naſcentur, narrabunt ea filiis ſuis, ut ponant in Deo ſpem ſuam, & mandа-

(*t*) Ita Codex, ſed quid notet, non aſſequor. (*u*) Pro *hilareſcere*. (*x*) Adjecto revocationis ſigno alia manus poſterior appoſuit: *Precium laboris non receperunt dicente patrefamilias: Voca operarios, & non ocioſos, quibus mandat mercedem offerre.* (*y*) Quandonam hæc capella interciderit expedivimus Parte VI. noſtrorum Annalium p. 35 & 36.

data ejus exquirant. In Kronicis ac legendis vite invenitur, & per hoc hodie habetur & tenetur: Per Clariſſimum olym Ducem *Boemie Wratislaum* filium *Borziwogy*, & Sancte *Ludmille* matris primorum *Chriſtianorum* in *Boemia*. Qui Divino nutu votoque compuncti ſacri fontis baptiſmate ſunt renati anno Domini DCCCXCIIII. patre predicto *Borziwoy*, & fratre ſeniore *Spitigneu* ſine liberis defunctis, matre vero predicta ſancta *Ludmilla* vivente predictus (z) in Ducatum *Boemie* legittime ſuccedens, uxore habita & ſuſcepta ex ea prole (videlicet Sanctum *Wenceslaum* & *Boleslaum* ſevum (a) ac *Przibislaum*) principaliter fundata. Clericos ibidem IX. inſtituit, duos ſubdyacones, & dyacones, & quinque presbiteros, & ex his unus Archipresbyter, ut ex legenda Translationis Sancti *Adalberti* colligitur, ubi ſic dicitur: Deinde Archipresbyteri gaudent onere beati *Gaudentii* Preſulis, & quia nulli in regno *Boemie* fuerunt Archipresbyteri, niſi ut in libro transſumptionis litterarum Monialium inter teſtes politos habetur mencio Archipresbyterorum propriis nominibus expreſſa: *Wlita* Archypresbyter, *Bielca* Presbyter, *Czas* Presbyter, *Hmylen* Presbyter, *Milata* Archipresbiter, (b) & ſic ipſam eccleſiam Sancti *Georgii* per XL. annos ſoli per ſe rexerunt, & gubernaverunt, & in poſſeſſione ejusdem loci pacifica Clerus & Collegium Clericorum extitit eccleſie ſupradicte. Eorumque tempore regiminis Dux predictus *Wratislaus* fundator eorundem diem clauſit extremam, Sancte *Ludmile*, & Sancti *Wenceslai* paſſiones, & translaciones ſunt celebrate, Sanctam *Ludmilam* in eccleſia S. *Georgii*, & Sanctum *Wenceslaum* (c) in capellam S. *Johannis* Evangeliſte, per eum, ut dicitur fabricate. (d) Et ipſe fratricida *Boleslaus* migravit a ſeculo, & filius ſuus *Boleslaus* dictus Pius ſucceſſit in Ducatum Clericorum tempore predictorum. Et dum obliti beneficiorum ejus in divinis laudibus effecti ſunt deſides, ut quondam *Zyſara* per *Jabel*, *Holofernes* per *Judith*, *Aman* per *Heſter* victi, ſic Regimine & Dominio ipſius eccleſie Clerici

(z) Poſterior manus ſuperjecit *Wra*: ſcil. Wratislaus, quæ vox omnino deeſt. (a) Lege *Sanctum Wenceslaum & Boleslaum ſeuo.* (b) Optandum fuiſſet, ut author has ipſas literas adjeciſſet, primas enim inter omnes hactenus detectas chartas noſtras ferrent, præſertim cum mox ſequentibus verbis innuat eas literas adhuc vivente Wratislao datas fuiſſe. (c) Sanctæ Ludmillæ & Wenceslai nomina ſcriba ſolum initialibus literis *Lud. Wenc.* expreſſit. (d) Legendum *fabricabam.*

ci per feminas ſunt ejecti, (*e*) ut vulgariter dicitur: *Wiſſimuchu ye iako Radocha zezlunu*, & ſuffragante ſeculari potentia verſo ordine poteſtati femine ſunt ſubjecti, & nomen Prelati in proceſſu temporis eſt deletum & usque hodie dicuntur Canonici quodammodo acephali, carentes capite ſeu Prelato, in eadem eccleſia diſtinctas prebendas, & loca in proceſſionibus, & ſtalla in choro poſſident. Emolimenta ſpecialia percipientes, diſtinctaque officia in cultu Divino exercere tenentur, ut eorum anteceſſores a tempore Romanorum Pontificum, *Celeſtini*, (*f*) *Bonifacii*, *Clementis V. Joannis*, *Benedicti*, *Clementis VI*, & *Innocencii* moderni. (g) Regum Boemie: *Wenceslai*, item *Wenceslai*, *Rudolphi*, *Joannis*, *Wenceslai* ſeu *Karoli*, qui & *Romanum* modo tenet Imperium. Dyoceſanorum vero epiſcoporum Pragenſium: *Thobie*, *Gregorii*, *Johannis*, & *Arneſti* modo jam Archiepiſcopi. Abbatiſſarum autem: *Anne*, *Sophie*, *Gunegundis* filie Regis *Przemisl*, *Wraccze*, *Sophie* de *Pyetiwcboſt*, & *Agnetis*, (*h*) qui adepti beneficia in eadem eccleſia diſtincta exercuerunt officia, & reliquerunt ſuis ſucceſſoribus, ut olim a ſuis predeceſſoribus conſveverant exercenda: videlicet quinque Presbiteri (*i*) ſacerdotalia officia ſuis ſeptimanis ſecundum ordinem viciſſitudinis eos contingentia, explentes Miſſarum ſollemnia ad altaria in majori eccleſia, & aliis ſeptimanis continue ſequenti-

(*e*) Innuit hic author Moniales Ordinis S. Benedicti, quarum monaſterium iſthic a Boleslao II. & ſorore Illius Mlada prima loci Abbatiſſa fundatum fuit, quid vero ſequens vetus proverbium Boemicum notet, nullus ſcio, nec divinare cum aliis volui. (*f*) Videlicet V. hujus nominis, ex hoc & ſequentibus conjicitur ſub hoc ſummo Pontifice circa inſtitutionem Cleri, eorum præbendas, diſtributionesque peculiares ordinationes in eccleſia S. Georgii fuiſſe factas, nam quæ poſtea refert author de Wenceslai II. Regis Bohemiæ imperio, deque Tobiæ & Gregorii epiſcoporum Pragenſium præſulatu accurate reſpondent huic chronologiæ. (*g*) Videlicet VI., qui ab anno 1352. uſque 1362 rexit eccleſiam, quo medio tempore igitur author noſter ſcripſit, quod mox infra confirmat, cum Arneſti primi Archiepiſcopi mentionem faciens ſubjungit *modo jam Archiepiſcopi*. (*h*) Ex his Anna, Sophia I Wracza Abbatiſſæ ignoratæ fuere Hammerſchmidio in ſuo Indice Abbatiſſarum & hiſtoria S. Georgii. Mirum authorem noſtrum mentionem nullam ingeſſiſſe: Agnetem poſtremo loco memoratam in Principiſſarum Romani Imperii ordinem & dignitatem fuiſſe a Carolo IV. evectam. (*i*) Hi omnes fuere Canonici, uti ex infra dictis manifeſtum fit, quorum præbendæ enumerantur.

tibus in capella Beate Virginis diei vel festi, cujus hore canonice dicuntur, celebrare tenentur. Diebus Dominicis aquam ad aspergendum, Epiphanie, Resurrectionis, & Sancti Spiritus vigiliis aquam & fontem. In Purificacione candelas. In capite jejunii cineres. In die Palmarum frondes & palmas. In vigilia Pasche ignem benedicere tenentur. Item in primis vesperis Dominicarum & festorum inferius expressorum, Altaria, Clerum, Moniales incenso thurificant. Communicantes Moniales in diebus Nativitatis *Christi*, Annunciacionis, Cene Domini, Pasche, Pentecostes, Assumpcionis, Omnium Sanctorum, & Parasceven familiam & alios seculares communicant, aliaque sacramenta ecclesiastica, sepulturam, unctionem extremam, baptismum aministrant. Item certis temporibus, ut in die sepulture, alicujus funeris tertio, septimo, tricesimo, anniversario, certarum & signatarum secundam missam debet ebdomadarius procurare. Duo vero Dyacones suis ebdomadis in majori Missa evangelium legere, Ite Missa est, Benedicamus Domino, humiliate vos ad benedictionem, flectamus genua, levate, Inclinate capita vestra Deo, & in defunctorum Missis, evangelium & requiescant in pace dicere, thurificare, & aspergere funus, ministrare ebdomadario Presbytero ad altare, & in processionibus passiones legere, Cereum Paschalem benedicere, in Missis cantare, & in Vesperis & Matutinis communem cantum, specialiter in Matutinis, liber generationis: In Vesperis, Benedicamus Domino cantare. Item in capella juvare cantare Missam presbyterum ebdomadarium; Candelas deferre ante eundem, qui incensat chorum, & altaria, & in processionibus librum, & urceum cum aqua & asperforio, ut inferius patebit, ministrare, sacros liquores, loto Crismario, (*k*) tempore debito recipere, & alia officia dyaconalia tenentur exercere. Item duo subdyacones prophecias & epistolas legere, presbytero ad altare, in processionibus & in incenso cum candelis precundo ministrare, cantare communiter, & in vesperis specialiter cum dyacono ebdomadario, benedicamus Domino, & alia officia subdyaconalia tenentur officiosissime adimplere. Item per loca presbyteri a subdiaconibus distinguuntur eo, quod presbyteri ad altare, & in processionibus supremum tenent locum, dyacones & subdyacones posteriorem. Quia dyaconus ebdomadarius in Missa stat post, & subdiaconus post eum & presbyterum, & in processionibus induti sacris vestibus re-

li-

(*k*) Vas, in quo sacrum chrysma asservatur.

liquias Sanctorum, & plenarium (*l*) deferentes. Et dyaconus vel ſubdyaconus, cujus eſt ebdomada in capella juvandi Miſſam, crucem deferens, & cujus vacat ex hiis ebdomatis, Aſperſorio, & urceo, librum cum collectis dicendis deferens, ut juniores precedunt. Item ſtallis in choro presbyteri a clericis ſejunguntur. Nam presbyteri quinque habent quinque ſtalla ſpecialia a parte ſeptemtrionis, ſecundum ordinem ſenioritatis ſurſum ſtantes, & dyacones ac ſubdyacones a parte auſtrali habent ſtalla. Item per emolimentorum recepcionem presbyteri canonici ab aliis ſequeſtrantur, presbyter enim ebdomadarius partem mediam offertorii in Miſſis poſiti, & in Veſperis, & in Matutinis, dyaconus terciam, & ſubdyaconus ſextam partem dumtaxat tollunt & pro ſuperpeliciis in die Omnium Sanctorum, quilibet presbyter per decem, & dyaconus & ſubdyaconus per quinque groſſos recipiunt. Item presbyter ebdomadarius prebendam panis, vini, cereviſie, pullorum, carnium, piſcium, oddicionum, ut alia Monialis in conventu, recipit in contingenti cum ebdomaria. (*m*) Dyaconus feriis terciis, & ſubdyaconus quintis feriis tantummodo ſimplas carnes, videlicet: crus porcinum, aut aſſaturam pecorinam, aut fruſtum lardi in valore minime ſex parvorum denariorum (*n*) tollunt, & dari a monaſterio debent. Item quia presbiter ebdomadarius in capella omni ſabbatho ab Abbatiſſa duos groſſos recipiens, ſeptem parvos denarios dat miniſtro, pro ſe reſiduum reſervans. Item in Adventu (*o*) & quadrageſima cuilibet dyacono & ſubdyacono per unum allec dietatim, presbytero vero per duo allecia (*p*) dantur. Item per corpora Prebendarum & decimas per loca certa ſequeſtratas presbyteri a clericis disjunguntur, & per conſuetudinem diuturnam, poſſeſſoresque earum a tempore ſupradicto tenentes; Officia predicta expleverunt diſtincti officio & prebendis. Nam tempore Anne Abbatiſſe (*q*) predicte

(*l*) Id eſt: Miſſale. (*m*) Monialis, quæ alternatim per hebdomadas in choro præcinit, & verba præit. (*n*) Sex parvi hodierno valore circiter 12 cruciferos æquabant, duodecim autem parvi denarii groſſum Pragenſem æquabant. (*o*) Ex his conjice Clerum S. Georgii in Adventu ſe debuiſſe accommodare Monialibus, quo carnibus non veſcebantur. (*p*) Id eſt per unum halecem & per duos haleces. (*q*) Annam hanc eodem tempore munus Abbatiale geſſiſſe, quo Cœleſtinus V. Romanæ, Tobias Pragenſi præfuit eccleſiæ, Wenceslaus vero II Bormis imperavit ex iis manifeſtum fit, quæ ſupra de nova ordinatione Cleto S. Georgii data ſupra memoravimus.

te *Wenceslous*, qui cognominabatur *Gaudeamus* corpus prebende tenens in *Holus*, & decimas vinee & arature medietatem in majori *Owenecz* tollens, ſacerdotalia nomine ſuo, & ſui Canonicatus exercuit officia, ac emolimentum ſuperius expreſſum percipiendo, & in *Lybicz* rexit cum hoc eccleſiam ſancte crucis. Cui in eadem prebenda *Johannes* dictus *Zlechowecz* temporibus *Clementis* Pape V. *Johannis* Epiſcopi, (r) *Johannis* Regis, *Gunegundis* Abbatiſſe, (s) ſucceſſit, qui ſimiliter ſacerdotis explevit officia, & ipſe ſacerdos Plebanusque exſtitit in *Swemichcz*, qui ſuo tempore reditus ſex ſexagenarum in *Otwojecz* comparavit ſue Prebende, ſuisque ſucceſſoribus oneratos certo onere, quamdiu onus injunctum expleverint ſub pena privationis ipſorum reddituum; ſi debitum onus explere neglexerint, eccleſie contulit, & applicavit, ſic quod poſſeſſor dictorum bonorum in ſuo anniverſario monialibus preſentibus Vigiliis, Miſſe, & commendationibus, & Canonicis per duos groſſos, & Vicariis intereſſentibus predictis per unum groſſum, presbytero Miſſam cantanti II. groſſos, ſex ſacerdotibus pro legendis Miſſis tres groſſos. Abbatiſſe IIII. groſſos, Matronabus (t) II. groſſos, campanatoribus unum groſſum, pauperibus in foribus eccleſie pro pane I. groſſum; qui mortuus eſt A. Domini MCCCXXXIX. VII. Idus *Novemb.* Item de eisdem bonis in dedicatione capelle Canonicis & Vicariis Miſſe intereſſentibus per I. groſſum. Item in anniverſariis patris *Dobrziemil* (u) & matris *Wawrzene* (x) Vitalis (y) monialibus XXX. groſſos, & XXX. officianti Miſſam bis per groſſum, & pro IIII. Miſſis legendis bis, bis per ſex parvos, matronabus bis per I. groſſum, campanariis, bis per I. groſſum, pauperibus bis per I. groſſum perpetuis temporibus miniſtrabunt. Quod ſi aliquis ex eis neglexerit predicta, aut aliquod predictorum, bonis privari debet predictis, & alteri ſunt, qui diligentius onus expleat, committenda, ſicut eantat tenor littere ſuper hoc per ipſum lar-

(r) Nempe Pragenſis & ultimi inter epiſcopos hujus nominis. (s) Gunegundis ab anno 1305. usque ad annum 1321. præfuit, ut Petrus Abbas Aulæ Regiæ meminit in Chron. Aulæ Regiæ p. 382. (t) De his Duſreſnius in Gloſſario voce *Matronicarius*: Matronæ viduæ erant, quæ ad eccleſiæ miniſterium erant adlectæ, vel quæ eccleſiæ ſtipendiis alebantur. (u) Hæc vox in vacuum a primo ſcriba relictum ſpatium a poſteriore non nemine minore charactere inſerta eſt. (x) Laurentiæ. (y) Veroſimiliter deeſt *die*, id eſt die S. Vitalis.

largitorem bonorum originaliter edite, & confecte, quas nunc ſervat Dominus *Busko Leonardi.* (z) Et ipſi *Joanni* predicto ſucceſſit in prebenda *Hoſtislaus* Doctor Decretorum, presbyter & Decanus *Sacenſis*, ac officialis curie *Pragenſis* Archiepiſcopi, qui obiit anno Domini MCCC XLVII. XIX. Kalendas *Januarii*, & teſtamentarius ſeu executor ſue voluntatis ultime. Decanus *Pragenſis* de bonis legatis redditus certos comparavit, principaliter monialibus II. ſexagenas, & alios reditus per medium eccleſiis Sanctorum *Georgii* & *Galli* dividendis applicavit, & monialibus ac Canonicis parte media per medium in ſuo anniverſario intereſſentibus Vigiliis, Miſſe, & commendationibus ad ejus ſepulchrum ſubdividenda, & uſque ad preſens quinque Francones (a) dedit inter-Canonicos dividendos; cui in Prebenda *Joannes* quidam per gratiam a *Clemente* VI. Papa ſibi factam ſucceſſit, qui presbyter extitit onera & officia implendo cum *Sulkone* predicto etiam presbytero pro eccleſia in *Uneboſczt* commutavit. Qui etiam officia ſacerdotalia & onera, ut ſui anteceſſores conſueverant, & alia ſibi commiſſa implevit, & implet usque ad preſens diligenter. Item in alia Prebenda, cujus (b) corpus in villa *Kniczewecz*, & decime in *Syrzewitz* (c) noſcuntur eſſe, cujus poſſeſſor quidam *Abel* presbyter, & Plebanus in *Hoſtun* fuit, a temporibus *Celeſtini* Pape, Regis *Przimisl.* Cui *Wenceslaus* dictus, & fuit cum curvo capite, proviſus per graciam *Bonifacii* Pape, ſucceſſit, qui etiam presbyter exiſtendo egit pro decimis cum civibus de *Lutomericz* coram *Gregorio* epiſcopo, & ſuo Officiali *Hoſtislao*, ut apparet in litteris ſententie per eum obtentis. Cui *Procopius* ſucceſſit a tempore *Sophie* Abbatiſſe, que fuit ante *Gunegundem.* (d) Cui *Thomas* dictus *Syrzecz*

(z) In margine poſteriore manu notatum: *Inquiratur de littera iſta, eſt neceſſaria non habetur in caſſa*, id eſt arca archivi. (a) Aurea moneta Francica, de qua eodem fere tempore charta eccleſiæ Brivatenſis anno 1365. in Conſuet. Solenſi tit. 9. Art. 3. *Unus denarius auri vocatus Franc pro XX ſol. computatus.* Quanquam vox hic dubia fit contracta ſcilicet: Franconesne an Fertones ſignificet? (b) Hic verſa pagina ſcriba (qui prius bifide ſeu per columnas ſcripſerat) incepit lineas per totam paginæ latitudinem ducere. (c) Poſterior manus ſupra adſcripſit: *bladorum X. ſtrichones, nam decimas Abbatiſſa dare conſuevit.* (d) Recte author diſtinguit Sophiam hanc a ſecunda de Piſtichw ſt dicta, quæ Cunegundi anno 13 1. quinto Kalendas Decembris (non 13 Februarii, ut perperam refert Hammerſchmidius p. 92.) demortuæ ſucceſſit.

ſucceſſit, qui nunc eſt, qui omnes fuerunt presbyteri, & officia ſacerdotalia expleverunt, fueruntque ſacerdotes, & nunc qui preſens eſt, ſacerdos eſt, & ſacerdotalia explet officia, doctus, & conſvetus a ſuis anteceſſoribus nunc predictis. Item in Prebenda, que eſt in villa *Statowicz* pro corpore Prebende dicte etiam ſacerdotali, quidam fuit Magiſter *Mathias* presbyter, Rector ſcholarum in caſtro *Pragenſi*, cui *Wenceslaus* predictus cum curvo capite per optionem tempore *Sophie* Abbatiſſe primum nominate ſucceſſit. *Wenceslao Hoſtislaus de Petrowitz* avunculus *Hoſtislai* prius dicti ſucceſſit, & ipſi *Hoſtislao Karolus* Archidyaconus *Bechinenſis* pro ſuo Archidyaconatu per commutationem ſucceſſit, & videns, quod fuiſſet, & eſt ſacerdotalis prebenda, & ipſe ob defectum manus nequiens procedere ad gradum ſacerdotii tribus menſibus non plene elapſis reſignavit prebendam, & officium canonicatus. Cui *Hoſtislaus* de *Sedelczano* ſucceſſit, & cum *Verenbero* Plebano Sancti *Galli* in civitate *Pragenſi* pro ſua eccleſia commutavit, qui *Verenberus* anno Domini MCCCLII. in die Sancti Spiritus eſt defunctus. Qui omnes fuerunt presbyteri, & in ipſa prebenda, ſicut in predictis, ſacerdotalia officia conſueta, & debita peregerunt, quam prebendam de jure & de facto *Nicolaus* dictus *Tannus* tenet, & optinuit, & officium ſuum per ydoneum presbyterum complet, & complevit. (*e*) Item prebenda, cujus corpus eſt in villa *Przilep*, quidam *Jacobus* presbyter & Plebanus in *Cbuchel* temporibus *Celeſtini* & *Bonifacii*, *Anne*, & *Sophie* Abatiſſarum (*f*) fuit poſſeſſor predicte prebende decimas medias (*g*) de *Choruſſek* bladi, pecunie, pullorum, & ovorum, ac medietatem decimarum vinee & agriculture in majori *Owenecz* ad ſuam prebendam dictam pertinentibus tulit, cui *Beneſſius* in eadem Prebenda ſucceſſit, qui ambo per ſe officia debita ipſi Prebende ſacerdotalia peregerunt, & ipſe *Beneſſius* manu propria, ea, que ſunt in antiquo Graduali (*b*) nova ſcripta, ſcrip-

(*e*) A vocibus *Nicolaus dictus Tannus* omnia poſteriore & minore charactere inſerta ſunt. (*f*) Hem! confirmatur Annam & Sophiam ſub Pontificatu Cœleſtini V. & Bonifacii VIII. præfuiſſe. (*g*) Calamus recentior in margine adjecit: *Atqui non eſt ſic.* (*b*) Liber pro miſſa cum modulatione vocis cantanda. Hujus etiam Beneſſii ſcribæ manu exaratus membranaceus Liber exſtat hodie in Bibliotheca Cæſarea vitam Chriſti ſub figura militis præſentati complectens a quodam Colda Ordinis Prædicatorum Cunegundi Abbatiſſæ S. Georgii 1312. nuncupatus.

ſcripſit. Cui in Prebenda *Stephanus*, qui cognominatur Magiſter, per *Benedictum* Papam proviſus ſucceſſit, & cum *Wenceslao* Plebano de *Milczin* pro miniſterio altaris Sancte *Katharine* in eccleſia *Pragenſi* permutavit, & iſti duo ultimo nominati, & ipſe & per alium ſacerdotalia, ut ſui anteceſſores expleverunt officia. Item poſſeſſor corporis quinte prebende ſacerdotalis, quod eſt in villa *Bobemicz*, & decimo poſt duas araturas in *Uthuczewes* ſpectant ad eandem, quam a tempore *Thobie* epiſcopi *Pragenſis Thomas* dictus *Puten* poſſidendo ſolus per ſe, ſibi, & ſue Prebende ſacerdotalia exercuit officia, qui cum ſenior fuit inter Canonicos, ſociorum ſuorum, monialium, & laycorum, familiarium, ſervitorum, monaſterii utriusque ſexus confeſſionem audivit, & abſolvit, aſſerens ſe, & quemlibet ſeniorem Canonicum, & ebdomadarium in ſua ebdomada habere auctoritatem de conſuetudine eccleſie a ſui fundacione confeſſionem audiendi, & abſolvendi perſonas clericales & laicales ad ipſam eccleſiam Sancti *Georgii* pertinentes, ſicut & alia ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrandi a tempore, cujus contrarium in memoria hominum non habetur. Cui *Joannes* dictus *Terhomka* in Prebenda ſucceſſit, & mortuus eſt ipſe *Joannes* quarto Idus *Decembris*, anno Domini MC CCXXXVIII. De cujus parte pecunie derelicte, videlicet XV. ſexagenis, *Thomas Serzecz* predictus LXXXIX. groſſos in reditibus in villa *Miletitz* comparavit, & in trantlacione Sancte *Ludmile* pro refeccione canonicis & miniſtris intereſſentibus Miſſe XXVII. groſſos dividendos, I. groſſum matronabus, I. campanariis, I. pauperibus adminiſtrat. In ipſius autem *Joannis* anniverſario preſentibus Vigiliis, & Miſſe eisdem canonicis & miniſtris XXVII. groſſos, II. groſſos in offertorio, II. in candelis, I. matronabus, I. campanariis, & I. groſſum in pane pauperibus miniſtrando expendit. Cui *Joanni Franciſcus Vilandi* de *Praga* per *Benedicti* Pape proviſionem ſucceſſit, & ut in ipſa ſacerdotale officium ſibi & ſue Prebende debitum (*i*) gradum ſacerdotis ſuſcepit. Cui *Beneſſius* Plebanus de *Walduch*, & *Beneſſio Albertus* per commutationem ſucceſſit. In Prebendis autem dyaconalibus ſunt diſtincta officia, corpora, & decime. (*k*) Abbatiſſa enim nomine corporum tres marcas le-

(*i*) Alia poſterior manus in margine ſupplevit verba: *poſſit peragere.* (*k*) In margine rubro, colore adſcriptum: *Nota de Prebendis dyaconalibus eccleſie Sancti Georgii.*

leves (*l*) annuatim ambobus ſolvit. Unus ex dyaconibus decimas in cenſu pecunie & bladi, in villa *Poſtrzizin* (& non quod de eadem villa poſt decime hujusmodi tam pecuniarum, quam bladorum per Dominam *Bgetkam* Abbatiſſam (*m*) in & ad bona *Niemzicz* ſunt translate ex permutatione bonorum, ut habetur in Tabulis terre. Que decime incluſive omnibus ad duas ſexagenas ſe extendunt annuatim) (*n*) & medietatem decimarum de campis trium araturarum in *Brziezano* percipit. In qua Prebenda quidam *Wenceslaus* per *Celeſtinum* Papam proviſus, & poſtea Archidyaconus *Pragenſis* factus fuit. Cui *Lupus*, & *Lupo Michael*, & *Michaeli Petrus de Thalenberk* ſucceſſit, qui omnes dyaconalia officia, nedum dyacones imo presbyteri exiſtentes, peregerunt, & ultimo nominatus peragit. Alter dyaconus decimas poſt duas araturas in campis de *Borzianowicz* percipit, & pratum habet in *Otbwoiecz*, in qua Prebenda quidam *Vito* ante tempora *Anne* & *Sophie* Abbatiſſarum, & eorum tempore per ſe dyaconalia peregit officia, & ſibi tempore *Gunegundis* Abbatiſſe *Mraczek*, *Mraczkoni Jaczek*, *Jaczkoni Maczek*, *Maczkoni Felkel*, *Felclino Waniek*, *Wanconi Peſek*, *Peſconi Jeſek*, *Jeſconi Franiek*, *Franconi Jeſek*, *Jeſconi Budek*. Hii omnes, preter primum, licet minus juſto titulo occupaſſent, tamen dyaconalia peregerunt officia, & nunc predicti *Budek* & *Peſek* litigant de eadem.

In ſubdyaconalibus Prebendis loca prebendarum, & perſonarum, decimarum & officia ab aliis ſunt diſtincta. Bona in villa *Dublovicz* pro corpore Prebende ſubdyaconalis, & pro decimis araturarum quondam in *Poblato*, in *Brziezano* duas curias cum agris & ſuis pertinentiis tenet, in qua erat quidem *Theodericus* tempore *Tobie* epiſcopi, cui ſucceſſit *Sdis-*

(*l*) Aliter regalis ſeu regii pagamenti dicta tantum 56. groſſos Pragenſes æquabat. Vide P. Adaucti Beſchreibung böhmiſcher Münzen 3. B. S. 31 und 35. (*m*) Id eſt: *Eliſabetham*, quæ autem illa? hujus nominis prima præfuit ſæculo X. ſecunda nata Kollowrathea juxta Hammerſchmidium pag. 96. primum poſt annum 137[illegible]. Margarethæ ſucceſſiſſet, ſed cum codex iſte inter annum 1352 - 62. ſcriptus ſit, manifeſtum fit chartas illas Margarethæ ad annum uſque 1370. procurrentes in Chronologia quoquo demum errore non rite ab Hammerſchmidio fuiſſe notatas, cujus erroris vel ipſe mox pagina ſequente 97. indicia reliquit, cum Eliſabethæ chartas jam ab anno 1363 - 1367 & 1368. referat. (*n*) Hæc tota periodus parentheſi incluſa eodem quidem charactere, ſed alio atramento infra ſcripta eſt ſigno revocationis ad hunc locum facto.

Sdislaus, *Sdislao Ulricus*, *Ulrico Hoſtislaus*, *Hoſtislao Mika*, *Mike Sdislaus*, *Sdislao Przibik*. Hii omnes debitum ſibi & ſue Prebende officium fecerunt, & ultimo dictus *P.* (*Przibik*) facit. In altera Prebenda corpus ipſius in *Borzianowicz* fuit, & decimarum medietas trium araturarum in *Brzezano*, ac in *Wrutinicz* in cenſu pecuniali decime ſpectant ad eam, in qua quidam *Laurentius* dictus *Koczka* omnium predictorum Canonicorum ſenior erat, qui ſcripſit Epiſtolarium, (*o*) & ſolus per ſe ſubdyaconatus officium quamdiu vixit, faciebat, cui *Bohunko* ſucceſſit; cujus tempore *Sophia* Abbatiſſa poſt nominata (*p*) corpus de *Borzanowicz* transtulit, in *Opatowitz*, cum proteſtacione, quod poſſit ipſa vel ſue poſtere, iterum regredi, & translationem hujusmodi retractare. Et *Bohunkoni* ſucceſſit *Johannes* dictus *Howorka*, *Joanni Przieſek*, *Przieſconi Vitus*, *Vito Peslinus*, *Peslino Michael*, *Michaeli Franciſcus*, *Herbordi* de *Praga*. Hii omnes ſubdyaconatus ſoli exiſtentes ſubdyacones (preter *Michaelem*, qui modico tempore fuit Canonicus) (*q*) aut in ſuperioribus ordinibus officia ſubdyaconalia peregerunt.

De diſtinctione officiorum presbyteri predicti, & ſucceſſores eorum, in presbyterali Prebenda ſuccedentes tres ex eis explebunt in eccleſia per decem ebdomadas, duo per undecim ſeptimanas, & in capella ſimiliter tres per decem, & in capella duo per undecim annuatim, & ſic unicuique presbytero, quia quinque ſunt, continget in anno vacare XX. unam ſacerdotalem, preter unum, qui ſolum XX. ebdomadas peraget annuatim. Dyaconus vero & ſubdyaconus, quia duo & duo ſunt, per XXVI. ebdomadas in eccleſia, & per XIII. in capella, eo quod per unum juvant Miſſas cantare per annum, & ſic quemlibet ſubdyaconum & dyaconum annuatim contingit vacare ab ebdomada XIII. ſeptimanis. Hec predicta ſunt diſtincta ſpecialiter & officia, & emolimenta, & percipientes juſto titulo tenentur & officia adimplere. Inſuper unicuique equaliter canonico per XII. ſtrichones ſiliginis circa feſta *Galli* & *Martini*, &

(*o*) Liber epiſtolarum S. Pauli & aliorum, qui diſtinctus erat a Miſſali jam ſæculo XI. Leonis Oſtienſis, de quo ille: *Usque ad illud tempus in Planario Miſſali tam evangelia quam epiſtolæ legebantur, quod quam eſſet nunc inhoneſtum modo ſatis advertitur* l. 3. c. 19. (*p*) Veroſimiliter Sophiam II. innuere voluit. (*q*) Hæc parentheſis poſteriore manu inſerta eſt.

& per porcellum ante carnis brevium, (r) & decimas de vinea in *Tynecz*. Perſona regens bona monaſterii & monialium omni anno ad ea, que dicta ſunt pro officiis predictis tenentur de jure & conſuetudine miniſtrare, & usque nunc ſemper fuerunt miniſtrata. Item ad alias horas aut officia non ſunt ſoliti convenire, niſi in eisdem ſpecialem conſolationem recipiant, & conſvetam; quod ſi aliquis ab intereſſe ſe ſubtraxerit, ipſa conſolatione carebit, & penam aliam non incurret, ſicut ad matutinas in Nativitate Domini, ad cantandum verſum ultimum cum trophis, (s) & Te Deum laudamus, & Miſſas. In prima Miſſa vacans ſubdyaconus debet cantare laudem Deo, (t) & Abbatiſſa cum Conventu & Clericis, & matronabus datis denariis pro offertorio, & cuilibet legenti Miſſam per ſex parvos, & in aurora, ac majori Miſſa per groſſum conſuevit offerre, & ſemper obtulerunt. In aliis quoque feſtis, quibus miniſtri ſacris induti veſtibus ad altare miniſtrantes ſua exercerent officia, groſſum obtulerunt, & ad proceſſionem ipſa die convenire conſueverunt. Si quis autem hiis non interfuit, refeccione vel pecunia data pro ipſa, quia ipſa die datur refeccio vel pecunia pro eadem a monaſterio, carere debet, inter preſentes abſentium portio dividatur, & ſic omnibus aliis temporibus, quibus ſolent fieri pitantie, ſeu diſtributiones eſt conſuetum fieri. Abſentes nihil percipiant, & preſentes fructum debitum facientes inter ſe diſtribuant, juxta dictum: qui non laborat, nec manducet.

Item in Matutinis, in Cena Domini, & ſequentibus tribus noctibus ad Benedictus & ſequencia cantanda conveniunt, ſi aliquis ſe abſentaverit, porcione offertorii, quod ad Sanctuaria in Paraſceven ponitur; Et pictis ovis, que in Paſcha *Georgii*, & dedicacionis eccleſie quolibet feſto cuilibet Canonicorum equaliter per octo, ſic ergo ter VIII. per XXIIII.

(r) Lege *carnisprivium*, id eſt ante quadrageſimam. (s) Trophi idem quod tropi ſeu cantus. Ita liber continens tropos vocatur troparius & troponarius, fuere autem cantus *qui cum Introitu Miſſæ dicuntur præſertim a Monachis*. inquit Beletus c. 59. & de *tropis lugubribus* ait Rupertus l. 5. de Diis in offic. c. 7. *qui extinctis luminaribus in ipſis tenebris præcinuntur cantatoribus & choro reſpondente flebili modulatione decantantur, incipientibus a Kyrie* (t) Preces certæ inſtar hodiernarum Lytaniarum, Potifice, Romanorum Imperatore Rege &c. cujusmodi exempla apud Dufreſnium voce *Laus* legere eſt.

XXIIII. dari debent, (*u*) carebit. Item in Paſcha ad primum tactum campane ante matutinum ad tollendam Crucem de ſepulchro, & locandam in loco ſuo, ad quam Abbatiſſa cum ſenioribus monialibus quatuor groſſos ad minimum offerre conſvevit, ac in viſitatione ſepulchri per Conventum Diaconus mercatoris, Subdiaconus angeli, & ambo Apoſtolorum *Joannis* & *Petri*, Presbyter Dominicam repreſentantes perſonas (*x*) conſveta facient, Offertorium ad Crucem, ſepulchrum, & Menſam, & altare inter ſe more conſveto ebdomadarii divident, communem cantum communiter omnes cantabunt. Ad proceſſionem & Miſſam conſvetum eſt venire, & negligentes horum refeccione, vel pro ea porcione, que datur ipſa die, carebunt. Ad Veſperas in Vigilia Nativitatis *Chriſti*, & in diebus Nativitatis ejusdem *Stephani*, *Johannis*, in prima Veſpera Epiphanie, in Purificatione utrisque Veſperis, in Vigiliis *Boleslai*, (*y*) *Mladé*, *Wratislai*, & *Gunegundis*, in Annunciacione, in Vigilia Paſche, & tribus diebus ſequentibus, *Georgii*, Dedicacionis, in Vigilia Aſcenſionis, Pentecoſten, & tribus diebus ſequentibus, Trinitatis, Corporis *Chriſti*, *Viti*, *Johannis*, *Procopii*, *Marie Magdalene*, Corone Domini, Aſſumpcionis, Nativitatis *Marie*, *Ludmile*, *Wenceslai*, *Michaelis*, Omnium Sanctorum, & Concepcionis convenire ſolent, & pro pitancia IIII. pintas (*z*) cum dimidia vini, vel medonis, & de cerviſia ſtaphus magnus, ſeu anſa (*a*) ſapidi potus mundi vaſis (*b*) pro qualibet viſitacione veſperarum preſentibus miniſtratur. Ad Miſſas vero, in quibus datur refeccio, vel pro refeccione XXXVI. groſſi, convenire ſolent, ſicut in diebus Nativitatis, Epiphanie, Paſche, *Georgii*, Pentecoſten, Aſſumpcionis, *Wratislai*, Dedicacionis, *Wenceslai* ab antiquo, & per Abbatiſſam *Gunegundem*, que recepit habitum monaſticum Anno Domini MCCCII. die *Marie Magdalene*, & in ſuo anniverſario V Kalend. Decemb. (*c*) de bonis *Zwanowicz*, *Strzemelicz*, & *Haczky* monaſterio per eam proviſis, duas refecciones dari inſtituit, & VII. pitancias. Et in paſſione ſancte *Ludmile* per *Hoſtislaum* de *Petrowitz*

(*u*) Hem! ovorum pictorum, hodie in Paſchate ſolum retentorum, antiquum uſum. (*x*) Id eſt Chriſti, hæc hodie in quibusdam cathedralibus eccleſiis ol ſervantur. (*y*) Pii Ducis Bohemiæ, qui cum ſorore ſua Mlada moniales ad S. Georgium induxit. (*z*) Menſura Bohemica quatuor ſextariorum, quarum 32 urnam æquabant. (*a*) Vas ligneum cum anſa hodie patria lingua Korbel dictum. (*b*) Id eſt defæcati. (*c*) Ex hoc ipſo loco etiam liquet Hammerſchmidium hoc manuſcripto non ſedulo uſum, cum Cunegundis obitum ad 3. Februarii reponat.

pro domo in *Praga* data monaſterio convenientibus, & intereſſentibus refeccionem inſtituit miniſtrari. Item in Epiphania ad *Colendam* (*d*) ante Abbatiſſam conveniunt, que eisdem XXXVI. groſſos pro toto offert, potus vini & cerviſie ſine menſura. Item in Cena Domini ad benedicendum panem, favum mellis, piſces, & oblatas ad faciendum mandatum (*e*) conveniunt, ubi pitancia vini, cerviſie ſine menſura, unus piſcis, panis unus, favus mellis unus omnibus, & cuilibet preſenti Domino faſciculus oblatarum, XVI. oblatas continens. (*f*) Cuſtrix vero ad matutinum, ſacre noctis Nativitatis cuilibet per candelam combinatam & reflexam, (*g*) ac in Epiphania IX. groſſos, IX. nuces muſcati, duas pintas vini, & de cerviſia pro VI. parvis, IX. huſſulas (*h*) in valore IX. groſſorum de pura ſimila, IX. ſexagenas nucum, CXLIIII. poma, & totidem pyra, & in vigilia *Georgii* IIII. groſſos, & in die *Cordule* IIII. groſſos, in Miſſis defunctorum miniſtrare Dominis conſvevit, & tenetur. Item quelibet monialis in ſui receptione refeccionem Dominis, & ebdomadariis offertorium, vel pro ea Abbatiſſa dare tenentur. Item In velatione monialium, & benedictione Abbatiſſe refeccio omnibus ſollemnior, & offertorium uberius ebdomadariis dari eſt conſvetum. Item in Purificatione cum candelis benedictis Abbatiſſa & moniales, & in palmis cum palmis offerunt eciam plus ſolito. Item in veſperis, paſſione, & translatione ſancte *Ludmile* Abbatiſſa cum Conventu offerunt. Item in Miſſis defunctorum *Boleslai*, *Mlade*, fundatoris *Wratislai*, *Gunegundis* Abbatiſſe, & *Hoſtislaue* Abbatiſſe, *Felicis* & *Adaucti*, & in ſepultura uniuscujusque monialis, Clericus, Matrona, & campanarius per parvum denarium de pecunia monaſterii offerunt, quod ad minimum ad VII. groſſos ſe extendant. Item unicuiqne Presbytero Miſſam legenti defunctorum, VI. parvos offerent. Item quidquid offertur in altari infra Miſſam, per quemcunque oblatum fuerit, aut in ſepulchris mortuorum, & in diebus Paraſceven, Aſcenſionis, a mane uſque ad veſperum, & ſancti *Wenceslai* poſt Miſſam, uſque

(*d*) Hodie dicitur *Coleda*. Mos Parochorum ſub principium anni ſingulas domos parochialium viſitandi, benedicendi, oſculum Crucis præbendi. Vide Partem meam VI. Annalium p. 25. E quo vero ſimile ſit nomen Coledæ a colenda ſeu adoranda a ſingulis ſacra Cruce enatum fuiſſe. (*e*) Ablutionem pedum. (*f*) Placentulas tenuiſſimas inſtar hoſtiarum ſaccharo conditas uvisque paſſis inſperſas prelis ferreis toſtas ad ignem. (*g*) vulgo cereum ein Wachsſtock. (*h*) Similæ majores etiam hodie uſitatæ a Bohemica voce *Husky* hodie *Hauky*.

uſque cras poſt Miſſam ad Crucem, & ſanctuaria (*i*) in tota eccleſia, Dominorum eſt offertorium. In Miſſa ebdomadariorum in ſepulchris & (*k*) ſanctuaria commune omnium intereſſentium. Item presbyter ebdomadarius tenetur ad Miſſas diei & feſti, ſic quod cum hore ipſa die dicuntur, & in capella Beate Virginis, ut dictum eſt, & cunctas Miſſas defunctorum expreſſas, ſuperius & inferius procurandum, & miniſtri ebdomadarii, & ad nullas alias tenentur, niſi ſpecialiter rogati voluntarie, pecuniales, aut votivas, vel quando due vel plures occurrunt, ſeu dum dedicacio, ceu Patroni Altaris alicujus, aut aliquis caſus, ſeu accidens evenerit, procuraverit, non ideo in conſequentiam pertrahatur. Item ſolent convenire ad memoriam faciendam ſpecialium benefactorum ſuorum ultra diſpoſitionem mentis proprie uniuscujusque in ſuis oracionibus exequentis: ſed & ſecundum dispoſitionem uniuscujusque benefacientis, & inſtituentis, ut & ad devotionem eccleſie & collegii fideles pia opera facientes per exempla executionum ultimarum voluntatum diligenter affectuoſius attracti ſe orationibus communium recommendent, penamque oblivionis beneficiorum, & ingratitudinis evadere, ac percipiendis pitanciis exinde provenientibus, regnique celeſtis capaces exiſtere mereantur. Primum quidem poſt fundatorem, ut in memoria eſt preſentium hominum, Domina *Gunegundis* filia Regis *Przemisl* predicta ultra ea bona, per que ſuas ſucceſſores Abbatiſſas, & ſibi ſubditas moniales ſancte converſationis & religionis exemplo, & tempore ſterilium annorum, & gwerrarum proviſione ſuſtentacionis vite de bonis regalibus proprie dotis, ac librorum, Sanctuariorum, Tabularum, clenodiorum, ſacrarum veſtium, ac poſſeſſionum copioſa largicione ditavit, cuſtricis, & que ſervat menſalia, & pluminacias (*l*) pro infirmis, & ſi datur, camerarie officia impinquavit. Canonicis vero duas refecciones & bibiciones VIII. veſpertinas, ut ſupra dicitur, de bonis ſupradictis, & in litteris teſtamenti expreſſum eſt, inſtituit fieri perpetuis temporibus duraturis, & per ſuas ſucceſſores Abbatiſſas, Rectrices vel Rectores monaſterii ſervaturum. Item ipſa predicta primo admiſit, (*m*) Canonicos habere Vicarios, ut per ſe, & per alium ſine prejudicio officiorum ipſorum Canonicorum, quin ſemper quilibet Canonicus ſaltem in hiis ordinibus ſit, aut ad ordines primo promoveatur, tempore a jure conceſſo,

(*i*) Id eſt Sanctorum reliquiaria. (*k*) Supple: *ad*. (*l*) Id eſt: pulvinaria. (*m*) In margine poſteriore calamo adſcriptum: *De admiſſione Vicariorum de novo poſt fundationem Prebendarum in eccleſia Sancti Georgii.*

ceſſo, ut ſuum per ſe, & per alium diſtinctum poſſit peragere officium, & preſtiti ſibi beneficii capax efficiatur, maxime pretendendo, quod auctis Clericis Divinus cultus etiam augeatur, nec per hanc admiſſionem aſtrinxit Canonicos, nec poterat aſtringere, quin quilibet Canonicus poſſit per ſe ſine Vicario ſuum & ſue prebende officium adimplere. Nec Vicariis aliqua emolimenta ſpecialia eſt largita, ſed quantum quilibet Canonicus de ſuo emolimento vult dare, & voluntarie impertiri. Item Dominus *Albertus* miles quondam Prepoſitus hereditatem ſeu reditus in *Drzinow* dimidiam alteram marcam comparando, & molendinum in *Ugezd* ad Sanctam *Annam* Eccleſie (*n*) (Sancti *Georgii* predicti) eſt largitus, ut de *Drzinow* fieret *Hoſtislave* uxori ſue predicte in ſuo (*o*) anniverſario die *Felicis* & *Adaucti* XVIII. groſſos inter preſentes Vigiliis, Miſſe & commendationibus (*p*) dividendos, unum groſſum presbytero cantanti Miſſam, & ad offertorium VII. groſſos, Abbatiſſe VII. groſſos, & cuilibet moniali per groſſum, Cuſtrici IIII. groſſos, Matronabus II. groſſos, Campanariis I. groſſum, pauperibus groſſum, & in ſuo anniverſario tantundem expendendum, predictis perſonis dictam largitionem ſuam & poſſeſſores ejusdem, videlicet eccleſiam, & Rectores eccleſie honeravit, (*q*) quod hucusque ſervatum eſt de *Drzienow* in memoria uxoris ſue *Hoſtislave*, ipſius autem largitoris *Alberti* nulla fit memoria, neque anniverſarii dies ſcitur. (Hucuſque emolimenta expreſſa monaſterium & officiales monaſterii principales & inferiores tenentur implere) (*r*) Item *Johannes* dictus *Tyrbomka*, de ſuo dono, inſtitucione & memoria eſt jam dictum. Item de dono & inſtitucione ſue & ſuorum parentum memorie, & quis tenere debeat bona per Dominum *Johannem* dictum *Zlechowecz* largita, & quod onus ſolvere eſt expreſſum, quorum amborum tam *Tyrchomcze* per *Zerczonem*, & *Zlechowecz* per *Hoſtislaum* & *Buſconem* actenus ſunt ſervate inſtituciones, & onera adimpleta. Item *Hoſtislaus* de *Petrowicz* predictus de bonis intuitu perſone acquiſitis, & pecunia parata *Hoſtislao* de *Sedelczano* ſuo nepoti, & *Serczoni* predictis derelicta, ut de conſilio *Sophie* tunc Abbatiſſe reditus ementes ſui & ſuorum carorum & parentum memoriam aput fideles & Religioſas in eccleſia Dei perpetuam pro-

(*n*) Incluſum parentheſi poſteriore, charactere inſcriptum eſt. (*o*) Id eſt: *ejus*. (*p*) Officio & orationibus pro defunctis. (*q*) Id eſt: *oneravit*. (*r*) Hæc parentheſis, ſigno revocationis facto, infra eadem manu appoſita eſt.

procurarent, qui pro ſua derelicta (*s*) pecunia, aput eos diligentia ad hoc adhibita in *Brandiz* & *Czeradicz* XIIII. ſexagenis comparatis in annuo cenſu bona communia, ſeu obedientiam (*t*) vocarunt, retentionem eorundem bonorum de ſeptima parte fructuum juxta conſvetudinem Matris Eccleſie cum vacarent, cui communitas Canonicorum, aut major pars commiſerit, ſex partibus conſveto ſolvendi cenſum tempore in loco ſibi deputato per eosdem Canonicos depoſitis debeat poſſidere, ſicut in literis *Puſconis*, nunc poſſeſſoris eorundem, clarius continetur, & de VI. partibus in ſuo anniverſario predicti *Hoſtislai* ad eccleſiam S. *Wenceslai* unam ſexagenam inibi in ſui memoriam faciendam ad Decani diſpoſitionem, alteram ſexagenam per II. parvos cottidie in foribus eccleſie pauperibus pro pane expendendam. Item Abbatiſſe V. groſſos, & monialibus ad ea, que eis tenetur monaſterium, unam ſexagenam pro pitancia, Dominis ad XIII. groſſos, quos tenetur monaſterium eis dare ad refeccionem vel XXXVI. groſſos, ad offertorium II. groſſos. Cuſtrix lumen debet dare, quinque groſſos pro decem Miſſis legendis, (*u*) matronabus II. groſſos, campanariis I. groſſum, pauperibus groſſum. Item in anniverſariis patris dicti *Rzim*, qui eſt in vigilia *Andree* Apoſtoli, & matris dicte *Przibislawe* in die XI. milium virginum, & patrui ſui *Krzbate* XV. Kalend. *Aprilis* per quinque groſſo, nec non in feſtis Sanctorum *Gregorii*, *Procopii*, *Katharine*, *Nicolai* I. ſexagenam, & pro fabrica eccleſie tres ſexagenas expendentes, reſiduum pro diſtribucione panum in XL. intereſſentibus Divinis, & laborantibus in Dei vinea, ſicut & predicta pecunia in Vigiliis, Miſſa & commendationibus (*x*) preſentes extiterint, expendatur. Item *Sophia* Abbatiſſa in religione exemplaris, reparatrix monaſterii, & ex vetuſtate collapſi, & ignis voragine conſumpti, libertatrix (*y*) & auctrix bonorum temporalium, cujus tempore monaſterium, & perſone monaſterii religioſe in Divinis inſtitutis profecerunt, & in temporalibus auxiliis ad ducentas marcas creverunt in reditibus annuatim, & ut ſui & ſuorum parentum me-

(*s*) Pro *relicta*. (*t*) Id eſt munus vel officium, ita erat in Collegiatis & Cathedralibus eccleſiis munus ſcholaſtici, cuſtodis, cantoris &c quibus ejusmodi obligatio hanc vel illam fundationem præſtandi adjungebatur. (*u*) Ex hoc & aliis ſuperioribus locis manifeſtum fit eo tempore communem eleemoſinam Miſſarum fuiſſe medium groſſum Pragenſem, ſeu ſex denarios parvos, qui hodiernos 12 cruciferos æquabant. (*x*) Deſideratur: *qui*. (*y*) Quæ ſcilicet multa privilegia & libertates a Regibus monaſterio acquiſivit.

memoria haberetur, de ſuo dotalicio viginti marcas ſpecialiter in *Miletic* & *Donczic* comparatas, pitancias monialibus procuravit, & Canonicis unam ſexagenam in *Miletic* legavit, quam predictus *Serzec* tenendo, ut mandatum accepit ab eadem, & ſua ſucceſſore in ſuo V. Idus *Aprilis*, & patris ſui in die *Tymothei Bohuslai*, matris ſue *Sceslave* per XVIII. groſſos dividendos inter preſentes Vigiliis, Miſſe & Commendationibus amminiſtrat. De *Hoſtislai* Doctoris memoria jam eſt dictum. Item in anniverſario *Katharine* Melnikerii de una marca in *Miletic* L. groſſi monialibus, duo Abbatiſſe, & XII. preſentibus ſuis exequiis miniſtrantur. Item in die *Alexii Sdislao* Canonico XXXVI. groſſi ſuis preſentibus exequiis defunctorum miniſtrantur per *Serczonem* de *Miletic*, de quibus duo groſſi in candelis, I. campanariis, & I. matronabus expenduntur. Item de *Radim* in anniverſario *Hermanni de Neumburga* patris *Margarethe* monialis, qui eſt in die *Stephani*, XVIII. inter preſentes Vigiliis, & Miſſe II. in offertorio II. in candelis (*z*) II. groſſos, matronabus, I. campanariis, & in Vigilia Sancti *Georgii*, *Henrici*, *Avi*, & *Gereane*, (*a*) *Margarethe* predicte totidem, & in die *Sergi* & *Bachi Elizabeth* matris predicte *Margarethe* totidem, ac ipſius *Margarethe* anniverſariis totidem, ſimiliter expendentur; reſiduos XX. groſſos obedienciarius (*b*) pro ſuis laboribus reſervabit.

Item *Theodricus Plebanus* Sancti *Nicolai* in foro pullorum per *Serczonem* procuratas in reditibus *Krp* (*c*) dedit id *Cunſoni*, ut omni quarta feria Miſſam in eccleſia ad altare, ubi elegerit, legat, & ſequenti die Nativitatem *Marie*, mediam ſexagenam monialibus, & mediam ſexagenam Canonicis preſentibus exequiis miniſtrabit, Jus Patronatus Canonicis & Abbatiſſe derelinquens, ſucceſſorque ſuus ultra onus officii & penſionis predicte implendo unam ſexagenam pro panibus miniſtrare tenebitur, quem & quos ſucceſſores in eccleſia Sancti *Georgii* Canonicis

(*z*) Hic ſpacium vacuum trium vocum capax relictum. (*a*) Ita quidem vocem hanc tranſumpſit ſcriba ſæculi XV. at in autographo vox diviſa eſt *Gere ave* ut exiſtimem potius legendum eſſe *Geræ avæ* id eſt *aviæ*. Nam *ava* pro *avia* ſæpius recurrit in veteribus manuſcriptis, ut notavit etiam Dufreſnius, tum manifeſtum fit ex ſubſequa voce Margaretæ monialis, ſicut & poſtea matris Eliſabethæ ejusdem monialis. (*b*) Id eſt qui munus & officium colligendi cenſus, exequiasque exequendi curam habebit. (*c*) Vox Krp alia manu & rubro colore inſerta eſt, poſtquam vacat ſpatium quinque vel 6 vocum.

cis vel miniſtris debent inſtituere. (*d*) Item *Serczo* predictus unam ſexagenam pro panibus in adventu de *Radun* debet dare. Item idem de *Radun* in anniverſario Domini *Mladote* campanarii Sancti *Egidii*, dum occurit, XXXVI. groſſos preſentibus Dominis ſuis exequiis miniſtrabit, III. groſſos pro ſe & ſuis laboribus reſervando. Item de conſvetudine Archidioceſanus (*e*) in diebus Sancti *Stephani*, feria II. Paſchali, in Dedicacione II. feria Penthecoſtes, & *Michaelis* Miſſam tenetur per ſe, vel per alium Pontificem (*f*) celebrare.

Item Chorus *Pragenſis* (*g*) a Paſcha uſque ad feſtum Sancte *Trinitatis* quolibet die Dominico, & feſtis Sanctorum *Georgii*, Aſcenſionis, *Viti*, Aſſumptionis, etſi feſtum die Dominico occurrerit, *Wenceslai*, *Michaelis*, *Ludmile*, Omnium Sanctorum, Nativitatis *Chriſti*, *Stephani*, *Johannis*, *Innocentium*, & in Epiphania, ac in Purificacione, & in die Cinerum, ac in Veſperis in die *Lucie* ad inponendum (*h*) á ó Sapientia, & in anniverſario *Wratislai* ad ſepulchrum ſuum Veſperas defunctorum decantandas conſveverunt cum ſuis proceſſionibus viſitare. (*i*)

Diploma.

In nomine Domini Amen. Dudum venerande antiquitatis cenſuit Auctoritas, & proſperitatis ingenii exſtrinxit (*k*) ſagacitas, ut ea, que tempore aguntur curriculis, in memoriam ſcriptis autenticis roborentur, ne per oblivionem, que mater erroris exiſtit, geſta perinde in abuſum deducantur, & precipue, ut pia diſponentium vota inconvulſa perpetuo perſeverent. Noverint igitur univerſi preſentes literas inſpecturi: quod ego *Elizabeth* Abbatiſſa monaſterii Sanctimonialium Sancti *Geor-*

(*d*) Iſthic fere media linea eraſa eſt. Tranſumptor ſæculi XV. legit, ſcripſitque *Canonici, vel miniſtri debent inſtituere*, at in autographo clare expreſſum: *Canonicis vel miniſtris*, ut proinde quisquis demum ſequentia, tanquam præjudicioſa *Canonicis*, eraſerit, nam veroſimiliter expreſſum erat ad Abbatiſſam aut Moniales jus pertinere Succeſſores inſtituendi. (*e*) Id eſt Archiepiſcopus. (*f*) Privilegium & uſum Pontificalium habentem. (*g*) Supple eccleſiæ metropolitanæ videlicet Clerus. (*h*) Ita Codex ſed legendum ad intonandum antiphonam, quod contractum ā innuit. (*i*) Hic ceſſat codex intra annos 1352 -- 62 ſcriptus. Poſthac ſequuntur diverſorum ſcripturæ, nec uno tempore inſertæ, quarum tamen nulla annum 1401. transgreditur. (*k*) Pro *perſtrinxit*, *docuit*.

Georgii in caſtro *Pragenſi* Ordinis S. *Benedicti* fateor, & recognoſco, quod dudum pie recordacionis Dominus *Hoſtislaus* Decanus *Sacenſis* Officialis Curie Archiepiſcopalis *Pragenſis*, germanus meus agens in humanis, quadraginta ſexagenas groſſorum denariorum Pragenſium michi, dum adhuc in minoribus eſſem conſtituta, reliquerat diſponendas ad pia vota, (*l*) prout michi videbitur, expedire. Pro quibus quidem pecuniis cum ſcitu, voluntate, & expreſſo conſenſu Domine Abbatiſſe, que tunc fuit, & Conventus Sanctimonialium dicti monaſterii quatuor ſexagenas groſſorum cenſus comparaveram, quem per multa tempora tenui, & poſſedi fructus, redditus & proventus in & ex eodem provenientes percipiendo, qui quidem redditus & proventus percepti, & per ipſa tempora reſervati ſe extendebant ad ſummam quinquaginta ſexagenas eorundem groſſorum. Demum ipſo cenſu quatuor ſexagenarum per me pro quadraginta ſexagenis groſſorum vendito, (*m*) & pecunia hujusmodi utraque inſimul congregata, & preſertim propter utilitatem & profectum dicti monaſterii bona quedam, que ad ipſum monaſterium pertinebant, videlicet; *Knyeziczye*, *Knyeziczky*, *Javonyk* adjacencia caſtro *Brada*, & alias villulas adjacentes civitati *Usk* (*n*) ſuper *Albeam*, que minus utilia fuerant, ipſi monaſterio pro aliis bonis, videlicet villa *Nepolis*, eidem monaſterio multum utili & comodoſa de conſenſu dicti Conventus commutavi, & preter illa, que de bonis dicti monaſterii addebantur, ſuperaddidi hujusmodi nonaginta ſexagenas tam pro cenſu hujusmodi vendito, quam eciam per ipſa tempora congregatas. Ordinans nihilominus, ut de voluntate Reverendiſſimi in *Chriſto* Patris & Domini Domini *Johannis* Sancte *Pragenſis* eccleſie Archiepiſcopi, Sedis Apoſtolice Legati, ac Conventus dicti monaſterii diſponens, que de eadem villa *Nepolis* pro eisdem nonaginta ſexagenis Domina Abbatiſſa ipſius monaſterii, que pro tempore fuerit, novem ſexagenas groſſorum ſingulis annis & perpetuo in anniverſario meo dare & diſtribuere in hunc modum debet. Primo pro pitancia ipſarum ſanctimonialium, & pro prandio earum in communi fiendo CCos & IIos groſſos. Item Cuſtrici ad procurandum candelas IIII. groſſos. Item Domi-

(*l*) Opera. (*m*) Ex his liquet tum annuum cenſum ex centum fuiſſe decem. (*n*) Hodie *Auſſig*.

minis intereſſentibus pro(*n*) XX. groſſos, campanariis alterum dimidium groſſorum, pauperibus ante portam Monaſterii tantundem, & matronis II. groſſos. Preterea pro aliis IIII. ſexagenis, cantabitur omni die Sabbathi Miſſa de Beata Virgine, & pro vivis & defunctis, & hiis, qui ad hoc bona eorum largiti ſunt, & inpoſterum largientur. Nonam vero & ultimam ſexagenam ad priorem penſionem duorum groſſorum, que dari eſt ſolita, dabitur omni die Sabbathi I. groſſus. Item de cenſu duarum ſexagenarum in villa *Neradicz*, per ipſum germanum meum eciam ſimiliter relicto, ipſa Domina Abbatiſſa omni ſeptimana videlicet feria ſecunda miniſtris Miſſam defunctorum cantantibus dabit II. groſſos. Reſidua vero omnia, que ſupererunt, pro candelis convertet, & ſibi pro labore ſuo reſervabit. Et hec omnia & ſingula per ipſam Dominam Abbatiſſam debebunt adimpleri ſub pena ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſie, quam quociens, ſi in ſolucione premiſſorum omnium & ſingulorum negligens fuerit, & pro miſſa, (*o*) peto incurrere ipſo facto. Nos vero *Bohunca* Prioriſſa, *Agnes* Cuſtrix, *Ludmila* Subprioriſſa, *Anka* infirmaria, *Jutka* Oſtiaria, *Margaretha* Puzvicii, *Sudka* Cameraria, *Katharina* Stukonis, totusque Conventus Sanctimonialium monaſterii Sancti *Georgii* predicti, premiſſorum omnia & ſingula per Dominam *Elizabeth* Abbatiſſam ſupradictam ordinata & diſpoſita rata & grata habentes, ad ea noſtrum conſenſum prebemus, pariter & aſſenſum. In cujus & cetera. Et Nos *Johannes* Dei & Apoſtolice Sedis gratia ſancte eccleſie *Pragenſis* Archiepiſcopus, Sedis Apoſtolice Legatus ſupra ſcripta omnia & ſingula per Dominam *Elyzabetham* Abbatiſſam ſupradictam cum conſenſu ſui Conventus, ut premittitur, ordinata, & diſpoſita, rata & grata habentes, & ad ea noſtrum conſenſum prebentes pariter & aſſenſum auctoritate ordinaria approbamus, & confirmamus, & nichilominus quotiescunque in aliquo terminorum predictorum ipſa Domina Abbatiſſa, que eſt, & que pro tempore fuerit, in ſolutione ipſarum hujusmodi pecuniarum negligens fuerit, & remiſſa, ipſam ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc ſuſpendimus ab ingreſſu eccleſie in hiis

(*n*) Vox ſequens ambigue ſcripta & a poſterioribus quibusque correcta hodie legitur *piscialio*, quam transſumptor ſæculi XV. legit, ſcripſitque *prepiciatorio*, ego autem exiſtimo non aliam vocem fuiſſe quam *pitancia* dubie a primo ſcriba ſcriptam, cum eciam monialibus pitanciam inſtituerit. (*o*) Ita quidem codex, ſed legendum *remiſſa*.

ſcriptis, harum. quibus ſigillum noſtrum majus, una cum ſigillo Abbatiſſe & Conventus predictorum preſentibus eſt appenſum, teſtimonio literarum.

Item *Budko* Plebanus Sancte *Marie Magdalene*, & Miniſter eccleſie Sancti *Georgii* caſtri *Pragenſis* de bonis a Deo ſibi collatis, & intuitu perſone ſue aquiſitis dedit, & donavit ſanus mente & corpore dicte eccleſie & Dominis Canonicis jugiter in eadem Deo famulantibus viginti ſexagenas groſſorum *Pragenſium* pecunia in parata, pro quibus dicti Canonici duas ſexagenas groſſorum *Pragenſium* annui & perpetui cenſus in & ſuper domo *Nicolai* Notarii Actorum, ſite ante portale (*p*) monaſterii Sancte *Marie* in pede pontis Minoris Civitatis *Pragenſis*, emerunt, & compararunt anniverſarium & diem obitus dicti *Budkonis* de eisdem pecuniis per modum ſubſcriptum deponentes & ordinantes, ita videlicet, quod ſingulis annis in perpetuum Domini Canonici in anniverſario ejusdem *Budkonis* dabunt, & expendent plenum Refectorium (*q*) pro ſe medium, & Vicariis per medium Vigiliis & commendationibus intereſſentibus. Item pro offertorio duos groſſos, pro candelis duos groſſos, pro decem Miſſis legendis quinque groſſos, campanariis unum groſſum, matronis duos groſſos, pauperibus pro pane ante fores eccleſie unum groſſum, ceteras vero pecunias dictarum duarum ſexagenarum, que poſt dictam diſtributionem reſultaverint, pro panibus reſervabunt. Qui obiit anno Domini Milles. CCCLXXXI. VII. Kalendas *Septembris*.

Item Dominus *Wlczko* Plebanus Sancti *Stephani* in muro (*r*) civitatis *Pragenſis* de bonis a Deo ſibi collatis & comparatis ſeptem marcas graves (*s*) perpetui cenſus in villa *Dubravicz* legavit, easque incorporavit eccleſie Sancti *Georgii*, & pro Canonicis jugiter ibidem Deo famulantibus, (*t*) itaque quod ſingulis annis in perpetuum Domini Canonici in anniverſario ejusdem *Wlczlonis* triginta quatuor groſſos expendant, & procurent in hunc modum: Primo Dominis Canonicis XVIII. groſſos, deinde Vicariis IX. groſſos, pro Miſſa cantanda & offertorio II. groſſos, matronabus I. groſſum, campanatori I. groſſum, pro luminibus parvis II.

(*p*) Portam. (*q*) Refectionem. (*r*) Hodie ad S. Stephanum minorem dicimus. (*s*) Æquabat 64 groſſos Pragenſes. (*t*) In margine rubro colore notatum: *Hledwed Dczkach ſecundo Ulrici.* A. XXIV.

II. groſſes, pauperibus foris ante eccleſiam pro pane I. groſſum. Reſidua pars hujus cenſus reſultans, ut Divinus cultus augeatur, & ſui & ſuorum progenitorum memoria habeatur, pro panibus & diſtributionibus cotidianis reſervetur. Qui vero obiit ſub anno Milleſ. CCCLII. XVII. Kalendas *Januarii.*

Item Dominus *Petrus* dictus *Mudrak* civis *Pragenſis* & Dominus *Thomas* dictus *Syerzicz* Canonicus *S. Georgii* comparaverunt de bonis a Deo ipſis collatis decem ſexagenas groſſorum perpetui cenſus cum XLVI. groſſis, & XII. pullorum in villa dicta *Radun* prope *Rzip* cum toto Dominio, uſibus, fructibus, utilitatibus, ut in literis, & Tabulis terre lucidius continetur, conferentes Dominis Canonicis ea pro ipſis, & eccleſia Sancti *Georgii* in perpetuum regendum, tenendum, ac pleno jure poſſidendum, prout ipſi habuerunt. Anniverſaria eorum in hunc modum affectantes Primo in anniverſario Domini *Petri*, predicti Domini procurent triginta quatuor groſſos in hunc modum: Dominis XVIII. groſſos, deinde Vicariis IX. groſſos, pro Miſſa cantanda & offertorio II groſſos, pro luminaribus parvis II. groſſos, matronabus I. groſſum, Campanatori I. groſſum, pauperibus foris eccleſiam I. groſſum pro pane. Reſidua pars hujus cenſus reſultans, ut Divinus cultus augmentetur, eorum amborum parentum memoria habeatur, pro panibus, & diſtributionibus cottidianis reſervetur. Obiit vero ſub anno Milleſ. CCC LXII. XVIII. Kalendas *Julii.*

Item in anniverſario Domini *Thome* Syerzecz Domini procurent de *Radun* XXXIIII. groſſos, Dominis XVIII groſſos, Vicariis IX. groſſos, pro miſſa cantanda & offertorio II groſſos, pro candelis parvis II. groſſos, matronabus unum groſſum, campanariis unum groſſum, pauperibus foris eccleſiam unum groſſum, reſiduum pro panibus cottidianis reſervetur. Qui obiit anno Domini Milleſ. CCC LVII. ſecundo Nonas *Septembris.*

Item Dominus *Mauricius* Vicarius eccleſie S. *Georgii* caſtri *Pragenſis* de bonis a Deo ſibi collatis, Dominis Canonicis donavit. & reliquit ipſis in eccleſia predicta jugiter famulantibus LX. ſexagenas groſſorum *Pragenſium*, minus duabus ſexagenis in parata pecunia, pro quibus quidem pecuniis Domini Canonici comparaverunt vineam ſolemnem in mon-

te dicto *Zunperg*, temporibus perpetuis pro honore ecclesie dicte, & anime sue, ac Parentum suorum remedio duraturam. In anniversario vero suo dispositio talis est: ut Domini pro tunc regentes claves, procurent de eadem vinea XXXXIIII. grossos in hunc modum: Dominis Canonicis XVIII. grossos, deinde Vicariis XVIII. grossos, pro Missa cantanda & offertorio duos grossos, pro candelis parvis duos grossos: matronabus duos grossos, campanatori unum grossum, pro pauperibus foris ecclesiam unum grossum pro pane. Residuum pro panibus & distribucionibus cottidianis reservetur. Obiit vero sub anno Domini Millesimo CCC. IXXX. (*u*) Idus *Julii* in divisione Apostolorum. *x*)

Vta. die Sancti *Thymotbei*, sequenti die post festum *S. Vincentii*, obiit Dominus *Conradus* dictus *Cunratik* Canonicus ecclesie *S. Georgii* in castro *Pragensi*, qui Dominis Canonicis, & ministris ejusdem ecclesie unam sexagenam grossorum census annui donavit per Altaristam Corporis *Christi* in ecclesia *Pragensi* de *Slyvn* solvendam. In cujus anniversario die prescripto peragendo Dominis Canonicis regens bona communia Dominorum Canonicorum ecclesie predicte expendet infra scripta: Primo Dominis Canonicis XVIII. grossos, Vicariis eorundem IX. grossos, - - - - - (*y*) & campanariis unum grossum, & hoc perpetuis temporibus debet per eosdem Dominos Canonicos & Vicarios observari sub pena arrestationis census predicti.

In die Sancti *Gotbardi* obiit Dominus *Cunsso* Canonicus ecclesie *S. Georgii* in castro *Pragensi*, qui donavit quinque sexagenas grossorum denariorum *Pragensium*, pro emenda media sexagena census annui, & perpetui pro Dominis Canonicis & Vicariis ejusdem ecclesie *S. Georgii* in ipsius anniversario dividendas in hunc modum: per regentem bona communia predictorum Dominorum. Primo Dominis Canonicis decem grossos, Vicariis quinque grossos, - - - - - - - - - - (*z*) campanatori

(*u*) Verosimiliter scriba quadam oscitantia non perfecit numerum L, ut legendum sit MCCCLXXX. (*x*) Alia manus adjecit XIIII grossos, seu in toto III sexag. & VI grossos. (*y*) Hic fere media linea rasa est. (*z*) Hoc spatium vacuum explet transumtor sæculi XV. his vocibus: *Missam cantanti unum grossum*, quas autographum fini adjecit.

ri unum groſſum, pro pane pauperibus ante fores eccleſie unum groſſum. Reſidua vero pecunia pro panibus cottidianis Dominis Canonicis & Vicariis reſerventur.

Anno Domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo, tempore anni jubilei in *Roma*, ſequenti die poſt *Vitalis* obiit Magiſter *Nicolaus Paſtillum* Canonicus eccleſie *S. Georgii* in caſtro *Pragenſi*, qui donavit decem ſexagenas groſſorum pro emenda una ſexagena cenſus perpetui pro Dominis Canonicis, & Vicariis eccleſie *S. Georgii* ſupradicte In cujus anniverſario Dominus pro tunc regens bona communia eorundem Dominorum Canonicorum expendet infra ſcripta: Primo Dominis Canonicis XVIII. groſſos, item Vicariis eorundem novem groſſos, presbytero Miſſam cantanti unum groſſum, pauperibus pro pane unum groſſum, & campanatoribus unum groſſum. Reſiduam vero partem pro pauperibus reſervabit.

BENESSIUS

Anno Domini Milleſimo CCCLXXXXVII. in die undecim milia Virginum obiit Dominus *Beneſſius* Canonicus eccleſie *S. Apollinaris* Pragenſis, olim Canonicus eccleſie *S. Georgii* in caſtro *Pragenſi*, qui Dominis Canonicis & Vicariis ejusdem eccleſie *S. Georgii* in caſtro *Pragenſi* dedit, & donavit unam ſexagenam groſſorum cum media ſexagena ſuper domo *Weyſicz* in Nova Civitate *Pragenſi*, & unum viaticum; (*a*) in cujus anniverſario Dominus pro tunc regens bona communia eorundem Dominorum Canonicorum expendet infra ſcripta: Primo Dominis Canonicis XVIII groſſos, item Vicariis eorundem novem groſſos, campanatoribus unum groſſum, presbytero miſſam cantanti unum groſſum, matronis unum groſſum, & hoc ſingulis annis, temporibus perpetuis, faciendo.

JOAN-

(*a*) Id eſt librum ritualem. Ita Laurentius Brzezina de bello Huſſitico *Saturnina gens* (Taborienſes) *viaticos, miſſalia, cantualesque eccleſiarum libros rapientes ſecabant, aut comburebant, vel libros ſex vel octo valentes ſexagenas pro media ſexagena aut pro XX. groſſis vel remiſſius dabant emere volenti.* E quibus cognoſce tum librorum pretium, cum octo ſexagenæ hodiernos 160 florenos ſuperaverint.

JOANNES OZIEDLE.

In die S. Martinii obiit Dominus *Joannes Oziedle* Canonicus Sancti *Georgii* in caſtro *Pragenſi*, & Rector Altaris Sancte *Agnetis*, & *S. Alexii* in eccleſia *Pragenſi*, qui pro Dominis Canonicis eccleſie S. *Georgii* predicte & ipſorum Vicariis duas ſexagenas cenſus perpetui (*b*) in villa *Slatina* apud *Sdenconem* clientem emit, & comparavit, de quibus ipſe vivens diſpoſuit ſibi per hunc modum. Primo quod anniverſarium fiat pro remedio & ſalute ipſius anime in craſtino feſti S. *Johannis* ante latinam portam, ubi diſtribuentur de cenſu preſcripto Dominis Canonicis, Miſſe defunctorum intereſſentibus, XVIII. groſſi, Vicariis eorundem novem groſſi, pro candelis & ofiertorio duo groſſi, Miſſam cantanti medius groſſus, pro miſſis lectis duo groſſi, matronis unus groſſus, campanariis unus groſſus, & pauperibus unus groſſus. Item diſpoſuit & ordinavit pro tribus feſtivitatibus Beate Marie Virginis, videl cet: Viſitationis, Nativitatis, & Purificationis Beate Marie Virginis, Domini Canonici, & Vicarii ſumme Miſſe intereſſentes pro qualibet feſtivitate earundem feſtivitatum habeant XXVII. groſſos, videlicet Domini Canonici XVIII. groſſos, & Vicarii novem groſſos. Reſiduum vero pro panibus reſervetur. (*c*)

Libro IIII. donacionum K. VII. Litera ſuper locacione Curie in Stratiwnicz Prebende eccleſie S. Georgii in caſtro Prag. pro XII. Sexag.

In-

(*b*) In margine rubro colore notatum: *platu komernie* id eſt *pagamenti Cameralis* ſeu regalis, cujus valore marca 56 groſſos Wenceslai I. æqualat. (*c*) Subjicitur Indiculus præcipuarum priorum diſtributionum, quem tr nſumptor ſæculi XV. in ſuo apographo præterniſit, quem & nos ad rem nihil prorſus utilem merito reſcidimus. Hujus loco ſubſtituimus Indicem locorum omnium, quæ ſæculi XIII. initio ſub Abbat ſa Agnete Wladislai I. Regis Bohemiæ filia, & Ottocari I. ſorore ad monaſterium S. Georgii ſpect bant, quemque in eodem codice ſejuncta vetere charta deſcriptum reperimus qui num integer ſit dubitamus. Locum is merito hic meretur, tum quod eum nusquam antehac excuſum reperiamus, tum ut Parthenonis hujus memoria conſervetur, qui principio anni 17 2. Auguſtiſſimi Joſephi II. decreto cum pluribus aliis Sanctimonialium cœnobiis abolitus eſt.

Index locorum monaſterii S. Georgii in caſtro Pragenſi.

In provincia, in qua ſtat caſtrum: (*d*) in pago Teynecz, Statinicz, Suchdol, Kameyk, Lythurziw villa, Nutomicz, Hradecz, Huſynecz, Rziepi, Okorz, Knieziewes, Slunicze, Knowiz, Holuſy, Przeſtawlky, Weben, Tuzietin, Otwowycz, Owenecz, Bohemiz, Brnieky, Neradicze, Brzeſtany, Trnkow, Duſſnyky, Swemyslicze, Borzanowicze, Prozezkow, Seslicze, Brechowicze, Krziwa villa, Bore, Krnocz, Pſarcze, Selopisky, Dublewicze, Duſſnyky, Nalukowe, Nanewidy, Mokropſy, & alterum Mokropſy, Brteh, Motol, Zalezlicze, Lebeſow, Hraskawe, Hogelicz, Reghleh, Otinerhy, Bugeſyl, Lublin, Boſoz, Binczicych, Strakonicze, Bratomizl.

In provincia Lutomericenſi: Trzebenycze, Chodowlicz, Upohlaw, Welewyn, Podleſyn, Baſteſicze, Polepy, Syrzeyowicze, Wranzsko, Walowicze, Borek, novum forum in Lutomericz, IV. - - - & teloneum, nonum forum in Usk & telonium, in Zraſycz nonum forum.

In Melnicenſi provincia: in Mielnik nonum forum, Nebirſiel, Wypezd, Goruſirh, Chorieſil, Nyonikow, Wrutycz.

In Gawranenſi provincia: Libicz, Kaucin, Opoleli, Oſſiek, Oldrziſie, Odrepſy, Winorczirh, Kobylnicze, Sadow, Knizenicze.

In provincia Netoliczenſi: VIIII. forum & telonium, Bawrow, Kralowicz, Maleſczy, Uſtimina, Weſycz, Radrzicze, Pozorowycze, Strankowicze, Lirzna.

In Provincia Prahatenſi: Welenow, Krliſſtic, Remeticze, Zamlyne, Wlikonicze, Mokorow, Bratronicze, Napaſiciowe, Sewetinsko, Vlikonicz.

In Provincia Plzenſi: Novum forum & telonium, in Domazlycz, Giwnocz, Naptomie, Oteſich, Denonicz, Swhonoh, Nowakowicze, Geznkowicze, Tynecz, Dudlowicze, Obytecz, Brnicze.

In

(*d*) Videlicet Pragenſe, atque idcirco in Provincia ſeu Diſtrictu Pragenſi.

In Provincia Bozenſi: In Hradiſt, Zahorgi, Napoli, Podruhli, Huſtynecz, Drabynicze, Luskowicze, Narſtieſſow, Neweſti.

Apud amnem Kleberbi unus homo Martinus.

Iſti ſunt, qui ſolvunt per provinciam Pragenſem: In Welteſſe totus pagus, *in Bliſicz* IV. Villani, in Horeſſowicz VI. in Hobſſowicz II. in Pichow II. in Ozluchow V. in Knowicz IV. in Jeſſin III. in Trzebuſych IV. in Prhy V. in Selowtic I. in Wrana totus pagus, in Seybicz totus pagus, in Bratronycz totus pagus, in quo nulli aiteri quidquam pertinet preter eccleſiam S. Georgii, in Lukus II. Vilani (*e*).

DEDICATIO.

Ex altiſſimo illuſtrium *Boemie* Regum ſanguine oriunde Domine *Cunegundi* excellentiſſimi Domini Ottacari quondam Regis *Boemie* filie, monaſterii Sancti *Georgii* in caſtro *Pragenſi* Abbatiſſe ordinis Sancti *Benedicti* frater *Colda* ordinis Predicatorum minimus, (*f*) orationum ſuffragia humilium cum deſiderio complacendi. Quia teſte beato *Job* miſicia eſt vita hominis ſuper terram, quamdiu in hac lacrimarum valle vivimus, contra graves inſultus demonum militamus. Et quia inprovidus miles fore dinoſcitur, qui bellum inermis ingreditur, conſuluit Apoſtolus ad *Epheſios*: ut unusquisque fidelium ad pugnam ſollicitus armis ſpiritualibus induatur. Induite, inquiens, vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias dyaboli, ac ſi aperte dicat: ſi vultis adverſus Sathanam victorioſe confligere, oportet armis ſpiritualibus vos armare. Vos ergo que femineo pectori virilem inſerendo animum in hac pugna cottidie viriliter confligitis, ad arma Paſſionis Dominice, prudenti uſe conſilio, convolatis, ut tanto adverſarium vincatis ſecurius, quanto forciorum armaturarum affuerit vobis uſus. Veſtre quapropter ingenuitatis Celſitudo parvitatis mee ingeniolum flagitavit, quatinus Paſſio-

(*e*) Hucusque fragmentum iſtius indiculi, nam certum eſt integrum non eſſe, cum ex Diplomatibus & chartis publicis hujus monaſterii teſtatum ſit id plures ditiones in Hradecenſi, Podbrdenſi, Trutnovienſi, Lutomiſlienſi &c. provincia, imo etiam in Moravia tenuiſſe. (*f*) Colda hic deſideratur in omnibus compilatoribus ſcriptorum Ordinis S. Dominici, Lexicisque eruditorum.

sionis *Christi* misterium in brevi parabola sub militis metaphora concluderem, quam postmodum exponendo mystice devocius & apercius enodarem, in qua insuper narracione arma redemcionis nostre, que Papa *Innocencius* explicavit, inducerem, & scripture sacre auctoritatibus confirmarem. (*g*) Opus certe difficile, & obtrectatorum latratibus patens, qui nichil noverunt aliud nisi de bonorum laudabilibus factis & sentenciis detractare. Memor igitur honoris eximii, & quam plurium beneficiorum in Sereniſſimi Domini *Wenceslai Boemie* quondam Regis sancte recordationis fratris Vestri palacio perceptorum, fateor, quod eciam usque ad mortem exsequi cupio, quicquid a quocunque ex illius sanguine generoso michi fuerit imperatum. Precipue tamen Vestre benignitatis erga me immeritum flexus benevolencia & precibus, que michi preceptum esse debent ob regalis dignitatis excellenciam inclinatus, agressus sum in hoc triduo opusculum, in quo Vestris beneplacitis desudarem. In eo igitur opere, si quid occurrerit placitum, Deo largitori graciarum omnium tribuatur. Si quid vero minus recte dicitur, mee insufficiencie totaliter ascribatur. (*h*) Premisi autem huic opusculo prefaciunculam, in hoc beati *Jeronimi* vestigia imitatus, qui singulis operibus suis singulos annotare prologos consuevit. Ex quo duplex certe consurgit utilitas, dum & materia operis in prologo brevi sermone depingitur, & nomen illius, ad cujus instanciam opus cuditur, eterne memorie commendatur. Valeat Vestre generositatis ingenuitas in eternum, & cui honus laboris inponitis, sanctarum oracionum clipeis contra adversariorum jacula devocius & salubrius muniatis. Datum (*i*) *Prage* anno Domini Millesimo Trecentesimo Duodecimo. Sexto Kalend. Septemb.

(*g*) Author demum de natura Angelorum explicanda differens, ait: *Ecce tu Chunegundis Sereniſſimi Regis Ottacari filia monaſterii S. Georgii in caſtro Pragenſi venerabilis Abbatiſſa, quod Dionyſius reputat impoſſibile, a me non deſinis expoſcere, impenisque humeris debilibus ex aliarum curarum ſollicitudine fatigatis.* An his postremis verbis *curarum & ſolicitudinum* non innuit fortassis Inquisitoris hæreticæ pravitatis munus, quod penes hunc ordinem Sanctique Clementis monasterium fuisse certum est? (*h*) Ex his, superioribus & sequente Epilogo conjicitur Cunegundem latini sermonis bene gnaram & in Scripturis sacris versatam fuisse. (*i*) Sequentia minio scripta sunt.

TYTULUS.

Hic eſt clipeus, arma & inſignia invictiſſimi Militis, qui cognominatus eſt Victor cum quinque vulneribus, fultus lancea, decoratusque corona. (*k*)

PARABOLA. (*l*)

Homo quidam nobilis decore cujusdam virginis captus *amore* (*m*) ſibi eam arra preſtita deſponſavit. Set antequam ipſam in thalamum traduceret nuptiarum, latro degener deſponſatam illam decipiens conſtupravit, quam mox duris conſtringens funibus in carcerem tenebroſum poſuit, & ne ſponſum de cetero aſpiceret, crudeliter excecavit. Tandem miles ille nobilis ex regali ortus proſapia, dilectionis ſue erga ſponſam non immemor, in regionem longinquam profectus eſt, ut dilectam, quam perdiderat, memor fidei ſue, inquireret, ſi ipſam forſitan alicubi inveniret. Unde ob ejus amorem XXX. duobus annis in exilio degens, & in laboribus & erumpnis plurimis vixit, diverſisque & magnificis conflictationibus amicam ſuam, que perierat, inquiſivit. In bellis autem & occurſibus variis inſtrumentis uſus eſt, ut vigoroſius eriperet, pro cujus amore fervens victorioſius decertaret. Dumque preliorum diverſis conflictibus huc illucque circumducitur, tandem ad ymum deſcendens carcerem, ſponſam, quam perdiderat, vinctam in tenebris reperit, quam mox abſolutam vinculis eduxit, & glorie priſtine reddidit, regnique ſui participem ſecum fecit. (*n*)

Ex-

(*k*) Sequente integra pagina depicta ſunt coloribus inſignia Paſſionis in figuram cordis diſpoſita, quæ dein pagina 16 luculentius expreſſa, ut in Obſervationibus prævius deſcripſimus, ſequuntur. (*l*) Hic ipſe Prologus eſt, de quo author in Dedicatione ſua. (*m*) Hæc vox poſtrema ſuperflua poſteriore manu ſuperjecta. (*n*) Hæc parabola ſex imaginibus exprimitur in margine: *Prima* præſentatur ſponſus ſponſæ digito annulum inſerens cum inſcriptione: *Deſponſacio ſponſe.* 2. Latro (qui ſerpentis ſeu dæmonis vices fert) tradens ſponſæ pomum cum inſcriptione: *Deceptio ſponſe.* 3. Latro ſponſum excœcatam, cadente e capite corona, in carceres retrudens, inſcript. *Incarceratio ſponſe.* 4. Sponſus concito equo inſidens clypeo cruce rubra inſignito armatus fugientemque latronem lancea confodiens, inſcript. *Vir mala vincendo verus victor vocitetur.* 5. Sponſus ſponſam e carcere educens, inſcript. *liberacio ſponſe.* 6. Sponſus ſedenti ſponſæ coronam imponens, inſcript. *Coronacio ſponſe.*

Explicit parabola. Sequitur expoſicio.

Homo iſte nobilis eſt Dei & hominum mediator, homo *Chriſtus Jheſus* filius Dei benedicti &c. (o) *Finis vero cum pareneſi ad B. Virginem Mariam in coelos aſſumptam:* Recordare dum in conſpectu ejus aſſiſtis, ut memor noſtrarum lacrimarum & miſerie loquaris pro nobis bona, & avertas indignacionem ejus & a compilatore hujus opuſculi ad honorem tui nominis editi, & a lectore hujus ſcripture ad te devocius recurrente, ut exutos gravi carne ad ſe pertrahat, qui reſurgens, & aſcendens in celum tecum nunc in gloria vivit & regnat, Amen. *Initium vero ſequentis opuſculi de Manſionibus celeſtibus tam Angelorum quam Sanctorum ſuper quas B. Maria Virgo elevata eſt.* Poſt peregrinacionem igitur longam, poſt diram pugnam, poſt glorioſam ac miram victoriam ſponſus ille fortiſſimus in alta celorum potenter aſcendit &c.

Epilogus libri utriusque cum elogio Cunegundis Abbatiſſe. (p)

Nunc ſermo mihi ad te o Regis excellentiſſima filia convertendus eſt, que Sancte *Paule* & *Euſtochium* imitatrix facta es in ſtudiis ſcripturarum. Nam quemadmodum ille pro divinorum translatione librorum Sancto inſiſtebant *Jeronimo*, ſic veſtra michi importuna inſtitit oportunitas, ut preſentis opuſculi ſcriptum ederem, veſtrisque parere poſtulacionibus non negarem. Nova res - - Fratres geritur, ex qua virorum verecundia generatur: Viris quippe Chriſti eccleſie Prepoſitis *Paulus* inſiſtere doctrine ac lectioni precipit, mulierem vero docere non permittit. Et tamen mulieres ſtudioſe ſcripturarum explanaciones a

(o) In margine depictus ſpectatur Adam ſub arbore ſedens dormiensque, e cujus dextero latere exporrigitur coſta in caput (ſcilicet Evæ) deſinens, quod Deus ſub ſpecie hominis capite radiati, cærulea tunica, & rubro pallio veſtiti manu ſiniſtra tenet, dextera vero exporrecto digito indice & medio ſua benedictione impertit cum inſcript. *Eſt Adam factus, & eodem tempore lapſus.* Si patria noſtra tot antiquitatum picturarumque veterum æſtimatores, luculratoresque, quot alia regna, numeraret, profecto imagines iſtæ ſcalpro excuſæ quam primum prodirent in publicum, quod merentur. (p) Dignum quoque judicavimus epilogum libri, qui ad Cunegundem directus illius laudes complectitur, aliudque ejusdem anthoris opuſculum annunciat, hic apponere.

Jeronimo exigunt, ecclesiarum vero Prepositi ejus laboribus contradicunt. *Paula* & Eustochium, ut libros sanctos de ebreo in latinum transferat, quiescere non sinunt, viri ecclesiastici translatori detrahunt, opus sanctum dente canino lacerant, vilipendunt. Nostris quoque temporibus femina regio orta sanguine a me compilaciones scripture, ut studeat, exigit. Virorum ignavia in hujusmodi torpescit, illa, ut nova scribantur, petit. Istorum damnabilis desidia eciam scripta legere fastidit. Erubescat igitur nostra rudis rusticitas, & intra semetipsam vehemencius confundatur, que jam a feminarum studiis superatur. Gaude tu o filia Principis, quia pulchri sunt gressus tui in calceamentis, calceamenta quippe, que sunt morticini signa in pedibus posuisti, dum morte tibi pre oculis posita regni terreni fastigia contempsisti, affectu quoque sanctissimo spretis terrestribus celestia concupisti, verbis utens *Jeronimi* ad *Marcellam*: Dicam, habeant sibi ceteri opes suas, auro bibant, serico niteant, plausu populi delectentur. Nostre divicie sint in lege Domini meditari nocte ac die. Hec vero divicie sunt, que in mente recondite ab hostibus auferri non possunt. Non sic terrenorum opes regnorum, quorum miserabilem mutabilitatem plus hec jam in nostrorum temporum miseriis, quam in codicibus legimus, dum Reges Regibus succedere cum dispendio pauperum jam videmus. Sic igitur hic contemptis post tergum noli respicere, sed quisnam locus tibi in celestibus competat sollicite legens disce. Cum *Angelis* quippe & *Archangelis* scito te porcionem accipere, que paria ac magna, que didiceris, nosti inferioribus pedisequis nunciare. *Virtutum* quoque celestium collegio sociaberis, que tot virtutum operibus adornaris, quas idcirco singillatim non exposui, ne ab aliquo judicer adulari. Oracione tamen devota, humilitate grata luculenter ostenderis, que cunctis affabilis egenis, ipsos a tuis conspectibus non repellis. Raro hoc nostris temporibus cernitur, raro devocio & humilitas in Principibus invenitur Inter *Potestates* eciam commoraberis, que potestatem super gregem Domini prelacionis officio accepisti, qua quia juste & secundum Deum uteris, nequaquam Potestatum premio expers eris. *Principatuum* quoque ordine non privaberis, que ex generosa stirpe Principum genita sensualitati degenere viriliter principaris. Quia vero dominata viciis corpus in servitutem pro *Christo* redigis, *Dominacionibus*, non dubium, conjungeris. *Tronorum* preterea sors te respicit, ut nequaquam in judicio personam ac-

accipias, (q) ſed ſecundum juſticiam Dei judicia decernas, ut cum rite cauſas ſingulorum, quibus te prefecit Dominus, diſcuſſeris, in tronis celeſtibus colloceris. Sed quia ſacris litteris te novi tam vigilanter intendere, non tibi dubito inter *Cherubin* locum dare. Quia vero *Dei* caritate inflammata religionis induta habitu fallacis ſeculi contemptiſti blandimenta, inter *Seraphin* (r) recipies premia ſanctitatis feliciter preparata. Ignoſce michi, *Paulam* te nomino, que Sancte Paule parificaris ſtudio. Illa die noctuque fletibus pene cecata, crebris oracionibus invigilans vacabat attentiſſime ſtudiis lectionum, inſtigabat ad librorum translacionem Sanctum *Jeronimum*. Tu longis oracionibus decurſis, lectionibus fatigata aſſiduis quedam conpingere opuſcula me compellis. Illius ſtudiis doctus *Jeronimus* ſatisfacere ſtuduit, Veſtris juſſionibus Frater *Colda* Predicatorum minimus parere ſatagit, etſi ſufficiencia forte deſit. Jam transacto biennio opuſculum laboris triduani de ſtrenuo milite veſtris pulſatis peticionibus compoſui, Nunc veſtris poſtulacionibus ſtimulatus opus de manſionibus celeſtibus quodam breviloquio infra biduum compilavi. (s) Illud anno Domini milleſimo trecenteſimo duodecimo. Sexto Kalendas Septembris edidi. Iſtud anno ejusdem Domini milleſimo trecenteſimo decimo quarto, Benedictionis vero Veſtre anno XIV. (t) feria tercia & quarta infra octavas beati *Dominici* conſumavi. In hoc autem opuſculo nunc in plurali, nunc in ſingulari Veſtram perſonam alloquor, ne tam in artis inpericia, quam ex certa ſciencia, ut & ſingulariter loquens humilitatis Veſtre preconium indicem, & ad numerum me convertens pluralem generoſitatis eximie inſinuem dignitatem.

(q) Id eſt: reſpicias. (r) Alluſit hic author ad novem choros Angelorum, ſuper quos Matrem Chriſti meritis ſuis elevatam fuiſſe copioſe ante oſtenderat (s) Hac brevitate temporis jactantiam author quæſiviſſe viſus. (t) Ex his conjicere fas eſt Cunegundem eodem anno, quo ingreſſa eſt ordinem S. Bened. & benedictionem Abbatialem ſimul accepiſſe, monaſterioque S. Georgii præfectam fuiſſe, cum author annum XIV. numeret, Compilatorque præcedentis Manuſcripti Præbendarum de ea dicat: *quæ recepit habitum monaſticum anno Domini MCCCII* quod claris verbis docet codex Synchronus MS. Bibliothecæ S. Joannis ſub Rupe, qui tempus ſuſcepti monaſtici habitus, benedictionisque Abbatialis clare his verbis exprimit: *Anno M CCCII. XI. Kal. Auguſti Gunigundis ſoror Regis Wenceslai II. religionem ſuſcepit apud S. Georgium in caſtro Pragenſi, quatuor ſuccedentibus temporibus Abbatiſſa facta monaſterio multa contulit.* Fravit igitur Hammerſchmidius & cum eo Dott. Pubiſchka, qui primum anno 1305. Abbatiſſam electam fuiſſe adſtruxere.

tem. Primum reſpicit converſacionem religionis, ſecundum vero Celſitudinem Regiæ ſtirpis. Et ſic quemadmodum in Virgine Sancta caſtitati virginitas copulatur, ſic in perſona Veſtra religioſa humilitas regali germine decoratur. Valeat Veſtre Ingenuitatis Nobilitas in ſecula ſeculorum. Amen. (*u*)

OB-

(*u*) Hæc conſequitur *Sermo Sancti Leonis Pape de Paſſione Domini in Dominica Palmarum* in tres Lectiones diviſus, denique claudit ſermo quidam inter Beatam Mariam Virginem & Mariam Magdalenam de ingenti dolore ſuper morte Chriſti, ab utraque teneriime amati, percepto.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
AD
DIPLOMATARIUM
WILLEMOVIENSE.

Ea adhuc nobis fuit semper erga Mœcenates nostros observantia, officiosaque circumspectio, ut in publicandis Tomis Monumentorum Bohemiæ ex pluteis fasciculisque manuscriptorum nostrorum ea delegerimus, quæ Eorundem Dignitati, Ordini, aut conditioni quaqua connexione affinia nobis visa fuere. Pari ratione celebre olim Monasterium Ordinis S. Benedicti Willemovienſe multis titulis ad Reverendissimum Mœcenatem nostrum Historiamque Diplomaticam Brzewnovienſem pertinere merito censemus. Si enim relatis Reverendissimi Abbatis Rayhradenſis Bonaventuræ Pitter in suo thesauro abscondito p. 203. innitendum, id colonias suas non aliunde, quam Brzewnovio per quendam Wilhelmum *inter Monachos Brzewnovienſes sanctitate eximium Virum*, isthicque primum solitariam eremiticamque vitam pro more istorum sæculorum agentem accepit. Plura dein in his, quæ subnectimus, diplomatibus vestigia supersunt, filiationem quandam, ut vocant, inter Willemovium Brzewnoviumque cultam fuisse: Ita enim everso atque in rudera per Hussiticam tyrannidem deturbato monasterio Willemovienſi, jamjamque alumnorum numero ad unum alterumve redacto cate sapienterque providit Gregorius Abbas Brzewnovienſis anno 1481. ut e gremio Religiosorum suorum Præpositus Rayhra-

hradenſis Simon nomine accedente Trebicenſis & Zaarenſis Abbatis, nec non Præpoſiti Brunenſis ſuffragio Abbas Willemovienſis eligeretur, *ne ſcilicet*, ut charta electionis inveſtituræque loquitur, *locus locique memoria diuturnitate temporis aboleri poſſit, & ut ſaltem in perſonis vivat.* Ita poſtea factum, ut is, ſucceſſoresque ejusdem non alibi perfugium patrociniumque, quam in Brzewnovienſis Cœnobii Præpoſitura Rayhradenſi quæſierint, nam & Abbatum Willemovienſium omnium poſtremus Petrus, cum ſe in reſidentia Præpoſituræ ſuæ Uhrzicenſis non amplius adverſus vim Baronum Moraviæ tueri poſſet, convaſatis rebus omnibus, ac cumprimis archivo ſecum abducto, non alio ſe, quam ad Rayhradenſe monaſterium convertit, paulo poſt iſthic Præpoſiti munere ab Abbate Brzevnovienſi decoratus, quod cum eidem deſiperet, ſolitariam vitam agere elegit, privatusque iſthic diem ſupremum obiit, cujus quidem vigilantiæ induſtriæque poſteritas habet, quod in acceptis referat eam, quam proferimus Diplomatum farraginem, quæ ſecus cum omnibus pene memoriis tam vetuſti inſignisque monaſterii interiiſſet. Id omnium maxime deplorandum membranas omnes ſæculi duodecimi, cujus principio fundatum conditumque fuit, neſcio quo fato, amiſſas, nulla enim vetuſtior imperio Przemyslai Ottocari I. initiisque ſæculi XIII. ſuperſtes inventa; ſed & hæ magno in pretio habendæ, quibus eorum temporum hiſtoria mirum quantum illuſtratur, præſertim quod alicujus nominis ſynchronus patrius ſcriptor hujusce ætatis ad poſteritatem transmiſſus non ſit, ſi unum alterumve anonymorum ſuccinctiſſimum compendium excipias.

Singulas memoriæ dignas res hic præoccupare longioris eſſet operæ, duas tresve commemoraſſe, earumque prægustum aliquem dediſſe ſufficiat. Inter has primum locum merito obtinet charta ſtirpis Theobaldicæ, quarum nullam hucusque in re diplomatica typis vulgatam memini, neque vero inter manuſcriptas tot mille chartas publicas a me præter iſtam tertia inventa, nam alteram ex archivo Chotieſſovienſis aboliti Pathe-

no-

nonis ſuo aliquando loco edituri ſumus. Eſt autem charta hæc Theobaldi Ducis Czaslavienſis, Chrudimenſis, & Wratislavienſis in Bohemia, filii Wladislai Regis, fratrisque Ottocari I. cujus prolatione pudenda illa ſomnia Joannis Klatowsky (Balbini aliorumque paſſim ſcriptorum noſtrorum fulta patrociniis) evaneſcunt, quemadmodum id jam alias in epiſtola noſtra Apologetica adverſus Luciferum aliisque locis oſtendimus. Quod alterum eſt, non modo emendatur Paprocii Diadochus & Franky ſyntagma Genealogicum pervetuſtæ Illuſtriſſimæque Familiæ Comitum Woraczickiorum de Pabienicz, ſed & novam acceſſionem in Hrabiſſii filiis Petro, Udalricoque, ab adminiſtratore epiſcopatus Fragenſis diverſo, acquirit, illuſtraturque, ut tandem conſtet Pabieniczios & Wildſteinios ejusdem gentis ſtirpisque fuiſſe Proceres majores progenitoresque Illuſtriſſimæ Familiæ Woraczickianæ, quam unicus Nominis ſtirpisque heres Illuſtriſſimus Comes Antonius Dynaſtiarum Piſchely, Altburg, Bozegow, Mislow, Chwatierub, Kozorowicz, & Chauſtnik Dominus Suæ Cæſ. Reg. Apoſt. Majeſtatis Conſiliarius (ob profuſas in me gratias & beneficia ſummum mihi ſuſpiciendus) jam feliciter in filiolo Joachimo filiaque Franciſca propagavit. Conquieſcent etiam multorum adverſus nos murmura & querelæ, quod Abbatiales inſulas & peda jam ſeculo XI monaſteriis noſtris uſitata fuiſſe contraverterimus, cum iſthic Bullam Pontificiam lecturi ſunt: Petro Abbati Willemovienſi ejusque ſucceſſoribus nonniſi exeunte ſæculo XIV, atque idcirco poſt ducentos ſexaginta amplius annos a fundato monaſterio, uſum Pontificalium conceſſum fuiſſe, monaſterio, inquam, quod multitudine atque amplitudine terrarum divitiarumque affluentia cum primis certare viſum, de cujus fatis ut jam compendiariam Lectori præbeamus notitiam,

Initia ſua ſumpſit anno 1120, uti copioſius rem in Annalibus noſtris ad eundem annum Parte VI. proſecuti ſumus, antiquitus paſſim Wilhelmscella appellatum, crevit curſu temporum liberalitate Principum, Procerum, Beneſactorumque tantum, ut

nemo non mirari poſſit ditionum multitudinem, quæ vel in ſubjectis chartis leguntur, & quidem eæ non ſolum ſe ſe longe lateque per Bohemiam, ſed ipſam etiam Moraviam extendere, in qua præterea nominata Præpoſitura Uhrzicii enituit, ut eccleſias Parochiales utrobique non commemorem, quarum triginta & uni Rectores Plebanosque Monaſterium dare ſolitum. Hoc vero tam amplum atque celebre cœnobium mox primis cœptæ rabiei Huſſiticæ annis, in fugam exiliumque conjectis alumnis, in cineres redactum, humique ſtratum fuit, atque rapacibus manibus violentisque uſurpatoribus ceſſit, qui Dominos ſuos prioresque poſſeſſores vel ipſo aditu perpetuo poſthac prohibuere, quo factum, ut religioſorum hinc inde diſperſorum numerus jam anno 1453. ad tres ſolum Ulricum, Nicolaum, & Simonem, in Præpoſitura Uhrzicenſi Moraviæ ſe ſe ægre tuentes redierit, qui eodem anno, compromiſſo in Wilhelmum epiſcopum archidiaconum Olomucenſem, Joannem Præpoſitum monaſterii Trebicenſis & Henricum Præpoſitum Raygradenſem facto, eorundem ſuffragio & delectu Nicolaum ex ſuo terno numero Abbatem accepere. Anno 1481. Nicolao Abbate fatis functo jam penitus coloniæ Willemovienſes intercidere viſæ, ne tamen locus locique memoria ejusdemque jura penitus interirent, proviſione Gregorii Abbatis Brzewnovienſis (Patris ut vocant immediati) factum eſt, ut adlectis Mathia Abbate Trebicenſi, Leonardo Abbate Zarenſi, Jacobo Præpoſito extra Brunam, aliisque Ordinis S. Benedicti fratribus Simon Præpoſitus Rayhradenſis denominatus electusque ſit Abbas Willemovienſis, qui quanquam ſex annis poſterius a Wladislao II. Rege Bohemiæ confirmationem omnium privilegiorum, jurium, donationum, poſſeſſionumque impetraverit, nihil tamen a violentorum detentorum harpyis manibus vindicare potuit, adeo ut Præpoſituræ ſuæ Uhrzicenſis tenuibus redditibus contentus vivere cogeretur. Sed nec Præpoſitura iſta diu a violentia intacta immunisque perſtitit, nam in pejus etiam ſub ejus ſucceſſore Nicolao delapſa eſt, dum denique Petrus Abbatum Willemovienſium omnium poſtremus

an-

anno 1506. *coactus a ſæcularibus Baronibus* (uti memorabilia Præpoſituræ Rayhradenſis referunt) *Præpoſituram Uhrzycenſem plane dimittere*, ſe ſeque Rayhradium recipere, ubi primum tempore aliquo Præpoſiti munus reaſſumpſit, paulo vero poſt ſolitariam vitam elegit, minime tamen prætenſionum juriumque ſuæ Abbatiæ monaſteriique immemor mortuo Wladislao, electoque Ferdinando I. Rege Bohemiæ eodem adhuc anno 1527. eidem ſupplex factus ab eodem denuo confirmationem omnium privilegiorum, donationum, terrarumque ſub minis *graviſſimæ indignationis adverſus contrafacientes* obtinuit, ſed his omnibus nihil profectum fuiſſe oſtendit, quod demum Rudolphus II. anno 1577. decreto regio Willemovienſis monaſterii jura quæquæ & prætenſiones cum ipſo nomine & memoria monaſterii abolenda ſtatuerit, omnes ditiones monaſterii iſtius jam pridem oppignoratas atque ab aliis occupatas, ſi vulgari hodie verbo utendum eſt, ſæcularizaverit, eaſque uſurpatoribus in perpetuum hereditarieque partim conceſſerit, partim vendiderit, ut itaque reſtituendi vindicandique monaſterii iſtius ſpes omnis Ordini Benedictino intercepta ablataque fuerit. Quod ad documenta iſthic vulganda attinet, omnia præter tria quatuorve poſtrema ex autographis membranis tranſumta ſunt, e quibus ſeriem Abbatum Willemovienſium ab anno 1200. usque 1627. antiquitatum Benedictinarum ſtudioſis in gratiam excerpſimus, ſubjicimusque, ſingulis annos appoſituri, quibus eos præfuiſſe hæc ipſa chronologico ordine ſubſtrata inſtrumenta chartæve indicant. Fuere autem ſequentes:

Hermannus anno 1200 - - 1214.
Jaroslaus I. — 1276 - - 79. - - 82. - - 88. - 1307.
Budico — 1315.
Jaroslaus II. — 1318 - - 29.
Petrus I. — 1339 - - 40.
Andreas I. — 1348 - - 49 - 58 - 60 - 61 - 62 - (64 - 65 - 68 - 69.
Petrus II. — 1384.

Andreas II.	anno	1387.
Petrus III.	—	1388.
Nicolaus I.	—	1391 - 96 - 98 - 99 - 1406 - 9 - (12 - 16 - 18 - 19.
Haſsko	—	1427.
Wenceslaus	—	1431 - 32 - 37 vel 38 mortuus,
Nicolaus II.	—	1438.
Martinus	—	1452 vel 53 mortuus.
Nicolaus III.	—	1453.
Simon	—	1481 - - 87.
Nicolaus IV.	—	1490 - - 99.
Petrus IV.	—	1506 - - 27.

Deſiderantur itaque anteriores ſæculo XIII. & fortaſſis etiam intermedii aliqui prælertim inter annos 1214 & 76, quorum neque in Diplomatariis Willemovienſi & Brzewnovienſi, neque in memorabilibus Rayhradenſibus mentio fit.

DIPLOMATARIUM WILLEMOVIENSE.

I.

Theobaldus Dux Czaslaw. Hrudimenſis, & Wratislavienſis inter bona eccleſie SS. Petri & Pauli Willemovienſis tempore Hermanni Abbatis, & inter villam ſuam metas conſtituit, & eidem eccleſie quartam ſeptimanam in theloneo Babr dicto adjecit. Datum tempore Przemisl Regis Boemie. (a)

No-

(a) Membrana caret notis Chronologicis, inter annos tamen 1200 & 1214 adornata, cum poſtremo ad Danielem II. tum Pragenſem epiſcopum ſe revocet, qui ab anno 1200 usque 1214 præſuit Pragenſi eccleſiæ.

Notum ſit omnibus in *Chriſtum* credentibus tam poſteris, quam preſentibus. Quod ego *Theobaldus* Dux *Caslaw.* & *Hrudimenſis*, & *Wratislavienſis* (*b*) in propria mea perſona inter bona eccleſie Beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, & ville mee, que eſt in theloneo ſita, ſub tempore *Hermanni* Abbatis coram his teſtibus métas conſtitui, *Alberto* meo exiſtente Notario, *Nicolao*, *Vbislao*, *Glupen*, *Johanne de Duſſic*, *Martino Draic*, *Podoba*, *Stephano de Tuklak*, *Balſtin* & ejus duobus filiis, *Ponata* milite, *Petri* Caſtellani in *Caslaw*, *Naſer* milite, *Rudolfi* Judicis. Inſuper & coram hiisdem teſtibus ob remedium anime meê eidem ſancte eccleſie quartam ſeptimanam in theloneo, quod *Babr* nuncupatur, adiciens confirmavi. Sex autem ad Kaſtellanos ebdomadas pertinere decrevi. Quicunque autem hunc actum immutare preſumpſerit, poteſtate Beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* connexa pene eterne dampnacionis deputetur, & cum angelis ſathane in gehenna collocetur. Hec autem acta ſunt tempore *Premisl* glorioſi Regis *Boemie*, *Daniele* Pontifice exiſtente. (*c*)

II.

Teſtimonium Peregrini Epiſcopi Pragenſis ſuper villa Opocemice a Nobili Domino Zezema de Coztomlat pro remedio anime, monaſterio Willemovienſi donata. dd. Prage, Kalend. Octob. A. 1223.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. Rei geſte memoria, ne proceſſu temporis evaneſcat, & pereat, poni ſolet in lingua teſtium, & ſcriptorum munimine roborari. Igitur ego *Peregrinus* Sacroſancte *Pragenſis* eccleſie Epiſcopus, notum tam preſentibus, quam poſteris, ad quoscunque preſens pagina devenerit, facio cum effectu; hoc vi-

(*b*) Ex hoc ipſo titulo convincitur Joannes Klatovsky ejusdemque ſequaces fabulæ, qui Theobaldicis provinciam Klattovienſem adſcripſere, totque ſomnia, monſtraque hiſtoriæ procuderunt, de quo jam luculentius tum in Apologia noſtra tum P. VI. Annalium egimus. Wratislavienſis autem Dux non a Sileſiæ Wratislavienſi Ducatu, ſed a Bohemiæ provincia & caſtro Wratislav Chrudimenſi confini appellatus, uti jam alias docuimus. (*c*) Sigillum avulſum eſt, ſarcit vero hoc damnum alia ejusdem membrana archivi Chotieſſovienſis in Bibliothecam Cæſaream translati, e quo ſomnia quoque noſtrorum de Schachidis tabula Theobaldicorum ſcuto gentili merito confutantur. Ceterum inter tot millenas a me viſas exſcriptasque chartas publicas hæ duæ chartæ unæ ſolæque a Theobaldica ſtirpe ſuſterſtites hactenus repertæ.

videlicet, quod ad inſtanciam & devotas preces Nobilis viri Domini *Zezeme* de *Coztomlat*, hanc paginam in teſtimonium ſuper villam *Opocernice* ſcribere non recuſavi, quam idem jam ſupra dictus *Zezema* Dominus de *Coztomlat* ad uſus devotorum fratrum, ſcilicet Abbati, ac Conventui ejus de *Wilemow* pro remedio anime ſue, ſuorumque tradidit, pacifice, & quiete hereditario jure poſſidendam. Verum cum vineas Domini *Sababot* multiformes beſtie moliantur demoliri, preſens ſcriptum ſigilli noſtri munimine ſupra dicto Conventui digne duximus roborandum. Preterea quisquis hoc decretum infringere temptaverit, indignationem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & Beate Virginis *Marie*, nec non & Sanctorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, ac ſimul omnium Sanctorum, & excommunicationis ſententiam ſe ſenciat incurriſſe. Datum Prage in monaſterio Sancti *Viti*; Anno Incarnationis Domini MCCXXIII Kalendas *Octobris*, Indiccione XI. Et hujus rei hii ſunt teſtes; Dominus *Henricus* cum filio ſuo *Vitcone de Nova Domo*, *Ratmirus de Squirina*, *Groznata de Podiebrad*, *Wilhalmus de Certomar*, *Johannes* filius *Zbizlai de Bratercric*, *Alberth de Sliven*, *Miztidrach de Zluſcie*, *Zobebird de Raſceralovicz*, *Vad de Velelud*, *Predzlaw de Luceran*, *Paulec de Giztbic*, *Janec* cum duobus fratribus *de Wſebap*, *Zieſce de Lowinic*, *Purchart de Vezcie*,

III.

Privilegium ac Exemptio Premislai Regis pro Monaſterio Wilhalmſcelle, & ejus bonis ac poſſeſſionibus dd. Prage 18. *Calendas Decembris Anno* 1253.

In Nomine Sancte & Individue Trinitatis, Amen. *Premizslaus*, qui & *Otacharus*, Dei gracia Dominus Regni *Boemie*, Dux *Auſtrie* & *Stirie*, & Marchio *Moravie*, Viris Religioſis Abbati, & Conventui de *Wilhalmſcella* graciam ſuam, & omne bonum. Suſceptum Regie dignitatis officium efficaciter nos inducit, ut univerſis ſub noſtro dominio conſtitutis, defenſionis dexteram ſollicitudine debita porrigamus. Et licet ſimus generaliter quibuslibet ſubditorum noſtrorum proteccione congrua debitores, opus tamen caritatis exigit, & honeſtas publica perſuadet, ut ſpecialiter piis locis & Religioſis Viris, qui vanitatibus ſeculi renunciantes elegerunt Domino in paupertate nimia miniſtrare, quorum eciam oracionibus nobis, & ceteris Chriſtianis eternus Salvator redditur placabilior, & ad ignoſcendum facilior invenitur, Regie proteccionis auxilium liberaliter impendamus, ut ex hoc bonorum Regni Celeſtis efficiamur

mur participes, & eterne vite premio inveniamur auctore ſupremo Judice digniores. Sane ad univerſorum tam preſencium, quam futurorum noticiam volumus pervenire, quod nos Monaſterium Veſtrum cum omnibus ſuis pertinenciis & poſſeſſionibus univerſis, ob reverenciam Divine Majeſtatis perpetue libertati donamus, ſtatuentes, ut nullus Baronum noſtrorum, ſeu quorumlibet aliorum hominum, quacunque dignitate, vel auctoritate cenſeantur, in clauſtro veſtro, vel monaſterii veſtri bonis, vobis preſumant invitis hoſpitari, ſi Regiam voluerint effugere ulcionem. Quia vero plus ſolet timeri, quod ſpecialiter prohibetur, quam quod generali prohibicione concluditur, articulos infra ſcriptos ad Dei honorem, & eccleſie veſtre libertatem pertinentes, ſpecialiter duximus premittendos. Precipimus itaque, & auctoritate Regia prohibemus, ut nullus Potentum, ſeu Baronum dominii noſtri preſumat equos ad paſcendum ponere in bonis Monaſterii Veſtri, niſi forte licencia a vobis petita, pariter & obtenta. Si vero fur capitur in bonis eccleſie, & capitali pena condempnatur; Item ſi interficitur aliquis homo, vel vulneratur in bonis eccleſie, ſive ſit eccleſie homo, ſive cujuslibet alterius privati, iſtarum & ſimilium vendicio culparum, que in noſtros, & beneficiariorum noſtrorum uſus ex antiqua conſuetudine cedebat. cedat totaliter in uſus, & utilitates eccleſie memorate, nec de culparum vendicione predictarum ſe beneficiarii noſtri intromittant, ſi indignacionem Regiam voluerint evitare. Reddimus etiam vos, & omnia bona veſtra libera in perpetuum, & exempta ab illis exaccionibus, que *Narez* vulgariter appellantur, *Zvod*, *Narok*, *Preſeka*, *Scheleſo*, *Woda*, *Mætſch*, *Kyg*, & ut telam prolixi narratus brevis ſermo texat, ab omnibus exaccionibus, & gravaminibus, ſive moleſtiis quibuslibet, ob ſpecialem devocionem, quam erga Patronos eccleſie Veſtre Sanctos ſcilicet Apoſtolos *Petrum* & *Paulum* ſpecialiter gerimus, vos, & omnes ſubditos veſtros cum poſſeſſionibus veſtris univerſis, & bonis omnibus mobilibus & immobilibus, ſeu ſe moventibus univerſaliter, & ſingulariter, liberos reddimus & exemptos. Ne autem hec proinde a Noſtra Serenitate ad laudem Divini Nominis, & Sanctorum Apoſtolorum ejus facta donacio tractu temporis in dubium valeat revocari, preſentes vobis in teſtimonium concedimus literas, ſigillorum noſtrorum munimine roboratas. Teſtes autem hujus rei ſunt hii: *Bawarus*, *Chunradus de Chlingenbergh*, *Boruta*, *Nicego de Nova Domo*, *Jaroſchius*, *Nocho*, *Zdezlaus de Sternberch*, *Gallus de Leomberch*, *Boſcho Burgravi-*

vius Znoymenſis, Janzo, Bohuſch de La Caſtell, & alii quamplures. Datum Prage XVIII. Kalendas *Decembris*, anno Domini MCCLIII.

IV.

Alterum ejusdem Regis latius privilegium Jaroslao Abbati Willemovienſi ejusque monaſterio conceſſum dd. Pragæ 1276. 11. *Kal. Aprilis.* Ex tranſumto Wenceslai II. Regis habetur Num. XII. ad an. 1289.

V.

Litis conteſtatio inter Abbatem Willemovienſem & Abbatem Wellegradenſem Ord. Ciſterc. ratione cujusdam ſolutionis annue ad eccleſiam in Hurſit pertinentis dd. Cremeſer III. Calend. Aprilis An. 1267. Habetur excuſum Tomo meo IV. Monument. p. 275.

VI.

Literæ Emphyteuticæ Purchrecht dictæ ſuper duabus villis ac curiis in Butſchitz & Vulatſchitz a Monaſterio Willemovienſi aliis ad excolendum conceſſis dd. die VI. Martii Anno 1279.

In Nomine Domini Amen: Nos *Jaroslaus* divina miſeratione Abbas, totusque Conventus Fratrum Monaſterii *Wilhelmovienſis*, Notum fieri volumus omnibus *Chriſti* fidelibus tam preſentibus, quam futuris in perpetuum; Quod cum ſeveritatis Divine permiſſione fervens impietas iniquorum Regni Bohemie fines occupaſſet in tantum, ut monaſteria bonis ſuis temporalibus pacifice gaudere non poſſent; Nos profectibus Cenobii noſtri debita proſpiciendo ſollicitudine, & majoris commoditatis reſpectu, curias noſtras, ac villas ſitas prope municipium *Charlavienſe*, que *Butſchitz* & *Vulatſchitz* appellantur, quarum terras quondam ſolebamus excolere propriis laboribus, & impenſis, de omni voluntate dedimus, & conceſſimus colonis aliis excolendas, & pro certo cenſu penſionis annue Jure *Theutonico*, quod *Purchrecht* dicitur, poſſidendas, ſub pactis & conditionibus infra ſcriptis. Primo videlicet, quod ipſarum terrarum coloni, ſive poſſeſſores terras ipſas aliunde non colant, niſi de curiis ſuper eisdem terris collocatis, & tam in Judiciorum forma, quam in laneorum menſura habebunt modum predicti municipii *Charlavienſis*. Item iidem poſſeſſores terrarum prefatarum de ſingulis laneis annis ſingulis viginti & duas menſuras, que vulgo *Chortzhones* dicuntur, frugum hyemalium & eſtivalium, quarum ſex erunt menſure tri-

ti-

tici, ſex ſiliginis, & ſex avene, tres ordei, & una piſe, in feſto beati *Martini* Confeſſoris nobis ſolvere tenebuntur; deferentes fruges ipſas ad noſtrum monaſterium propriis in vecturis. Item poſſeſſores predicti ſimiliter annis ſingulis de ſingulis laneis tres fertones puri argenti *Pragenſis* ponderis, in feſto Sanctorum Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi* ſolvent nobis. Tempore quoque proclamate expeditionis, de ſingulis etiam laneis medium fertonem argenti in ſubſidium nobis dabunt, quod argentum, ſi expeditio proceſſerit, pro nobis retinebimus, ſi autem non proceſſerit, eis iterum refundemus. Preterea de ſingulis laneis ſemper in feſto *Paſche* dabuntur nobis due bone ſcapule porcine, & in feſto Natalis *Chriſti* due bone galline. Nec ad plura ſepe dicti poſſeſſores terrarum predictarum, nobis penſionis nomine tenebuntur, mandatis Regiis, & juribus epiſcopalibus ſemper ſalvis. In horum igitur memoriam ſempiternam preſentes literas fecimus noſtrorum ſigillorum munimine roborari, easque duplicantes in ſcriptis, unum pro villanis predictis conceſſimus, pro noſtro monaſterio alterum conſervantes, & ſcripta utraque counivimus inciſionibus Alphabeti. (*d*) Datum anno Dominice Incarnacionis MCCLXXIX. die VI menſis *Martii*.

VII.

Nicolaus Papa III. confirmat Abbati & Conventui Monaſterii Willemovienſis omnes libertates, exemptiones & privilegia a Regibus, Principibus, & aliis conceſſa. dd. Rome XV. Kalend. Junii, Pontificatus anno II. (*e*)

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Abbati & Conventui Monaſterii *Wilhelmovienſis*, Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis favorem benivolum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, ſeu alias indulgentias vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus & Principibus ac

(*d*) Vix alibi me legiſſe memini hanc methodum per inciſionem alphabeti, ne vitiari obtrudique poſſit aliud inſtrumentum. (*e*) Anno 1279.

aliis *Christi* fidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas juste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum *Rome* apud Sanctum *Petrum* XV. Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno secundo.

VIII.

Nicolaus Papa III. Monasterium Willemovense & ejus bona, in protectionem suam suscipit dd. XV. Kalendas Junii, Pontificatus anno II. id est 1279.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii *Willibelmovensis* Ordinis Sancti *Benedicti Pragensis* Diocesis salutem & Apostolicam benedictionem. Sacro sancta Romana ecclesia devotos & humiles filios ex assvete pietatis officio propensius diligere consvevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub Beati *Petri*, & nostra protectione suscipimus; specialiter autem domos, terras, vineas, possessiones, pascua, silvas, & alia bona vestra, sicut ea omnia juste, ac pacifice possidetis, vobis, & per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum *Rome* apud Sanctum *Petrum* XV. Kalendas *Junii*, Pontificatus nostri anno secundo.

IX.

Zmilonis de Luchtemburch filii vendunt duas villas Hermanitz & Malojovitz, monasterio Willimovensi, cum omnibus appertinenciis dd. mense Julio A. 1281.

In Nomine Domini Amen. Nos *Henricus*, *Zmilo* & *Reimundus* filii bone memorie Nobilis Viri *Zmilonis* olim Domini de *Luchtemburch*; Notum facimus per hoc scriptum cunctis Christi fidelibus, quam presentibus tam futuris in perpetuum, quod nostra libera & unanimi volun-

luntate, parilique conſenſu duas villas noſtras, que vocantur *Hermanitz* & *Malojovitz* prope monaſterium *Wilhelmowe* inter poſſeſſiones ipſius monaſterii ſitas vendidimus Abbati & fratribus monaſterii ejusdem, cum omnibus pertinenciis ipſarum, id eſt, cum ſilva dicta *Kozoied*, & utroque littore fluminis prohibiti, nomine *Dubrawitz*, cum piſcationibus, molendinis, virgultis, pratis, paſcuis, agris cultis, & incultis, cum jure & libertate campi jumentorum, quod vulgo *Kobile Pole* dicitur, & omnibus libertatibus, atque juribus villarum earundem, hereditarie perpetuo poſſidendas. Jus quoque Patronatus, quod habemus in Capella Beati *Benedicti*, que eſt in prefata villa *Hermanitz*, permiſimus ad Abbatem & fratres predictos cum univerſitate tranſire, nihil nobis in eo de cetero vendicantes. Hec autem omnia ſupra dicta proteſtamur feciſſe nos ſub pactis & ſtipulationibus infra ſcriptis, videlicet, quod venditionem prefatam ratam habentes, a fratre noſtro *Ulrico*, & omnibus conſanguineis noſtris ratam haberi faciemus, obligantes nos Abbati, & fratribus ſepe dictis ad plenam reſtitutionem accepti ab eis pretii villarum prefatarum, & inſuper ad ſolvendas eis nomine pene centum marcas argenti, ſi ſponſiones has violaverimus ullo modo, vel pacificam eorum poſſeſſionem infra tempus preſcripcionis jure Regni *Boemie* ſtatutum permiſerimus per aliquem violari. Actum, & datum anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo, menſe *Julio* coram multis nobilibus viris rogatis, & vocatis teſtibus.

X.

Permutatio villarum Marcowichi & Sulicz facta inter Epiſcopum Pragenſem Thobiam, & Jaroslaum Abbatem Willemovienſem, & ejus Conventum dd. Prage XI. Kalendas Novembris anno 1282.

In nomine Domini, Amen. Noverint univerſi preſentes literas inſpecturi, quod nos *Thobias* Dei gratia *Pragenſis* epiſcopus conditionem Epiſcopatus noſtri juxta poſſe meliorando, de conſenſu quoque ac voluntate Honorabilium Virorum Domini *Gotfridi* Prepoſiti, Magiſtri *Gregorii* Decani, totiusque Capituli ejusdem eccleſie noſtre Pragenſis titulo commutationis dedimus, & tradidimus Religioſis, & Honorabilibus viris Domino *Jaroslao* Venerabili Abbati, & Conventui Monaſterii de *Willemow* Ordinis Sancti *Benedicti*, bona Epiſcopatus noſtri predicti in villa dicta *Marcowichi*, cum jure Patronatus eccleſie Sancti Georgii in predicta villa, quod quidem jus ad nos pertinet, per eosdem Abbatem & Con-

ventum in perpetuum hereditario jure libere poſſidenda. Pro quibus bonis cum jure Patronatus ipſius eccleſie recepimus ab eodem Domino Abbate ac Conventu, eodem commutationis titulo villam ipſius monaſterii dictam *Sulicz*, per nos, & ſucceſſores noſtros *Pragenſes* Epiſcopos in perpetuum hereditario jure libere poſſidendam. In cujus rei teſtimonium, & cautelam predictorum Abbatis & Conventus preſentes commutationis noſtre literas exinde fieri fecimus, noſtri & predicti Capituli ſigillorum munimine communitas. Datum *Prage* anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo. XI. Kalendas *Novembris*, XI. Indictione, Pontificatus noſtri anno quarto.

XI.

Thobias epiſcopus Pragenſis Chechonem presbyterum inſtituit Plebanum in eccleſia Marcovich ad preſentationem Jaroslai Abbatis Willemovienſis dd. Prage 12 Kalendas Decembris A. 1284. eidemque Plebano decime de villa Zebubi pro tribus libris cere annue dandis locantur.

Thobias Dei gracia *Pragenſis* Epiſcopus Univerſis preſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Noverit univerſitas Veſtra, quod ad petitionem, & preſentationem Honorabilis Viri Domini *Jaroslai* Abbatis & Conventus ejus de *Willamow* diſcretum Virum *Chechonem* Presbyterum exhibitorem preſentium in eccleſia de *Marcowich*, in qua idem Dominus Abbas cum Conventu ſuo predicto jus obtinet Patronatus Rectorem inſtituimus legitimum, & Plebanum, ipſumque ſibi auctoritate, qua fungimur, cum omnibus ſuis pertinentiis confirmamus. Ad hec ſcire debetis, quod predictus Abbas & Conventus univerſos reditus & proventus decimarum, que in villa *Zebubi* ad eos ab antiquo, & eorum ſpectat monaſterium, pleno jure predicto Plebano pro tribus libris cere, quas ipſe annis ſingulis, quamdiu eandem eccleſiam ſibi confirmatam poſſederit, eis & eorum eccleſie in feſtivitate Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum fideliter debet perſolvere, de noſtra ſpeciali licentia locaverunt. In cujus rei teſtimoniùm iſtud ſcriptum fieri fecimus, & ſigilli noſtri munimine roborari. Datum Prage XII Kalendas *Decembris*, anno Domini MCCLXXXIV. Pontificatus noſtri anno ſexto, indictione XIII.

XII.

XII.

Abbas & monaſterium Willemovienſe locat Jiſtislao militi villam Ruzen pro decem marcis argenti uſu fructuario ad dies vite poſſidendam dd. 2 Aprilis A. 1288.

In nomine Domini Amen. Notum ſit omnibus *Chriſti* fidelibus, quod ego *Jiſtislaus* miles filius Domini *Bleb* dicti de *Hlum* datis monaſterio *Wilhelmovienſi* X. marcis argenti puri ponderis *Pragenſis*, ſuſcepi ab ipſo monaſterio villam deſertam, cui *Ruzen* vocabulum eſt, locationis nomine tempore duntaxat vite mee uſu fructuario poſſidendam, ſub pactis & conditionibus infra ſcriptis, videlicet, ut agros & campos ejusdem ville, qui excoli conſueverunt, pro me excolam, vel excoli faciam, nihil de ſilvis monaſterii circa eandem villam exiſtentibus exſtirpando, ſeu vendendo, ſed pro edificiis ipſius ville & foco neceſſario lignis ſilvarum uti potero predictarum, poſt obitum autem meum, villa prefata cum omni utilitate ſua & bonis, que mobilia, ſeu immobilia, vel ſe movencia in ipſa habuero, ad predictum monaſterium ſine diminucione & dilacione qualibet devolvantur. Actum anno Domini MCCLXXXVIII. Indiccione prima, Menſis *Aprilis* die ſecunda, coram multis bonis teſtibus. Et quia ego ipſe ſigillo autentico carui, preſentem paginam ſigillis Venerabilium Virorum Domini Abbatis, atque Conventus monaſterii Sancti *Procopii* obtinui conſignari, *Wilhelmovienſi* monaſterio valituram.

XIII.

Inſtrumentum Emphyteuticum, quo Jaroslaus Abbas & Conventus monaſterii Willemovienſis Smiloni & Ulrico fratribus de Luchtenburch villas Opochnyce & Bolicii ad dies vite poſſidendas tradit dd. XVI. Julii A. 1288.

Nos *Smylo & Ulricus de Luchtemburch*, nati quondam Nobilis viri, Domini *Smylonis de Luchtemburch*, notum fieri cupimus omnibus, preſentibus & futuris has literas inſpecturis, quod anno Domini MCCLXXXVIII, menſis *Julii* die XVI duas deſolatas villas monaſterii *Wilhelmovienſis*, quarum uni *Opochnyce*, alteri vero *Bolicii* nomen eſt, quæ ſite ſunt trans flumen *Albeam*, concedentibus nobis easdem Religioſis viris Domino *Jaroslao* Abbate, atque Conventu univerſo fratrum monaſterii prefati ſuſcepimus, cum omnibus pertinenciis & utilitatibus ipſarum,

rum, toto tempore, dum temporaliter vixerimus, poſſidendas, mediantibus pactis, & condicionibus infra ſcriptis, videlicet, quod villas easdem, vel earum aliquam portionem vendere, vel infeudare, aut obligare ſive alienare a dominio prefati monaſterii non licebit nobis ullatenus, ſed ipſis colonis bonis populabimus, aut noſtris impenſis excolemus, & exfructuabimus juſto modo. Obligabimus etiam nos & pure fidei ſtipulatione cum juramento promittimus, ob conceſſionis prefate gratitudinem reperſandam, quod omni noſtro tempore prefatum monaſterium in perſonis ac bonis ad ipſum ubique pertinentibus, neque per nos, neque per noſtros ſubditos ledemus violenter, vel offendemus aliqualiter, quin imo defendemus, & protegemus pro noſtro poſſe, tanquam nos metipſos, & tanquam propria bona noſtra. Ubi vero, quod abſit, contrarium feciſſe convicti fuerimus, perfidie redarguamur, donec ſatisfecerimus, & prefatis bonis nobis conceſſis ſumaliter careamus. Pollicemur inſuper, & volumus, ut fidem preſtitam conſervantes & bona prefata noſtrum ad obitum poſſidentes, poſt dies vite noſtre, omnia cum rebus, que ibi reperte fuerint, mobilibus & ſe moventibus ad monaſterium prefatum, ſine diminutione, dilatione, & contradictione quaibet devolvantur. Actum in *Wylamow*, anno & die preſcriptis, coram multis nobilibus, & bonis viris teſtibus. Ad majorem quoque certitudinem literas preſentes ſigillorum noſtrorum karacteribus fecimus conſignari.

XIV.

Regis Wenceslai Confirmatio Privilegiorum a Rege Ottakaro Monaſterio Willemovienſi conceſſorum. dd. Hradecz IX. Kalendas Maji, A. 1289.

Wenceslaus Dei gracia Rex *Boemie*, & *Moravie* Marchio; Omnibus in perpetuum. A. cariſſimo Patre noſtro Domino *Otbakaro* Rege *Boemie* Sereniſſimo, recolende memorie, honorabili viro, Domino *Jaroslao* Abbati, & Monaſterio ipſius in *Wylhemow* Ordinis Sancti *Benedicti Pragenſis* Dioceſis conceſſum, & confirmatum gracioſe privilegium non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua parte ſui vicíatum ſalvis ſigillis vidimus per omnia in hec verba. *Otbakarus* Dei gracia Rex *Boemie*, Dux *Auſtrie*, *Styrie*, *Karinthie*, Dominus *Karniolie*, *Egre*, ac *Portus Naonis*, Dilectis fidelibus ſuis, univerſis Beneficiariis, Judicibus Civitatum, Monetariis, & Urburariis per *Boemiam* & *Moraviam* conſtitutis ſalutem,

&

& graciam. Cum per dilectum nobis *Jaroslaum* Abbatem monasterii de *Wilhelmow* exhibitis nobis Progenitorum nostrorum privilegiis simus sufficienter instructi super libertatibus, quas prefato monasterio concesserunt, quod videlicet vendiciones quarumlibet culparum, & solutiones, que beneficiariis fieri solent, non alii, quam ipsi monasterio exsolvantur a suis hominibus, & quod de argenti fodinis in terris dicti monasterii media pars urbure totius debetur eidem, atque ut tempore nove monete in suis forensibus opidis homines ipsius monasterii per nostros monetarios cambire denarios non cogantur inviti, quod a quibuslibet collectis, & prestationibus sint immunes; Vobis universis & singulis presencium tenore discrete precipimus, ut prefati monasterii homines nullatenus molestetis contra premissas gracias libertatum. Nos enim easdem ob anime nostre salutem, & specialem Abbatis prenominati dileccionem de certa nostra scientia confirmamus. Datum Prage anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, XI. Kalendas Aprilis. Nos igitur decorem Domini Dei, & servorum ipsius commodum & profectum non remissioris affectu benevolentie amplectentes, & glorioſis paterne virtutis inherentes vestigiis, ex prerogativa, quam ad eundem Abbatem gerimus, gracie specialis, sibi, & monasterio suo predicto, predictas libertatum gracias, & libertates nihilominus gracioſas, ob amorem Dei, salutem nostram, & remedium animarum progenitorum nostrorum innovando liberaliter concedimus, & concessas in perpetuum presentis autentico privilegii confirmamus, districtissime prohibentes, ne quis beneficiariorum, villicorum Judicum civitatum, monetariorum, urburariorum, aut aliorum officialium nostrorum, seu alterius cujuscunque supra dicti *Wylhemovienſis* monasterii homines contra premissas libertates & gracias collectis & prestacionibus vel aliis quibuscunque gravaminibus & injuriis afficere, ac molestare presumat. Datum apud *Gradecz* per manus Magistri *Welizlai* Prothonotarii Regni nostri, anno Domini millesimo ducentesimo octoagesimo nono, nono Kalendas *Maji*, Indiccione secunda.

XV.

Litere Emphyteutice super villa Pawlow, quam Jaroslaus Abbas monasterii Willemovienſis Conrado de Rochow ad dies vite possidendam tradidit. dd. XVI. Junii A. 1289.

In

In nomine Domini, Amen. Ego *Conradus* miles dictus de *Rochov*, filius Domini *Drubonis* quondam militis, notum facio cunctis presentes literas inspecturis, quod anno Domini MCCLXXXIX. villam quandam monasterii *Wilhelmovienſis*, que appellatur *Pawlow*, prefato patri meo, & matri mee pro tempore vite eorum collata fuerit ad possidendum, per bone memorie - - - - - - (*f*) quondam Abbatem, totumque Conventum fratrum prefati monasterii, a Venerabili Domino Abbate *Jaroslao*, & toto Conventu monasterii jam dicti suscepi, ad tempus duntaxat, quo in presenti vita permansero, possidendam; ita quod ex hoc prememorate Domine matri mee, que adhuc supersit, nullum prejudicium generetur, quicunque autem nostrum supervixerit, dum extremum clauserit diem, villa prefata cum omnibus bonis in ipsa existentibus, & suis pertinentiis absque contradictione & difficultate qualibet ad predictum monasterium revertetur. In hujus ergo pacti certitudinem paginam presentem sigillo Domini mei de *Sleb*, & meo proprio dispositi consignari. Datum anno Domini prefato, coram multis bonis testibus, Mensis *Junii* die XVI.

XVI.

Litere Remundi de Leuchtenburg super permutatione bonorum, & possessionum quarundam inter ipsum, & monasterium Willemovienſe facta. dd. Brode in die S. Galli A. 1307.

Nos *Remundus* de Leuchtenburch tenore presencium notum facimus universis, quod matura habita deliberacione de bonis posteris infra scriptis, videlicet *Zmurdow* Castro, & civitate cum foro libero in ipsa, feria secunda existente, & de villis *Zwoscbi*, *Watscow*, *Schepanow*, *Lubne*, *Bossichzin*, ad predicta castrum & civitatem pertinentibus, cum omnibus ipsorum attinenciis, silvis, rubetis, pratis, molendinis, piscationibus, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, agris, cultis, & incultis existentibus, planis, libero jumentorum campo, cum jure patronatus ecclesie hereditario dominii, & omnibus libertatibus, & utilitatibus, quibus nos ipsa bona predicta possedimus, & tenuimus, commutationem fecimus cum Honorabilibus viris Domino *Jaroslao* Abbate, totoque Conventu ecclesie *Wilhelmovienſis*, & bonis ipsius ecclesie infra no-

(*f*) Characteres humore evanuere.

notatis, videlicet *Mitbelberch*, *Hond. f*, *Sighartsdorff*, *Langendorff*, *Scheiblisdorff*, *Chochansdorff*, *Rechzicz*, *Dietr cilhota*, *Zawidow ci*, & *Radhoztowici*, cum omnibus ipsorum attinenciis, silvis, rubetis, pratis, molendinis, piscationibus, piscinis, aquis, aquarumque decursibus, agris cultis, & incultis, montibus, planis, cum jure Patronatus ecclesie, hereditario dominii, & cum omnibus libertatibus, & utilitatibus, quibus predicti Domini *Jarozlaus* Abbas, totusque Conventus ecclesie memorate predicta bona possederunt, & tenuerunt, transferentes in ipsos Dominos, *Jaroslaum* Abbatem, totumque Conventum predictum, ac ipsorum successores omne jus & dominium, quod nobis, sive nostris heredibus in memoratis bonis nomine obligationis, alienacionis, commutationis, proprietatis, seu quocunque modo, vel titulo alienandi, sive possidendi aliqualiter competebat; Et sub pena mille marcarum grossorum *Pragensium* promittentes ipsis Dominis predictis bona memorata, que tenuimus a data presencium per terminum continuum & diem ab omni homine libera facere, & penitus disbrigata, juxta consuetudinem terre, & jura Regni, hanc commutationem sub predicta pena mille marcarum irrevocabiliter tenendam & observandam tenore presencium absque omni fraudis malicia confirmamus, obligantes ipsis Dominis *Jaroslao* Abbati, totique Conventui ecclesie sepe dicte, & ipsorum successoribus nostram mediam civitatem *Brodensem* pro mille marcis predictis, si ipsarum penam per violenciam dicte commutacionis aut disbrigationis predicte negligenciam solvere nos contingat, tenendam tamdiu & possidendam, quousque sepe dictis Dominis mille marce predicte fuerint integraliter persolute; adjecimus eciam, quod ipsam ecclesiam *Wilhelmovienſem*, ac ipsius bona quelibet in nostre proteccionis patrocinium fideliter recipimus, & recepimus ipsam, & ipsam pro posse nostro, quoad vixerimus, ab omnibus Regni incolis defensuri. In cujus rei testimonium & robur perpetuo duraturum presentes fieri jussimus, & sigilli nostri munimine communiri. Datum in *Broda* anno Domini millesimo trecentesimo septimo, in die Beati *Galli* Confessoris.

XVII.

Ratificatio Joannis Episcopi Pragensis facta super permutatione quorundam pagorum inter monasterium Willemoviense & Nobilem de Luchtemburg dd. Prage XVII. Kalendas Januarii Anno 1307.

Nos *Johannes* Dei gracia *Pragenſis* epiſcopus. Notum facimus univerſis preſentes literas inſpecturis, quod Honorabiles & Religioſi viri Domini *Jaroslaus* Abbas, *Bohuslaus* Prior, *Paulus* Prepoſitus, totusque Conventus monaſterii de *Wilemow* noſtre Dioceſis, Ordinis Sancti *Benedicti* nobis exponere curaverunt, quod quedam bona, ſive poſſeſſiones monaſterii ſui predicti, *Mitelberch*, *Hobendorf*, *Scheibliebdorf*, *Retheitz*, *Sighardsdorf*, *Detricilbota*, *Radhoſtowicz*, & *Zawitkowicz* cum omnibus pertinenciis ſuis, de quibus a multis retroactis temporibus, tam propter ſterilitatem agrorum, quam propter vicinorum maliciam, quam eciam propter alias certas cauſas nullam, aut modicam utilitatem potuerunt habere, condicionem ſuam & monaſterii ſui predicti facere meliorem volentes, Nobili viro Domino *Remundo de Luchtemburch*, & heredibus ſuis pro bonis ſive poſſeſſionibus, caſtro *Smirdow*, *Sbozic*, *Baczow*, *Scepanow*, *Lubnyet Roſſiczyn* cum omnibus ſuis pertinenciis dederunt, tradiderunt, & permutaverunt jure hereditario perpetuo poſſidenda, petentes a nobis humiliter, ut prefate permutacioni, ſive permutacionis contractui aſſenſum noſtrum dignaremur prebere, & ipſam de benignitate ſolita confirmare. Nos igitur ipſorum juſtis & racionabilibus peticionibus inclinati, ex officii noſtri debito, inquiſita diligencius veritate, & habito tractatu ſollicito, qui in talibus conſvevit haberi, cognoſcentes eandem permutacionem, ſive permutacionis contractum non vergere in ipſius monaſterii detrimentum, ipſam permutationem approbamus, ratificamus, ratam & gratam habemus, ac ipſam nihilominus auctoritate, qua fungimur, confimamus. In cujus rei teſtimonium preſens ſcriptum fieri, & ſigilli noſtri munimine juſſimus communiri. Actum & datum *Prage* anno Domini milieſimo tercenteſimo ſeptimo, XVII. Calendas *Januarii* Indiccione ſexta, Pontificatus vero noſtri anno ſeptimo. g)

XVIII.

Transactio inter Hrabiſſium de Pabenicz, & Abbatem ac Conventum Willemovienſem, qua loco 330 *marcarum denar. groſſ. Prag., ad quas ſolvendas Abbas & Conventus Willemovienſis ob damna illata condemnati ſunt, vil-*

(g) His manu poſterioris ſubſcriptum eſt: *Nota: quod monaſterium Wylamovienſe habet ſex privilegia Dominorum de Ronow.*

villam Uſtupky dictam cum monte ad dies vite Hrabiſſio poſſidendam tradiderunt dd. Prage 4. Idus Martii A. 1315.

Nos *Hrabiſſius de Pabenicz*, notum facimus univerſis preſentes literas inſpecturis, quod cum pro dampnis per Honorabilem virum Dominum *Budiconem* Abbatem, & Conventum monaſterii Wilemovienſis nobis in bonis noſtris illatis, Abbatem & Conventum ipſum in *Pragenſi* Judicio traxiſſemus in cauſam, & Abbas ipſe cum Conventu ſuo, nec non monaſterium ipſum nobis pro ipſis dampnis in eodem *Pragenſi* judicio in trecentis & triginta marcis denariorum groſſorum *Pragenſium* ſententialiter condempnati fuiſſent, habuiſſemusque a Judice & beneficiariis *Pragenſibus* impignorandi ipſum Dominum Abbatem & monaſterium in bonis ipſius monaſterii, usque ad ſummam predictarum trecentarum & triginta marcarum, plenam & liberam poteſtatem; Honorabilis vir Magiſter *Ulricus* (*b*) ſcholaſticus *Pragenſis* frater noſter, (*i*) de conſenſu & voluntate noſtra, ac a Reverendo in *Chriſto* Patre & Domino Domino *Johanne Pragenſi* Epiſcopo, ad preces & inſtanciam predicti Domini *Budiconis* Abbatis, & tocius Conventus *Willemovienſis* monaſterii ſuper hoc ſibi facto mandato, propter hoc ſpecialiter ad ipſum *Willemovienſe* monaſterium una nobiscum in propria perſona accedens, inter nos & Abbatem & Conventum predictos taliter ordinavit, quod nos pure & ſimpliciter, & nulla conditione oppoſita, Abbatem & Conventum & monaſterium ipſum a predictis trecentis, & triginta marcis nobis per eos debitis ex ſententia ſupra dicta, & ab omni accione & jure, quod nobis, vel heredibus noſtris ex ſententia ipſa competit, vel poſſet competere, dimitteremus omnimode liberos, & ſolutos. Ipſi quoque Abbas & Conventus villam monaſterii ſui dictam *Uſtupki* cum omnibus juribus, & pertinenciis ſuis, monte, qui vocatur *Obeb* ſpecialiter, & nominatim incluſo, nobis, & Domine *Swatochne* uxori noſtre darent ad vitam, hac tamen condicione & pacto, quod nec nobis, nec ipſi Domine *Swatochne* uxori noſtre in vita noſtra, nec filiis, vel pueris noſtris caſtrum,

(*b*) Idem qui Ulricus de Pabienic Decretorum Doctor, Adminiſtrator epiſcopatus Pragenſis ſub diuturnam abſentiam Romanam Joannis epiſcopi, poſtea factus Monachus Sedlicii, Abbasque electus, de quo vide Chronicon Aulæ Regiæ T. V. priore.
(*i*) Perperam Frankius in ſyntagmate Woraczieckiano Ulricum hunc fecit filium Hrabiſſii.

ſtrum, vel municionem in ipſo monte conſtruere liceat ullo modo, & ſi nos, vel ipſa Domina Swatochna uxor noſtra, vel filii, vel pueri noſtri, vel alius quicunque de mandato, vel voluntate noſtra caſtrum, vel munitionem in monte ipſo conſtruere, vel edificare inciperet, ſtatim, & ſine aliqua contradiccione, villa predicta *Uſtupka*, cum pertinenciis ſuis & mons ipſe *Obeb* ad monaſterium libere revertantur, & nos & ipſa Domina *Swatochna* uxor noſtra, totum jus, quod nobis ex predicta ordinacione predicti Magiſtri *Ulrici*, & ex datione & ceſſione Abbatis & Conventus predictorum in villa ipſa *Uſtupki*, & in predicto monte *Obeb* fuerat acquiſitum, perdamus, quam ordinationem ipſius Magiſtri *Ulrici* nos ex parte noſtra, & ipſi Dominus Abbas & Conventus ex parte ſua ratam, & gratam habentes, nos Abbatem & monaſterium ipſos a predictis trecentis, & triginta marcis, & ab omni accione, & jure, quod nobis, vel heredibus noſtris ex ſententia predicta contra ipſos Abbatem & monaſterium competit, vel poſſet competere, abſolvimus, & reddimus penitus abſolutos. Ipſi quoque Dominus Abbas, & Conventus monaſterii ſupradicti, villam predictam *Uſtupki* cum pertinenciis ſuis, & montem *Obeb* cum conditione predicta de non edificando caſtro, vel municione in eo, nobis, & predicte Domine *Swatochne* uxori noſtre dederunt, & ceſſerunt liberaliter de eisdem ad habendum, & tenendum, & eis utendum per nos ad utriusque noſtrum vitam & vite tempus pacifice, & quiete. Et quod poſt utriusque noſtrum deceſſum, vel ante, ſi per aliquem noſtrum predicta conditio de non edificando caſtro vel munitione in monte predicto non fuerit obſervata, villa predicta *Uſtupki* cum pertinenciis ſuis, & ipſe mons *Obeb* ad monaſterium libere revertantur. In quorum omnium teſtimonium predicti Domini *Johannis Pragenſis* epiſcopi, & predicti Magiſtri *Ulrici* fratris noſtri, & noſtrum ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Datum *Prage* anno Domini milleſimo trecenteſimo quinto decimo quarto Idus *Martii*.

XVIIII.

Abas & Conventus Monaſterii Willemovienſis vendit villam Lipniczkam Marquardo Nigro dicto & uxori ejus Domaslave, & illis in poſſeſſionem tradit ad dies vite illorum tantum. dd. tertio Idus Julii Anno 1318.

In

In Nomine Domini Amen.

Nos *Jaroslaus* Divina miſeratione Abbas, *Wenceslaus* Prior, *Paulus* Prepoſitus, totusque Conventus monaſterii *Willemovienſis*. Notum facimus univerſis, preſentes literas inſpecturis; Quod cum ex permiſſione Dei fines noſtros, & ſpecialiter bona, & villas monaſteriorum manus potencium & tyrannorum ſeviſſima crudelitas in tantum invaſerit, & devaſtaverit, quod non ſolum rebus privati, verum etiam homines fame mortui, & qui vivi ſuperfuerunt, quadam inhumanitate, & velud canes rabidi ſe ipſos diſcerpentes, & commedentes mutuo propter panis defectum turpi deficientes morte orbatas & deſertas hereditates nobis reliquerunt. (*k*) Quarum fructu privati, & uſu, paupertate maxima detenti, pluribus & magnis obligati debitis in ſtatu miſerabili ſumus conſtituti. Hac igitur cauſa rationabiliter permoti, & ſepius inter nos conferentes, quomodo inopiam noſtram poſſemus relevare, debita perſolvere, & ad ſtatum villas & hereditates deſolatas deducere, & reformare, habito unanimi conſenſu fratrum totius noſtri Capituli, villam noſtram *Lipniczkam*, & curiam ibidem ad unum aratrum totaliter deſertam contulimus viro ſtrenuo & provido *Marquardo* dicto *Nigro*, & uxori ſue *Domaslave* tantum & nulli alii pro quadraginta quinque ſexagenis groſſorum denariorum, & hoc cum omnibus ad ipſam villam pertinentibus videlicet agris cultis & incultis, pratis, ſilvis, quantum predicte ville mete continent & ambiunt, addimus inſuper eisdem integritatem fluvii *Sazave* que eſt inter molendinum *Merskowicz*, & dotem eccleſie *Swetlicenſis*, & totam ſilvam, que jacet ſuper littus fluvii predicti, ad tempus vite ipſorum, & nullius alterius libere poſſidendam, & utifruendam. Et poſt ipſorum vite decurſum predicta villa cum curia, & cum omnibus ad ipſam villam pertinentibus ad nullum alium, quam ad nos, & noſtrum monaſterium, omni impedimento, & contradiccione remota integraliter revertentur, item ſi voluerint, poterunt edificare molendinum ſuper fluvium predictum. Ita quod hec omnia, videlicet villa & curia cum omnibus edificiis, fluvio *Sazawa*, & molendino poſt mortem ipſorum duorum, nobis & monaſterio noſtro integraliter remanebunt. Item pro-

(*k*) De turbis diſſidentium Procerum Bohemiæ ac Moraviæ, deque ingenti peſtilencia & inopia frugum ab anno 1316. copioſe agit Chronicon Aulæ Regiæ ſuperiore Tomo ſub finem Partis primæ, initiumque ſecundæ.

promittimus predictis *Marquardo* videlicet, & uxori ſue *Domazlave*, quod poſtquam demonſtraverimus eis metas ville prefate, ſi quis eos in predictis metis impediverit, & eis per hoc in agris, pratis, & ſilvis diminutum fuerit, juſtitia mediante eos tenebimur ab omni homine juris patrocinio tueri, & defenſare. Inhibemus inſuper, & ſub amiſſione ſui juris ſtatuimus, quod non liceat eis, videlicet *Marquardo*, & uxori ſue *Domazlave* predicta bona cuiquam, vel alteri cuicunque vendere, ſine noſtro conſenſu & licencia ſpeciali. Prefatus vero *Marquardus* & uxor ſua *Domazlawa* vice verſa nobis, & poſteris noſtris promiſerunt, quod poſt eorum deceſſum agros predicte curie bene ſeminatos & cultos nobis derelinguant. Quod ſi hoc in vita ſua facere neglexerint, vel mors ipſos ante adventum ſeminum preoccupaverit, ex tunc illi, quibus ipſi ſua bona dimiſerint, tantum pro noſtris agris dabunt de ſeminibus, quantum ſufficere videbitur, & expedire. Ut autem hujusmodi ordinatio ex parte utrorumque, videlicet noſtra & eorum, firma, & certa ſit, & habeatur, & impoſterum obſervetur, preſentes literas conſcribi, & noſtro, noſtrique Conventus ſigillis & munimine fecimus roborari. Hujus igitur ordinationis teſtes ſunt: *Otto de Cunomila. Weslaus de Mankova, Martinus de Mankova, Henech de Dluſyna, Henys de Chluma, Bhle de Smyrſan. Martinus de Zgylma, Trojanus de Morawan, Petrus de Jurſycow, Urbanus de Budyſſova, Kriſapa de Herzmanicz, Bohuslaus de Hoſtatowa.* Datum & actum anno Domini MCCCXVIII. tercio Idus Julii.

XX.

Unio & fraternitas monaſterii in Porta Apoſtolorum facta cum monaſterio in Willemow. dd. in Octava Aſſumptionis Marie Anno 1318.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis feliciter, Amen. Reigeſte memoria, ne proceſſu temporis evaneſcat, & pereat, poni ſolet in litera, & ſcriptorum munimine roborari. Noſcat igitur tam preſens etas, quam in *Chriſto* ſucceſſiva poſteritas, & maxime per literam, que eſt baculus certitudinis, quod nos *Johannes* Divina miſeracione Abbas, totusque Conventus monaſterii de *Porta Apoſtolorum* Ordinis Sancti *Benedicti*, univerſis preſentem paginam inſpecturis ſalutem in eo, qui omnia ſalubriter diſponit, & orbi providet univerſo. Cum omnis res ad perfectam unionem deſideratur, & tanquam bonum ſibi appetit, ſicuti non ſolum a Theologis Doctoribus, verum etiam a gentibus narratur, quorum ſummus Philoſophus ſic dicit; omnis virtus unita magis facit, quam

diſ-

diſperſa, ſic eadem unio inter Religioſos Divina contemplantes, ut tenentur, verius obſervetur, ſtudioſiſſime approbetur, & cum ſcriptum ſit, frater fratrem juvans eſt quaſi civitas inexpugnabilis & munita. Nos igitur notum facimus univerſis, tam preſentibus, quam futuris, quod Religioſorum virorum ſancte conſuetudini inherentes, de totius noſtri Capituli conſenſu, & gratuita voluntate inter nos, & Honorabiles viros Dominum *Jaroslaum* Abbatem, & Conventum Eccleſie Sanctorum Petri & Pauli in *Wilemov* confraternitatem fecimus, & facimus ipſam firmantes, & gratam habentes in his ſcriptis taliter, ut in communem veniat utilitatem, quidquid dicto exhibitum fuerit glorie vel honoris, Ipſos predictos Dominum Abbatem & Conventum, & eorum ſucceſſores ad noſtram recipientes confraternitatem, ut ipſi ſinguli & univerſi & ſemper omnium bonorum, quocunque nomine cenſeantur, ſint mox participes, atque fiant. Omnesque fratres prehabiti monaſterii cauſa ſolacii, & manſionis ad nos venientes omni karitatis, & humanitatis officio pertractentur benivole, noſtris conſiliis, accionibus, prebendis, ſeu quibuscunque ſolatiis, tanquam noſtre domus filii ſe commode ingerentes. Ceterum cum alicujus obitus fratris nobis fuerit nunciatus, in pulſationibus, vigiliis, luminibus, aliisque tanquam in preſencia funebribus ſollempniter impletis, miſſa tonaliter (*l*) dicta ſequenti die tricenarius (*m*) incipiatur ex integro finiendus, in inferioribus vero ordinibus conſtituti, unusquisque ad tria pſalteria tenebitur, converſi quoque ad quinquaginta Pater noſter dicenda omnimodè obligantur. Inſuper, quod abſit, ſi Divina permiſſione aliquod ex monaſteriis prenotatis, quacunque obpreſſione, ſeu deſtruccione foret, ad nichilum, per aliud ipſorum ſecundum facultatem ſuam reformari debet, & relevari, ſicut fuerit opus in ipſius facultatibus. In cujus rei teſtimonium hanc paginam conſcriptam noſtris ſigillis fecimus roborare. (*n*) Actum & datum anno Domini MCCCXVIII. In octava Aſſumpcionis *Marie*.

XXI.

(*l*) Cantando cum modulamine vocis. (*m*) Triginta miſſæ conſequentibus diebus abſolvendæ. (*n*) Sigillum Huſſiticis turbis deleti cœnobii Portæ Apoſtolorum æri inciſum damus.

XXI.

Recognitio, qua Henricus de Luchtemburg diſtrictum Boyanovienſem ab Abbate & Conventu Willemovienſi ad dies vite ſue ſibi traditum fuiſſe fatetur. dd. Prage A. 1329.

Nos *Henricus de Luchtenburk*, fatemur preſencium ſub tenore, publice & proteſtamur, quod a Venerabili viro Domino *Jaroslao* Abbate, *Wſeslao* Priore, *Wenceslao* Prepoſito, *Andrea* Cellario, totoque Conventu fratrum monaſterii in *Wyllemow* Ordinis Sancti *Benedicti* de eorum communi conſenſu, & voluntate diſtrictum *Boyanovienſem* ex toto deſertum, a multis retroactis temporibus penitus incultum ſuſcepimus ad locandum, & ad fructus uberiores reformandum, & hoc voluntate Regia mediante, nec non Honorabilis viri Magiſtri *Ulrici Pragenſis* eccleſie ſcolaſtici, epiſcopatus *Pragenſis* Adminiſtratoris in ſpiritualibus, propria voluntate, Domino *Joanne Pragenſi* epiſcopo per Sedem Apoſtolicam a temporalium, & ſpiritualium adminiſtracione ſuſpenſo, pactis & conditionibus ſubnotatis, videlicet, quod diſtrictus memoratus, cum omnibus villulis ſubſcriptis, videlicet: *Boyanow*, *Polanka*, *Proſſyecz*, *Mozanczie*, *Craſny*, *Bradlo*, *Trauny*, *Trawonecz*, *Hodnyn*, *Mladonow*, *Hradyſcze*, *Chotyczie*, *Hlubkow*, *Lazy*, *Wyrcziegow*, *Cbliny*, *Kowarzow*, *Petyrcow*, *Slanyn*, *Wyſcow*, *Syskowiczе*, *Lutoborziczie*, *Holyn*, *Herzowczie* cum agris cultis, & incultis, rubetis, pratis, paſcuis, & aquarum decurſibus, venacionibus, piſcationibus, quantum mete predictarum villarum ambiunt, & terminantur, univerſis, ſylvis, que vulgariter *Vaworny*, *Maſanecz*, & *Trawny* nuncupantur, cum univerſis nemoribus, in quibus nichil juris, nec communitatis habere volumus, nec debemus, nobis in antea deſerviet, & ſubjacebit, & nulli alteri, ad tempora vite noſtre, & nullius alterius, omni detraccione detruncata, & abjecta. Habebunt igitur predicti Domini in ipſo diſtrictu unam villam *Crziſſanowicz* nuncupatam, in qua ſervi eorum reſidebunt, cuſtodiendo ſilvas, & univerſa nemora memorata, atque ſuos piſcatores, artem piſcatoriam exercentes in flumine *Camenycze*, in eo libere & ſecure eisdem Dominis deſerviendo. Item quodſi metallum cujuscunque generis in ipſo Diſtrictu inventum fuerit, ad ipſos, tanquam ad Patronos, veros Dominos, & heredes debito ordine pertinebit. Si vero, quod abſit, predicta omnia, que ſtatuta ſunt, & ordinata in uno, vel in pluribus, nos violaremus, ex tunc ipſo facto jure noſtro, privilegio nobis conceſ-

ceſſo deinceps minime valituro, predictaque bona cum omnibus ſuis juribus & villis, ad ipſos Dominos libere revertentur, nullo nobis jure canonico, vel civili, ſive alio quouis jure in contrarium valituro. Curia etiam, ſi informata fuerit per nos in his bonis, poſt finem vite noſtre cum omnibus animalibus cujuscunque generis, & ſeminibus eſtivalibus, & yemalibus ad monaſterium libere revertentur. Ceterum quando nos viam carnis univerſe migrare contigerit, quod omnibus eſt inevitabile, tunc diſtrictus antedictus cum omnibus villis, juribus, & pertinenciis univerſis ad prefatos Dominos, & ad monaſterium predictum redire debet, omnibus contradiccionibus, cavillacionibus, dolo, ac fraudibus omnibus & ſingulis procul motis, & abjectis. Nec alicui noſtrorum filiorum, amicorum, & conſanguineorum ſive aliorum quorumlibet, & cujuscunque conditionis, ſtatus, aut preeminencie exiſtant, in dicto diſtrictu ſive bonis dictarum literarum nobis inde conceſſarum vigore, & robore jus competat, ſed pocius ipſas literas a Dominis ſepe dictis conceſſas, nobis decedentibus volumus fore nullius momenti ipſo facto, & vigoris. In cujus rei teſtimonium, & robur perpetuo valiturum, ſigillum noſtrum una cum ſigillis Nobilium virorum, & Dominorum *Jeſconis de Cblum* dicti de *Sternbercb*, *Hynconis* dicti *Kruſſina*, *Remundi de Koſtomlat*, *Johannis* dicti *Kokot*, & *Mſtislai* dicti *Rakuſſicz* ad peticionem noſtram ſunt appenſa. Datum *Pragæ* anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo nono.

XXII.

Literæ Emphytevticæ, quibus Abbas et Conventus Willemovienſis Benedicto molendinatori molendinum ſub villa Mladoſicz ſub penſione annua tradunt dd. VIII. Idus Auguſti A. 1339.

Nos *Petrus* miſeracione Divina Abbas, & *Sobyechardus* Prior, *Petrus* Prepoſitus, totusque Conventus monaſterii in *Wyllemow*, Ordinis Sancti *Benedicti*, Notum facimus univerſis, preſencium noticiam habituris; quod nos de aſſenſu unanimi fratrum totius noſtri Capitoli molendinum ſub villa *Mladocicz* ſitum, cum rubetis, que pro molendino relicta ſunt, & campis ad ipſum de jure ſpectantibus, atque aliis juribus ſuis, *Benedicto* molendinatori, & ſue uxori *Bene*, *Petro*que privigno ſuo contulimus, aſſignavimus ſub jure emphytevtico, quod *Purchrecht* dicitur, pactis, & condicionibus inferius ſubnotatis, videlicet, quod de predicto molendino ſub annua penſione unam marcam gravem, triginta duos groſ-

ſos in feſto Sancti *Georgii*, & triginta duos in die Beati *Galli*, a feſto Sancti *Georgii* proxime affuturo per annum incipiendo, cuncta negligencia excluſa, ſingulis annis perſolvant. Item in die Natalis Domini pro honere duos bonos pullos, & unam ſimilam, in feſto Paſche ſexaginta ova, & unum bonum agnellum anno quolibet ſolvere non omittant. Si vero berna Regalis edicta fuerit, tunc triginta duos groſſos pro berna nobis perſolvent, de prima autem berna a recepcione preſencium ipſos liberos fore volumus, & abſolutos. Hys itaque perſolutis, ut preſcriptum eſt, ad nullas alias exactiones, quocunque modo ex parte monaſterii evenerint, nobis erunt obligati. Inſuper volumus, ut prefati a colonis ville ante dicte non impediantur, quando pecora, ſive pecuda ſua generalem ad eorum gregem paſcendum jungere voluerint, absque eorum dampno, & gravamine, ſic tamen, ut jura paſtorum cum ceteris hominibus ſolvere non omittant. Ad horum igitur omnium robur firmius evidenciamque lucidiorem preſentes fieri, & ſigillorum noſtrorum fecimus muniimine roborari. Teſtes eciam hujus ordinacionis ſunt *Michael de Morawan*, *Modlibock de Herzmanicz*, *Thomas de Gyenycow*, *Hodyslaus de Ronow*, & alii quam plures fide digni. Datum & actum anno Domini milleſimo trecenteſimo nono, VIII. Idus *Auguſti*.

XXIII.

Carolus de Aurcicz fatetur ſibi tres laneos liberos in villa Aurcicz a Petro Abbate Willemovienſi pro ſervitiis exhibendis ad dies tantum vitæ ſuæ conceſſos fuiſſe dd. Brunæ III. Calend. Maji anno 1340. Habetur excuſum Tomo IV. Monumentorum meorum p. 302.

XXIV.

Joannes Rex Bohemiæ concedit monaſterio Willemovienſi, ut omnes ſine ſolutione thelonei debiti tranſeuntes per Abbatem ubique arreſtari, et ad ſolutionem cogi poſſint. dd. Pragæ feria quarta infra Octavas Epiphaniæ Anno 1342.

Joannes Dei gracia *Boemie* Rex, ac *Lucemburgenſis* Comes; univerſis, preſentes literas inſpecturis ſalutem, & omne bonum. Cum Devotorum noſtrorum Abbatis, & Conventus monaſterii in *Willemow* querela noſtris inſonuit auribus, qualiter ſepius nonnulli ſolutionem Theolonei, eis per noſtros predeceſſores, & nos conceſſi, ac eciam de jure eis a multis retroactis temporibus debiti, cum violencia, & frivole

per

per bona eorum transeuntes, ſolvere non curarunt, & nos, prout decet, volumus in hac parte de ſalutari remedio providere, memoratis Abbati, & Conventui monaſterii in *Willemow* ante dicti, plenam damus, & concedimus poteſtatem, omnes & ſingulos, absque theolonei conſueti ſolutione, ut premittitur, ſic frivole transeuntes, in Civitatibus, munitionibus, caſtris, & locis, in quibus deprehenſi in dicto noſtro Regno fuerint, ad ſatisfaccionem condignam & debitam arreſtandi. Hortantes omnes & ſingulos Nobiles, Judices, & Cives, quibus preſentes exhibite fuerint, attente, ut circa executionem dicte noſtre ordinacionis, ut premiſſum eſt ſuperius, prefatis Abbati, & Conventui, ac ipſorum nunciis vel officialibus, quociescunque, vel quandocunque eis oportunum fuerit, prout emenda hujusmodi in aliis literis noſtris continetur, plenius preſtare, & miniſtrare debeant auxilium noſtro nomine, & juvamen. Harum noſtrarum teſtimonio literarum. Datum *Prage* feria quarta infra Octavas *Epypbanie* Domini, Anno Nativitatis ejusdem MCCCXLII.

XXV.

Unio et Confraternitas, inter monaſterium Willemovienſe, et S. Joannis in Inſula, facta, dd. in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ An. 1348.

In Nomine Sancte & Individue Trinitatis feliciter, Amen.

Rei geſte memoria, ne proceſſu temporis evaneſcat, & pereat, poni ſolet in litera, & ſcriptorum munimine roborari. Noſcat igitur tam preſens etas, quam in Chriſto ſucceſſiva poſteritas, & maxime per literam, que eſt baculus certitudinis; quod Nos *Bobuslaus* Divina providentia Abbas, totusque Conventus monaſterii Sancti *Johannis* in Inſula Ordinis Sancti *Benedicti*, univerſis preſentem literam inſpecturis ſalutem in eo, qui omnia ſalubriter diſponit, & orbi providet univerſo. Cum omnis res ad perfectam unionem deſiderat, & tanquam bonum ſibi appetit, ſicuti non ſolum a Theologis Doctoribus, verum eciam a gentibus narratur, quorum ſummus Philoſophus ſic dicit; omnis virtus in ſe unita, magis facit, quam diſperſa; ſic eadem unio inter Religioſos Divina contemplantes, ut tenentur, verius obſervetur, ſtudioſiſſime approbetur. Et cum ſcriptum ſit, frater fratrem juvans eſt quaſi Civitas inexpugnabilis & munita. Nos igitur notum facimus univerſis, tam preſentibus, quam futuris, quod Religioſorum virorum ſancte conſuetudini inherentes, de totius noſtri Capituli conſenſu & gratuita voluntate in-

ter nos & Honorabiles Viros Dominum *Andream* Abbatem, & Conventum eccleſie Sanctorum *Petri* & *Pauli* in *Wyllemov* confraternitatem fecimus ipſam firmantes, & gratam habentes in his ſcriptis, taliter, ut in communem veniat utilitatem, quidquid Deo exhibitum fuerit glorie vel honoris, Ipſos predictos Dominum Abbatem & Conventum, & eorum ſucceſſores ad noſtram recipientes Confraternitatem, ut ipſi ſinguli, & univerſi omnium bonorum, quocunque nomine cenſeantur, ſint in Chriſto participes, atque fiant, omnesque fratres prehabiti monaſterii cauſa ſolacii & manſionis ad nos venientes, omni karitatis, & humanitatis officio pertractentur benevole, noſtris conſiliis, accionibus, prebendis, tunicis, calciamentis, ſeu amictu, aut quibuscunque ſolaciis, tanquam noſtre domus filii ſe omnimode ingerentes. Ceterum, cum alicujus obitus fratris, ſacerdotisque nobis fuerit nunciatus, in pulſationibus, vigiliis, luminibus, aliisque, tanquam in preſencia fuerimus, ſollempniter impletis, miſſa tonaliter dicta, ſequenti vero die tricenarius incipiatur ex integro finiendus. In Inferioribus vero ordinibus conſtituti, videlicet Dyacones, & Subdyacones, unusquisque ad tria pſalteria dicenda obligatur, Converſi etiam ad quinquaginta *Pater noſter* dicenda omnimode teneantur, denique Ordo ſacerdotum pro ipſis converſis unus quivis per unam Miſſam dicere teneatur, & debebit. In cujus rei teſtimonium noſtrorum ſigillorum robore, videlicet Abbacie & Conventus preſentes fecimus conſignare. Datum & actum Anno Domini MCCCXLVIII. Vigilia Sancti *Johannis* Baptiſte Domini.

XXVI.

Confirmatio Archiepiſcopi Pragenſis Arneſti ſuper donatione trium ſexagenarum groſſorum a Nobili Viro Petro de Slethin altari S. Catharinæ in monaſterio Willemovienſi facta. dd. Pragæ 2. Septembris Anno 13 - - - (*a*)

Nos *Arneſtus* Dei & Apoſtolice Sedis gracia Sancte *Pragenſis* Eccleſie Archi-Epiſcopus, ad univerſorum preſencium inſpectorum deducimus noticiam; Quod diſcretus & honeſtus vir *Petrus de Slethyn* coram nobis conſtitutus perſonaliter dicens; quod ob ſpecialem devocionem, quam

(*a*) Subjicimus hoc diploma priori, quod ſub eodem Andrea Abbate Willemovienſi datum eſt, in quo quidem nonniſi numeri MCCC ſuperſunt.

quam ad monaſterium *Willemovienſe* noſcitur obtinere, ac propter divini cultus augmentum, quem ibidem affectat augeri, nec non ob remedium, & ſalutem animarum ſuorum predeceſſorum, inibi & alibi quieſcencium, & ſepultorum, trium marcarum redditus de bonis ſuis ſibi a Deo collatis, & largitis, accedente ad hoc connivencia & conſenſu Domine conjugis, ac heredum ſuorum, altari Sancte *Katharine* Virginis in eodem monaſterio ſito, & exſtructo, pro fratrum ejusdem monaſterii, ſeu Conventus pitancia, annis ſingulis ſecundum ordinacionem & diſpoſitionem ejusdem *Petri* futuris ſeu perpetuis temporibus facienda, liberaliter, ac ſpontanea voluntate contulit, & donavit. Verum tamen veriſimiliter timens & formidans, ne predicta ſua donacio, & diſpoſicio poſſet, & poſſit per Abbatem modernum, ſcilicet fratrem *Andream* monaſterii ſupradicti in aliquo immutari, vel eciam violari, & eorundem Abbatum uſibus ſucceſſivis temporibus applicari. Supplicavit nobis idem *Petrus* humiliter & devote, ut predictam donacionem trium ſexagenarum in redditibus, ut predicitur, dicto monaſterio, & predicto ipſius altari factam, ac diſpoſitionem ejusdem gratam & ratam habere, ipſamque ratificare, & confirmare auctoritate ordinaria deberemus. Nos predicti *Petri* petitionem favorabilem & piam, ac juri, & racioni conſonam reputantes, ipſam ad exaudicionis graciam duximus perducendam, memoratam donacionem ac diſpoſitionem per dictum *Petrum* dicto monaſterio factas, auctoritate predicta preſentis ſcripti patrocinio roborantes. Ut autem eadem donacio & diſpoſicio eo firmius, & inviolabiliter obſervetur, contra violatores & immutatores donacionis & diſpoſitionis predicte hoc modo ducimus & duximus providendum; nam in predictum fratrem *Andream* Abbatem predicti monaſterii, qui ſe noſtris ſentenciis, & precipue excommunicacionis voluntarie & ſponte ſubmiſit, eandem excommunicacionis ſententiam, ſi contra predictas, ſeu donacionem & diſpoſitionem facere preſumeret, vel venire, canonica monicione premiſſa, proferimus in his ſcriptis. Si autem eo cedente, vel decedente aliquis ſucceſſorum ſuorum ſimiliter contra premiſſa faceret, vel veniret, & monitus non reſipiſceret, nec easdem donacionem & diſpoſitionem in ſtatum priſtinum reformaret, & reduceret, quod ex tunc per Archiepiſcopum *Pragenſem*, qui tunc pro tempore fuerit, hujusmodi ſucceſſor Abbatis predicti excommunicationis ſentencia valeat innodari. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuo valiturum preſentes literas fieri fecimus, ipſasque ſigillorum noſtrorum ap-

appenſione communiri. Datum Prage anno Domini milleſimo trecenteſimo (*b*)--- ſecunda menſis *Septembris*.

XXVII.

Reſtitutio montis Obeb cum agris, ſilvis, promontoriis &c. adjacentibus a Petro de Pabyenicz et ejus fratre facta monaſterio Willemovienſi. dd. Wyldſtein in craſtino Beati Galli A. 1348.

Nos *Petrus* de *Pabyenicz*, & *Ulricus* de *Wyldſtein* fratres germani, (*c*) ad univerſorum notitiam preſentibus volumus pervenire. Quod nos diligenti deliberatione nobiscum & amicis noſtris prehabita, volentes animabus parentum noſtrorum, atque noſtris nunc & in futurum Deo dante de remedio oportuno providere, honorabilibus Religioſis, ac Deo devotis viris Abbati, totoque Conventui monaſterii in *Willemow* Ordinis Sancti *Benedicti Pragenſis* Dioceſis, ac ipſi monaſterio montem dictum *Obeb*, cum collibus, promontoriis, ſilvis, rubetis, agris cultis, & incultis, quem quidem montem, rubeta, ſilvas, colles, promontoria, agros cultos, & incultos ad pretactum montem pertinencia, que a predictis Honorabilibus & Religioſis viris, ac monaſterio ipſorum in *Willemow* tempore, & poſt mortem nobilis Domine *Swatoche* tenuimus, poſſedimus, pacifice & quiete hucusque viceverſa, eisdem viris, ac ipſorum monaſterio damus, reſignamus, reſtituimus, aſſignamus, & preſentibus condeſcendimus, renunciantes pro nobis, noſtris heredibus, ac ſucceſſoribus omnibus privilegiis, literis, juribus quibuscunque, & munimentis nobis competentibus, vel competituris in futurum, quem montem, ſilvas, colles, promontoria, rubeta, agros cultos & incultos a dicto

(*b*) Humore aut alio caſu corroſa iſthic membrana, ut quo anno ſæculi XIV. adornata fuerit, haud dignoſci poſſit. (*c*) E quo conjice Pabyenicios noſtros hodie Woraczicz-kios dictos & Wildſteinios ejusdem fuiſſe ſtirpis. Sigilla avulſa ſunt, ut cognoſcere non liceat, an unum eundemque gentilitium clypeum uterque geſſerit, nam hoc tempore generatim rigor ille heraldicæ apud nos inductus necdum fuit, ut jam deprehenderim patrem a filiis & fratres inter ſe clypeorum varietate differre. Ceterum Udalricus iſte diſcernendus ab altero ad annum 1315. memorato Adminiſtratore epiſcopatus Pragenſis, qui demum Sedlicii Ordinem Ciſtercienſem profeſſus ejusdem cœnobii Abbas electus atque jam anno 1334, ut memorat Chronicon Au-

to monaſterio, ac Religioſo viro *Petro* Abbate, & Conventu ipſius monaſterii, ac prenominato ipſorum monaſterio obtinuimus, habuimus, vel heredes & ſucceſſores noſtri habuerunt, aut habent, quocunque nomine cenſeri dicuntur, ex nunc, prout ex tunc eisdem pro nobis, heredibus, & ſucceſſoribus noſtris renuncciamus, ac pro nullo reputamus, imo caſſas, & omnino irritas, & inanes habemus, ac habere preſentibus volumus, & nullius robur firmitatis habere in his ſcriptis approbamus, penitus, ac omnino renuncciamus etiam omni Juris auxilio, tam Canonis, quam legis, que contra promiſſa, vel quodlibet promiſſorum nobis heredibus, ac ſucceſſoribus noſtris nunc, & in futurum a data preſentium quoquo modo poſſent ſuffragari. Et ſi nos, heredes, & ſucceſſores noſtri, quod abſit, contra premiſſa aliquid attemptaremus, ex tunc contra honorem noſtrum factum fore volumus, & reputari debemus. Datum in *Wyldſtein* anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo, in craſtino Beati *Galli* Confeſſoris. Teſtes hujus ſunt *Chotko* dictus de *Rzyczano*, *Otto* de *Cunemila*, *Michael* de *Morawan* milites, & *Modlibock* cliens de *Herzmanicz* ad premiſſa vocati & rogati. In cujus rei teſtimonium, & in majorem evidenciam ſigilla noſtra preſentibus ſunt appenſa.

XXVIII.

Sententia definitiva lata ab Henrico Canonico & cuſtode eccleſie Olomucenſis in cauſa detentionis villæ Sczepanow & illatorum damnorum pro Andrea Abbate Willemovienſi contra Zdeslaum de Feſczina dd. Pragæ die XIII. Martii Anno 1349. Habetur excuſum Tomo IV. Monum. meorum p. 321.

XXIX.

Jeſco de Mrchogyed, et Modlibock de Herzmanicz fatentur ſe vendidiſſe unam Curiam in Herzmanicz Chriſtano pro X. ſexagenis groſſorum Pragenſium, quod bonum Herzmanicz a Monaſterio Willemovienſi ad amborum dies vitæ fuit traditum dd. Herzmanicz in die Sancti Jacobi A. 1350.

Ego

Aulæ Regiæ, mortuus fuit. Tam Paprocius igitur, quam Frankius erravere, cum Hrabiſſio filios ſtatuere Ulricum adminiſtratorem Epiſcopatus Pragenſis & Pabienum, ex his enim ſatis teſtatum eſt filius ejus fuiſſe Petrum, & Ulricum de Wildſtein.

Ego *Jeſco de Mrchogyed*, nec non *Modlibocb* de *Herzmanicz* frater meus recognoſcimus tenore preſencium univerſis publice, & proteſtamur, nos vendidiſſe unam Curiam ibidem in *Herzmanicz* cum agris ad ipſam pertinentibus, atque medietatem Rubotarum, que vulgariter Strany nuncupantur, ſub agris *Modlibochonis Willemowienſis*, usque ad decurſum aque, qui decurſus vulgariter *Struba* vocatur, cum omni jure & libertate ad ipſam curiam ſpectantibus, viro diſcreto & honeſto *Cryſtano*, & ſue Conthorali *Maruſſie* pro decem ſexagenis groſſorum Pragenſium denariorum, ſub eadem forma, jure, & libertate, prout nos ipſa bona, videlicet *Herzmanicz* & *Merchogyed* a monaſterio *Wyllemovienſi* tenemus, & poſſidemus ad tempora noſtre amborum vite, libere & absque onere cujuslibet cenſus, vel alio quovis poſſidendam, quam curiam ipſis libertare debemus cum noſtra pecunia ab ipſo homine, qui eam prius ſub cenſu poſſidebat, nec non ſine quovis ipſorum dampno a quolibet homine disbrigare, ſecundum id jus, quemadmodum ipſa bona a dicto monaſterio poſſidemus, quam ipſam disbrigacionem quilibet noſtrum cum uno filio, ſcilicet ego predictus *Jeſſco* cum filio *Radzlao de Habra*, & ego *Modlibob* cum filio meo *Jeſſcone de Herzmanicz* omnes in ſolidum ſub fide bona, ſive qualibet occaſione fideliter facere promittentes. Preterea ſi predictus *Criſtanus* cum ſua uxore predicta ob quamcunque cauſam ipſam curiam vendere voluerint, & nos eam aput eos emere non poſſemus, poterunt alteri cuicunque bono homini equali ſub eodem jure ſicut a nobis emerunt, vendere. Inſuper ſi predictus *Criſtanus* cum uxore ſua predicta forſan prius, quam nos decederent, tunc ipſam curiam cum omnibus bonis ſuis conferre & donare poſſunt cuicunque amico ſuo, ſine noſtro quolibet impedimento, qui eandem curiam ſimiliter ſicut & ipſi ſolummodo ad tempora vite noſtre etiam libere poſſidebunt, & vendent, & ſi placet, eciam aliis amicis condonabunt, poſt obitum vero noſtrum amborum predictus *Criſtanus*, aut ſui ſucceſſores ipſam curiam tali jure poſſidebunt, ſicut ceteri incole ville memorate. Teſtes vero venditionis, & disbrigationis ipſius curie, quos propter teſtimonium ſuper hec omnia, que in hac litera habentur, rogavimus, ſunt honeſti Viri & Domini, videlicet Dominus *Syeniſſius de Cblum*, Dominus *Jaroſſius* dictus *Laczenbock*, *Petrus* dictus *Sczeczin*, & quia propria ſigilla habere non conſuevimus, eapropter ipſis preſentibus dedimus ſigilla jam dictorum teſtium, roborando. Datum in *Herzmanicz* anno Domini MCCCL. in die Sancti Jacobi Apoſtoli glorioſi.

XXX.

XXX.

Frivilegium Caroli Romanorum & Boemie Regis datum Monaſterii Willemovienſis Oppidis, Willemow, & Habern ad habendam ſingulis ſeptimanis unam diem forenſem pro vendendis mercibus. dd. Pragæ Idibus Januarii anno 1352.

Karolus Dei Gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & *Boemie* Rex; Omnibus in perpetuum. Svadet hoc nobis innata benignitas, ut Deo dicatarum perſonarum commodis ampliandis eo ſolertius debeamus intendere, quo velimus, ut eum, per quem principamur in terris, pro nobis intimius interpellent. Sane Religioſos... Abbatem & Conventum monaſterii in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti Pragenſis* Dyoceſis devotos noſtros Dilectos ſub Religionis habitu divinis laudibus deputatos, ut eo liberius Altiſſimo famulari, ipſius cultui vacare valeant, ſpecialibus graciis & favoribus reſpicere cupientes, prefatis.. Abbati & Conventui de liberalitate Regia, certaque noſtra ſciençia damus, concedimus, & virtute preſencium indulgemus, ut in oppido ipſorum *Willemow* perpetuis temporibus feria tercia cujuslibet ſeptimane forum, ſeu dies forenſis eſſe debeat, cum omnibus juribus, libertatibus, utilitatibus, & conſuetudinibus, prout in locis, & opidis noſtris Regalibus hujusmodi forum ſeu dies forenſis ſemper conſuevit obſervari; Nec non quod villa ipſorum, *Habern* vulgariter nuncupata, ex nunc in antea, in opidum tranſeat, & locus opidanus eſſe debeat, & cenſeri. Quodque in eadem villa ſeu opido qualibet feria ſexta ſingulis ſeptimanis forum, ſeu dies forenſis ſimiliter eſſe debeat, perpetuis temporibus duraturum, cum omnibus juribus, libertatibus, utilitatibus, & honoribus, ut premittitur, quibus loca ſeu opida noſtra regalia gaudent, & fruuntur, & quod pro emendis & vendendis rebus ſeu mercibus quibuscunque, quibus homines indigent, & pro ſuis neceſſitatibus uti ſolent, predicta opida & loca Willemow & *Habern* licite poſſint frequentari. Mandantes firmiter, & diſtricte Capitaneis, Camerariis, Sub-Camerariis, Burgravio in *Leuchtemburg*, ceterisque Nobilibus Officialibus & Subditis noſtris per Regnum *Boemie* conſtitutis, qui nunc ſunt, aut fuerint pro tempore, quatenus antedictos Abbatem & Conventum in prefata gracia nullatenus impediant, perturbent, aut moleſtent, prout indignacionem Regiam, & penam graviſſimam pro motu proprio infligendam voluerint evitare. Preſentium ſub noſtre Majeſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Datum

Prage anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo. Indiccione quinta, ydus *Januarii*, Regnorum noſtrorum anno ſexto.

XXXI.

Bartoſſius de Horzeslavicz vendit, & in emphyteuſin tradit quibusdam ſibi ſubditis domos cum agris in villa Horzeslawicz Abbatis Willemovienſis. dd. Horzeslawicz in die Sancti Georgii A. 1357.

Ego *Bartoſſius* dictus de *Horzeslavicz* tenore preſencium fateor univerſis, quod hominibus meis *Welislao*, *Swankoni*, *Mikſoni*, & Succeſſoribus eorum ad me ſolummodo ſpectantibus, in eadem villa *Horzeslavicz* vendidi reſidencias eorum, domos cum agris duorum laneorum, cum illa omni libertate, ſeu voluntate, qua ceteri incole ejusdem ville utuntur, pro centum groſſis *Pragenſium* groſſorum in jure emphyteutico, quod *Purchrecht* dicitur, quo jure homines predicti prius in dicta villa caruerunt, de cetero perpetue ſub tali cenſu tenendos habendos, & poſſidendos, videlicet quod de laneo triginta duos groſſos in feſto S. *Georgii*, totidem in feſto Sancti *Galli* mihi & ſucceſſoribus meis ſingulis annis debeant cenſurare, & quatuor pullos etiam ſingulis annis ſtatim cum cenſu Sancti *Galli*, de alia vero ſolucione, & omnibus laboribus, ſcilicet meſſe, falcacione pratorum, cultura agrorum, & aliis quibuscunque laboribus liberi permanentes, & exempti, preter ſteuram Regiam, cum in tota terra *Boemie* fuerit indicta, tunc ſive Dominus Abbas Willemovienſis me vel poſteros meos ad ſummam ſeu pactam cum collectoribus ordinatam ſuſceperit, ſive non, predicti homines, & ſucceſſores eorum datis mihi vel poſteris meis de laneo per viginti ſex groſſos, a ſteurariis ſecuri permanebunt. In cujus vendicionis & ordinacionis teſtimonium hanc literam ipſis contuli meo ſigillo, & Domini *Hanconis de Cziboſcz* evidenciam, & evidencius robur & teſtimonium. Datum in *Horzeslawicz* Anno Domini MCCCLVII. in die Sancti *Gregorii* Pape.

XXXII.

Peſſico de Rozbowicz promittit, quod judicium in villa Maliczin a monaſterio Willemovienſi emptum nulli nobili, ſed ruſtico aut villano cum aſſenſu Domini Abbatis vendere velit. dd. In die Sancti Viti A. 1358.

No-

Noverint universi presentes & futuri, presentem literam inspecturi, quod ego *Pessico* dictus de *Rozbowicz*, cum emissem Judicium in villa *Maliczin*, aput *Welkonem* & *Marzanum* fratrem ipsius, verum quia ipsa bona sive villa jam dicta ad Dominum Abbatem, sive ad monasterium *Willemoviense* jure hereditario ac Dominii dinoscitur pertinere, idcirco absque eorum voluntate, & expresso consensu dictum judicium emere minime valuissem, prout in litera supra dicto judicio confecta plenius est expressum, me itaque Domino *Andree* Abbati, & suo Conventui monasterii Willemoviensis predicti cum instantia supplicante, quatenus ipsi contractui sive foro pro ipso Judicio inter me, & dictos *Welkonem* & *Marzanum* facto suum dignarentur prebere consensum. Ipse Dominus Abbas cum suo Conventu tali condicione interposita suum prebuerunt consensum pariter & assensum, videlicet, quod nec mihi, nec eciam successoribus meis amodo dictum judicium cuicunque Wladikoni sive Nobili vendere, ad manum validam deducere sub quacunque occasione liceret. Ego itaque *Pessico* prius nominatus sub puritate bone fidei, & absque omni mala fraude spondeo, & promitto, pro me, & succ-essoribus meis, quod judicium prescriptum amodo nulli nobili sive Wladikoni, aut cuicunque potestati vendere debeo, aut obligare, sed si me, vel heredes sive successores meos vendere, sive obligare contigerit, ex quibuscunque causis judicium memoratum nulli alteri, nisi rustico, sive bono villano vendere debeo, & hoc de licencia & consensu Dominorum predictorum Abbatis videlicet, &Conventus speciali, quod si secus facere ego, vel successores mei quoquo modo, sive attemptare presumpserimus, ex tunc totum jus, quod nobis in sepe dicto judicio competit, sive posset competere, per presentem literam nos profitemur amisisse, literamque sive privilegium monasterio predicto, super dicto judicio confectam, deinceps nobis minime valituram. In cujus rei testimonium, evidenciamque clariorem presentem literam fieri feci, & sigillo strenui militis Domini *Hermanni* dicti de *Smrczan* appensione jussi communiri. Et ego *Hermannus* predictus de *Smrczan* ad petitionem *Pessiconis* presenti litere sigillum meum duxi appendendum in testimonium omnium premissorum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo in die Sancti *Viti*.

XXXIII.

Sobiebrd laycus & frater monaſterii Willemovienſis emit a Thomiſſio & Johanne de Wieczemilicz, in villa Lbotka tres ſexagenas annui redditus & monaſterio eidem Willemovienſi appropriavit. dd. Willemow die translationis Sancti Wenceslai A. 1360.

Ad habendam memoriam rerum rite racionabiliterque geſtarum; propter oblivionem, que faciliter ducit in errorem, opus eſt ea ſcripturarum teſtimonio fideliter roborari. Nos igitur *Thomiſſius* & *Johannes* germani de *Wieczemilicz*, & *Benco* filius ejusdem *Thomiſſii* notum facimus univerſis, tam preſentibus, quam futuris preſentem paginam inſpecturis. Quod Religioſus vir *Sobiebrd* laycus, & frater monaſterii in *Wyllemow* Ordinis Sancti *Benedicti* Diva informacione eruditus ob remedium anime ſue, & ob reverenciam Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum jam in celo triumphancium cum bona deliberacione, & Reverendi in *Chriſto* Viri Domini *Andree* pro tunc Abbatis monaſterii ſupra dicti, nec non fratrum ſuorum, ſeu Conventus unanimi conſilio tres ſexagenas annui redditus in villa noſtra, que vulgariter *Lbotka* dicitur, quamlibet ſexagenam per ſexaginta groſſos computando, monaſterio Willemovienſi, & pro Conventu fratrum ejusdem monaſterii rite & rationabiliter cum jure perpetuo ſeu hereditario aput nos pro quadraginta ſex ſexagenis groſſorum denariorum *Pragenſium*, ſponte, noſtra voluntate bona, emit & feliciter comparavit, cum agris cultis, & incultis, ſilvis, rubetis, ortis, pomeriis, pratis, paſcuis, fluviis, aquis, aquarumque decurſibus, vallibus, collibus, montibus, libertatibus, utilitatibus, juribus, aucupacionibus, venacionibus, piſcationibus, proventibus exinde provenientibus, metis, inter quas predicti agri ſunt circumferencialiter ſituati, de quibus ſingulis, & omnibus annis predictus cenſus debet derivari monaſterio, & conventui ſupradicto, nec non cum omni dominio, & poteſtate, prout nos tenuimus, dum adhuc ad nos pertinebat, ac pertinenciis univerſis, ut per Dominum Abbatem & Conventum, ſeu fratres monaſterii memorati omnia & ſingula, que ſuperius ſunt expreſſa, & eorum ſucceſſores ſint tenenda, regenda, utifruenda pacifice, & perpetue poſſidenda. Nihilominus promittimus eis ſub puritate noſtre fidei, & honoris, ipſos fratres coenobii ſupradicti, & homines eis per nos deputatos in cenſu jam dicto nunquam impedire, ſeu moleſtare verbis, aut factis, ſed pocius defenſare volumus, in quantum

valemus, ipſos & tueri, cupientes eciam pretactum monaſterium, & Conventum ejusdem monaſterii in hac parte reddere certiorem, tutores, qui in vulgo Sprawczie dicuntur, videlicet *Modlibobonem de Herzmanicz*, *Zrziſſonem* dictum *Jeſſek*, filium Domini *Othonis de Cunamyſy*, & *Swatoborium* heredem quondam *Othoſſconis* de *Buſowna* duximus ſtatuendos, & obligandos racione veri pignoris, pariter & locandos. Nos vero *Modlibob Zrzyſs*, dictus *Jeſſek*, & *Swatoborius* prelibati ad inſtanciam & peticionem nobilium virorum *Thomyſſy Jeſconis*, & *Sdenyconis* ſupra dictorum promittimus bona fide, & in ſolidum manu conjuncta, ſine dolo, ſepe dicta bona a quolibet homine ſive perſona disbrigare, & fideliter defenſare, prouti jus terre exigit, & annum ultra. Quodſi non fecerimus, vel facere non poterimus, quod abſit, extunc pretactas quadraginta ſex ſexagenas groſſorum denariorum *Pragenſium* in monaſterium *Willemovienſe* tenemur reportare, & eas ibi Domino Abbati, & Conventui monaſterii memorati tenebimur numeratas preſentare, occaſione qualibet non obſtante; aut ſtatim per ipſum Dominum Abbatem ſive ſuum Conventum moniti, vel non moniti obſtagium debitum & conſuetum in *Czaslaviam* ad hoſpitem nobis per memoratum Dominum Abbatem, & Conventum monaſterii nominati deputatum, quilibet noſtrum cum ſervo, & duobus equis tenebimur ſubintrare, & abinde nullatenus exire debemus, donec quadraginta ſex ſexagenas ſepe dictas groſſorum *Pragenſium* monaſterio ſepe dicto & Conventui perſolvemus integraliter, & complete. Elapſis autem quatuordecim diebus predicta pecunia non perſoluta, damus, & concedimus plenam & liberam poteſtatem monaſterio, & Domino Abbati, nec non fratribus ſepius nominatis ſepe dictas pecunias inter Chriſtianos vel Judeos conquirere, & recipere, omnium noſtrum ſupra dampnum, & nos ſemper in obſtagio manentes, & manere debemus, donec capitalis pecunia, videlicet quadraginta ſex ſexagene cum dampnis & uſuris, quocunque modo deſuper contractis, quidquid Dominus Abbas, & Conventus monaſterii ſupra dicti dictaverit, ſine ipſorum corporali juramento, & calumpnia de veritate dicenda, per nos, & ſuperſtites noſtros, fuerit totaliter perſoluta, & ſi quid contra tenorem preſentem opponere voluerimus, fatemur fidem noſtram & honorem publice violaſſe. In quorum omnium evidenciam & certitudinem pleniorem ſigillorum noſtrorum, videlicet *Thomiſſii*, *Jeſconis*, *Sdenyconis*, *Modlibochonis*, *Zrziſſonis* dicti *Jeſſek*, & *Swatoborii* ſupradictorum preſentem literam juſſimus appenſione muniri, actum & datum

in

in *Wilemow* Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, in Translatione Sancti Wenceslai Martyris glorioſi.

XXXIV.

Thomiſſius & Jeſcho fratres de Wyeczemilicz vendunt Otticoni ex oppido Willemow cenſum unius ſexagenæ groſſorum ex agris & area provenientem pretio 15 ſexagenarum groſſorum dd. Wylemow in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ anno 1361.

Nos *Thomiſſius* & *Jeſcho* fratres, ac *Sdenco* filius ipſius *Thomiſſii* clientes de *Wyeczemilicz* notum fore volumus univerſis, quod nos de unanimi omnium noſtrorum voluntate & conſenſu cenſum unius ſexagene groſſorum denariorum *Pragenſis* monete, quem in agris, ſeu hereditate quadraginta jugerum & area, quas poſſidet, & excolit *Przeſlan* laycus in villa *Buſſowna* nuncupata, ad nos jure veri dominii, ac hereditarie pertinentem Diſcreto Viro *Ottyconi* (*a*) de oppido Wyllemow, ac ſucceſſoribus ipſius pro quindecim ſexagenis groſſorum denariorum monete ſupra dicte hereditarie, ac jure perpetuo vendidimus cum omnibus fructibus, & utifruendum, ac de eodem, tanquam de re propria, ac dominio perpetuo diſponendum pro ipſorum libito voluntatis taliter, prout empcio talis & vendicio more Regni *Bohemie* fieri conſuevit. Quas quidem pecunias ab ipſo *Ottycone* integraliter & in toto per ipſum nobis numeratas fatemur recepiſſe, ſibique de eodem cenſu, & ſucceſſoribus ſuis, tanquam veris dominis, ac heredibus perpetuis libere condeſcendimus, & preſentibus aſſignamus, volentes eciam, ut eo ſecurior ſeu ſecuriores foret ſive eſſent ab omni inquietacione, & fatigacione a quacunque perſona, vel quibuscunque perſonis, cujuscunque ſtatus, vel preeminencie exiſtant, promittimus, relevare, ſibi disbrigatores hujusmodi negocii *Jeſconem de Cunomil*, & *Swatholorium de Buſſowna* clientes, more, & jure Regni *Bohemie* duximus ſtatuendos, ac ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſtatuimus, & aſſignavimus. Inſuper promittimus ſub noſtre fidei puritate, & honore ipſum *Ottyconem*, & ſucceſſores ipſius, per nos aut ſucceſſores noſtros per ſe, vel aliam perſonam intervenientem quo-

(*a*) Proprium nomen Ottonis eſt, ita enim ſigillum illius: *S. Ottonis de Willemow.*

quoquo modo inquietare, vel moleſtare. In cujus rei teſtimonium, & evidentiam firmiorem noſtra ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Datum in Wyllemow anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, in Vigilia Beati *Johannis* Baptiſte.

XXXV.

Recognitio Hermanni de Lucawitz, qua fatetur ab Abbate & monaſterio Willemovienſi ob ſervitia ſua villam Prziefieczno ſibi ad dies vitæ ſuæ ad poſſidendum traditam fuiſſe ſine ullo cenſu. dd. Kalendis Decembr. Anno 1361.

Ego *Hermannus* filius *Georgiii* olim de *Lucawicz* notum fore cupio univerſis preſencium noticiam habituris, tam modernis, quam poſteris, quod cum quedam villula monaſterii Wyllemovienſis, *Frzieſieczno* vulgariter nominata, per Dominum *Petrum* tunc Abbatem dicti monaſterii Wylemovienſis *Mikſſiconi* dicto *Roblik*, & uxori ſue *Byetbe* racione cujusdam juris *Theutunici*, quod eisdem in noſtra villa competebat ad tempora vite ipſorum fuiſſet data, ac etiam aſſignata. Idem *Mikſſo* ſuis preventus neceſſitatibus dictam villam, ac totum jus, quod ſibi in eadem villa competebat, Strenuo militi Domino *Alberto* olim de *Zagyeczicz* pro certa ſumma pecunie vendidit, ac eciam reſignavit jure ſuo, ſcilicet ad tempora vite ſue, Dominus vero *Albertus* jam dictus prefatam villam ex certis, & racionabilibus cauſis tenere & poſſidere non prevalens mihi *Hermanno* antedicto jus ſuum, quod ſibi in ipſa villa per memoratam emptionem competebat, pro certa ſumma ſeu quantitate pecunie vendidit, nec non in totum reſignavit. Ego itaque *Hermannus* prenominatus dicto foro (*b*) ſeu contractu cum Domino *Alberto* ante dicto ſic terminato Honorabilibus & Religioſis viris Domino *Andree* Abbati, *Thome* Priori, *Petro* Prepoſito, nec non toti Conventui fratrum monaſterii Wylemovienſis Ordinis Sancti *Benedicti Pragenſis* Dyoceſis cum inſtancia, ac humiliter ſupplicavi, quatenus intuitu ſerviciorum meorum, quibus me ipſum illi monaſterio in futurum obligavi fideliter ſerviturum, jus, quod dicto *Mikſſiconi*, ſeu eciam Domino *Alberto* in prenarrata villa a monaſterio ſepe dicto competebat, in perſonam meam transferre & derivare dignaretur. Ipſi vero Domini, ſcilicet Abbas, & Conventus antc-

(*b*) Id eſt emptione.

tedicti maturo consilio prehabito, nec non Reverendi in *Christo* Patris Domini Domini *Arnesti* Sancte *Pragensis* ecclesie Archiepiscopi consensu requisito pariter & obtento, precibus meis, & crebris supplicacionibus multorum amicorum meorum intuitu jus sepe dicti *Mikssiconis*, vel eciam Domini *Alberti* memorati in personam meam, & nullius alterius transtulerunt sub pactis tamen, & condicionibus infra scriptis. Ego namque *Hermannus* sepe nominatus villam memoratam *Przisieczno* cum omnibus ad ipsam pertinentibus, & quantum juste mete ville ambiunt, ad tempora vite mee, & nullius alterius absque gravamine cujuslibet census tenere debeo, & pacifice possidere, hoc excepto, quodsi berna Regalis edicta, seu proclamata fuerit, & si ipsi Domini cum Collectoribus pro summa ordinaverint, tunc pro ipsa berna ad dictam summam duas sexagenas cum dimidia sexagena ipsis dare teneor, si vero pactum facere non valuerint, ex tunc ipsam bernam per me evadere (*c*) debeo, prout possum, adjecto insuper, quod piscinam antiquam reformare teneor, & ad pristinam reducere utilitatem, & alias piscinas, quascunque fecero, in hereditate, post decursum mee vite detrahi debebunt, atque universi pisces, qui in eisdem piscinis reperti fuerint, per medium debent derivari, videlicet heredibus sive successoribus meis parte media, alia media parte pro monasterio pretacto remanente, & hoc illi pisces, qui quantitate unius palmi excreverunt, qui vero inferioris magnitudinis extiterint, in ipsis piscinis dimitti debent, propter semen, seu retencionem piscium piscinarum ante positarum. Ceterum adicio, & presenti litera publice innotesco, quod quam cito me ab hac vita, quod omnibus est inevitabile, migrare contigerit, villa sepe nominata cum duabus curiis, videlicet quam sepe dictus *Miksso*, & aliam, quam *Herwico* filius ipsius etiam tenent, sive tenuerunt, in quarum qualibet una aratura bene instaurata, cum quatuor equis arabilibus, cum duabus vaccis lactantibus, & quatuor porcis, sive suibus, nec non cum seminibus yemalibus, & eciam estivalibus, ad nullum alium, preterquam ad prefatum monasterium Wyllemoviense in omnem eventum, cujuslibet contradiccionis obice truncato, & abjecto libera libere revertentur. In cujus rei testimonium presentes fieri, & sigillo nostro proprio, nec non sigillis validorum virorum Domini *Ascizlai* dicti *Rakusicz de Byetowan*, Domini *Wilhelmi* dicti *Krziesse* de *Serniczkow*, nec non *Hassonis* de *Lukawicz* germani mei petivi robo-

(*c*) Id est declinare, aut satisfacere.

borari. Et nos predicti, videlicet *Mſcizlaus de Byetowan* dictus *Krzieſſe*, nec non *Haſſco de Lukawicz* ſigilla noſtra ad rogatum *Hermanni* ante dicti ex noſtra ſciencia certa preſentibus duximus appendenda in teſtimonium omnium premiſſorum. Actum & datum anno Domini MCCCLXI. Kalendis *Decembris*.

XXXVI.

Thomiſſius & Jeſco de Wyeczemilicz fratres vendunt cenſum unius marcæ groſſorum in villa Buſſowna Abbati & Conventui Willemovienſi annue ſolvendum pro pretio tredecim ſexagenarum groſſorum. dd. Willemow in craſtino Purificationis Sanctæ Mariæ A. 1362.

Nos *Thomiſſius* & *Jeſco* fratres germani, & *Sdenco* filius ipſius *Thomiſſii* clientes de *Wyeczemilicz*; ad univerſorum notitiam tam preſencium, quam futurorum preſentibus volumus pervenire, quod nos de unanimi omnium noſtrorum voluntate accedente, & conſenſu, cenſum unius marce groſſorum denariorum Pragenſium, quem in agris ſeu hereditate & area, quas poſſidet *Bachen* laycus in villa *Buſſowna* nuncupata ad nos jure veri dominii, ac hereditarie pertinentem Venerabili ac Religioſo viro Domino *Andree* Abbati, ſuoque Conventui, ac monaſterio ipſorum in *Willemow* Ordinis Sancti *Benedicti Pragenſis* dioceſis pro tredecim ſexagenis groſſorum denariorum predictorum jure hereditario ac perpetuo, juſto & vero titulo emptionis vendidimus cum omnibus fructibus, utilitatibus, obventionibus, & pertinenciis univerſis per ipſos Abbatem, Conventum, & monaſterium ſupradictos tenendum, poſſidendum, percipiendum, & utifruendum, prout nosmet percepimus libere, pacifice, & quiete, & de eisdem cenſu, agris, hereditate, & area, tanquam de re propria, ac vero dominio perpetuo diſponendum, taliter prout emptio & venditio more & conſuetudine terre Regni *Boemie* fieri conſuevit, quas quidem pecunias promptas ac numeratas in groſſis monete Pragenſis ſupradicte, a Religioſo fratre *Dyviſſio* Subpriore monaſterii ſepe nominati nomine prelibatorum Abbatis & Conventus nos fatemur recepiſſe integraliter & complete, Ipſisque, & ſucceſſoribus eorundem, tanquam veris dominis & heredibus perpetuo condeſcendimus preſentibus, & aſſignamus omne jus dominii noſtri, quod hucusque obtinuimus transferentes, promittentes noſtra bona, & ſincera fide omnes in ſolidum manu conjuncta una cum *Srziſſone* dicto

Jeſſek de Cunemila ipſis Domino Abbati .. Conventui ac monaſterio ipſorum ſepe dicto, omnia ſupra dicta per nos vendita ab omni inquietatione, & quolibet impedimento disbrigare, ac libertare, ſecundum terre Regni *Bohemie* conſuetudinem, atque morem, noſtris propriis ſumptibus, dampnis & expenſis. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra una cum ſigillo *Srziſſonis* dicti *Jeſſek de Cunemila* predicti de noſtra certa ſcientia preſentibus ſunt appenſa. Datum & actum in Willemow anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, in craſtino Purificationis Sancte *Marie*.

XXXVII.

Thomiſſius & Jeſco fratres de Wyeczemilicz vendunt Otticoni Thelonario in Willemow cenſum in agris & area 78. groſſorum, pretio octodecim ſexagenarum groſſorum den. Prag. dd. Willemow in craſtino S. Viti A. 1364.

Nos *Thomiſſius*, *Jeſco* fratres germani, & *Sdenco* filius ipſius *Thomiſſii*, clientes de Wyeczemilicz; Notum fore volumus univerſis, tam preſentibus, quam futuris, literas per preſentes; Quod nos deliberacione diligenti, ac maturo conſilio inter nos prehabitis, unanimi omnium noſtrorum voluntate & conſenſu cenſum ſeptuaginta octo groſſorum Pragenſis monete, quem in agris, ſeu hereditate & area, quas poſſidet, & excolit Wylczata laycus, & ipſius ſucceſſores poſſidebunt in villa *Lbotka* nuncupata, ad nos jure veri dominii ac hereditarie pertinentem diſcreto viro *Otticoni* Thelonario dicto de oppido Wylemow, ac ſucceſſoribus ipſius, pro decem & octo ſexagenis groſſorum denariorum predictorum hereditarie ac jure perpetuo, juſto, ac vero tytulo empcionis vendidimus, cum omnibus fructibus, utilitatibus, obvencionibus, & pertinenciis univerſis per ipſum *Ottyconem* & ſucceſſores ipſius tenendum, poſſidendum, & utifruendum libere, pacifice & quiete, ac de eisdem cenſu, agris, ſeu hereditate, & area, tanquam de re propria, ac dominio perpetuo diſponendum taliter, prout emcio talis & vendicio more Regni Bohemie, & conſuetudine fieri conſvevit, quas quidem pecunias promptas, & numeratas in groſſis prenominatis ab ipſo *Ottycone* fatemur nos recepiſſe integraliter, & complete, ſibique & ſucceſſoribus ſuis tanquam veris dominis & heredibus perpetuo condeſcendimus preſentibus, & aſſignamus, omne jus dominii noſtri in ipſos transfunden-

dentes, promittentes noſtra bona fide omnes in ſolidum manu conjuncta una cum *Srziſſone* dicto *Jeſſek de Cunemila*, eidem *Ottyconi*, ac ſucceſſoribus ipſius, predictum cenſum, ſive hereditatem ſupra dictam ab omni inquietacione, & impedimento quolibet disbrigare, & libertare, noſtris ſumptibus, dampnis, & expenſis. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra una cum ſigillo *Srziſſonis* dicti *Jeſſek de Cunemila*, predicti preſentibus ſunt appenſa. Datum in Wyllemow, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quarto, in craſtino Beati *Viti*.

XXXVIII.

Recognitio ſuper venditione balnei in Willemow ſiti facta a Nicolao & Jeſcone Jandak cum conſenſu Abbatis & monaſterii ibidem. dd. Wyllemow feria ſecunda poſt feſtum Corporis Chriſti A. 1364.

Nos *Andreas* Divina miſeracione Abbas, *Thomas* Prior, *Petrus* Prepoſitus, totusque Conventus monaſterii in Wilemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis ad univerſorum tam preſencium, quam futurorum notitiam preſentibus volumus pervenire; Quod cum *Nicolaus* & *Jeſco* dictus *Jandak* fratres germani, nati olim *Bobunconis* quondam Judicis noſtri opidi in Wylemow jure hereditario in dicto Judicio Patri ipſorum jam dicto legittime ſucceſſiſſent, ad quos balneum in dicto noſtro opido ratione dicti judicii pertinebat, prout ex literis, ſeu privilegiis ſuper dicto judicio ſub ſigillis pro tunc Abbatis & Conventus datis & conceſſis plenius & clarius continetur, prefati vero *Nicolaus* & *Johannes* fratres dictum balneum ex certis cauſis obtinere non valentes, diſcreto viro *Johanni* dicto *Pekelcze* noſtro familiari pro certa ſumma pecunie perpetuo dicto Judicio alienantes, de noſtra ſcientia pariter & conſenſu vendiderunt, & in noſtra conſtituti preſencia eidem *Johanni* dictum balneum, prout moris eſt, reſignaverunt, omne jus ipſorum in eum transferentes. Demum prefatus *Johannes* per ſe nequiens obtinere, providis, ac diſcretis viris *Thome* & *Wenceslao* dicto *Sach* fratribus, balneatoribus, heredibusque & ſucceſſoribus ipſorum pro certa quantitate pecunie jure empyteutico, quod vulgariter *Purgrecht* dicitur, vendidit, ac ipſis in noſtra preſentia de eodem condeſcendit, ita tamen, quod prenominati *Thomas*, & *Wenceslaus* fratres, heredes, & ſucceſſores eorundem, prefato *Johanni*, aut eo decedente, monaſterio, a fratribus conventualibus in Wylemow, quibus de dicto cenſu idem *Jo-*

hannes pro remedio anime ſue, parentumque libere condeſcendit, mediam ſexagenam groſſorum denariorum Pragenſium annis ſingulis in terminis infra ſcriptis, videlicet in feſto Beati *Galli* proxime venturo incipiendo quindecim groſſos, & in feſto Beati *Georgii* tantundem, & ſic deinceps quolibet feſto veri cenſus nomine ſolvere, & dare, & quatuor pauperes homines qualibet ſeptimana balneare tenebuntur. Si vero, quod abſit, dictos quatuor pauperes balneare quociescunque negligerent, atque nollent, ex tunc nomine pene per judicem, & ſcabinos dicti oppidi in duobus groſſis debent impignorari, ſcripto judicis quolibet pretergato, & illi groſſi duo inter pauperes dividantur. Nihilominus antiqua privilegia, ſeu literas quascunque & per quos, aut quemcunque ſuper dicto balneo habito, ſeu habitas, quoad dictum balneum duntaxat, preſenti litera ſeu privilegio ipſa annullamus, caſſamus, irritamus, ac irrita, caſſa, nulliusque ſore momenti decernimus & declaramus, ubique locorum, tam in judicio, quam extra, ſed pocius tanquam injuſta, & falſa ab omnibus habeantur, & repellantur. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuo valiturum, noſtra ſigilla, videlicet *Andree* Abbatis, & Conventus monaſterii Willemovienſis ad peticionem dictorum ementium & vendentium preſentibus duximus appendenda. Datum in Willemow anno Domini milleſimo, trecenteſimo ſexageſimo quarto, ſecunda feria proxima poſt feſtum Corporis *Chriſti*.

XXXIX.

Jeſco de Wieczemilicz vendit monaſterio Willemovienſi cenſum centum groſſorum Pragenſium in villa Lhotka pro viginti quinque ſexagenis Pragenſium groſſorum dd. in die Beate Cæciliæ Virginis A. 1365.

Noverint univerſi preſentes literas inſpecturi. Quod ego *Jeſco* frater olim *Thomiſſii* de Wieczemilicz recognoſco meo, ac *Sdenconis* Nepotis mei nati olim *Thomiſſii* predicti nomine, Venerabilibus ac Religioſis Viris *Andree* Abbati, *Thome* Priori, *Hanuſſio* Subpriori, *Petro* Prepoſito, totoque Conventui, ac monaſterio in Wylemow, Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis centum groſſos monete Pragenſis rite, & legitime perpetuo, & hereditarie vendidi in villa *Lhotka* nuncupata in territorio *Czaslavienſi* ſita de cenſu ad me & predictum *Sdenconem* hereditarie, ac jure veri dominii pertinentem, quem poſſidemus pacifice & quiete pro viginti quinque ſexagenis groſſorum predictorum, quam

quam quidem pecuniam ego *Jeſco* prius dictus nomine meo, ac *Sdenconis* nepotis mei ſupra dicti, a prefatis Religioſis Viris in groſſis numeratis percepi integraliter, & complete, quem quidem cenſum, & omne jus dominii, cum univerſis utilitatibus, prout ſoli tenuimus, in ipſos viros, & ſucceſſores, ac monaſterium ipſorum transfudimus, nihil penitus juris nobis, ac ſucceſſoribus noſtris reſervato, & condeſcendimus ipſis, ac monaſterio ſupra dicto de cenſu memorato per ipſos, ac monaſterium eorum perpetuo tenendum, poſſidendum pacifice, & quiete, promittimus ego *Jeſco* nomine meo, ac *Sdenconis* nepotis mei predicti noſtra bona, ac ſincera fide, absque omni dolo & fraude pro nobis ac ſucceſſoribus noſtris, prefatos Religioſos viros, ac monaſterium ipſum in dicto cenſu non impedire, aut per aliquam perſonam quoquo modo perturbare, ſed ſi prenominati viri, aut ſucceſſores ipſorum vendere dictum cenſum vellent, & nos heredes & ſucceſſores noſtri reemere poſſemus, extunc viginti quinque ſexagenas groſſorum monete ſepe dicte cenſu percepto, nunc in ſortem computato, dare & ſolvere tenebimur integraliter, & complete. Nos vero *Nicolaus* dictus *Mykxik de Svoyſicz*, *Petrus* dictus *Corecz de Corecz* & *Jeſco de Wieczemilicz* ſepe dictus promittimus noſtra bona, ac ſincera fide manu conjuncta, & in ſolidum ſepe nominatis Religioſis viris, ac monaſterio ipſorum dictum cenſum taliter emptum a quolibet homine, & ſpecialiter a *Sdencone* nepote ipſius *Jeſconis* ſepe dicto disbrigare, prout jus Regni Boemie & conſuetudo poſcit, & requirit. Si vero, quod abſit, disbrigare non poſſemus cum effectu, extunc a monicione ſepe dictorum virorum, vel eorum altero, aut uni ex nobis cuicunque facta, infra quatuordecim dies, a data nobis monitione facta, viginti quinque ſexagenas groſſorum prenominatorum dare, & ſolvere promittimus pecunia in parata. Elapſo vero termino, & pecunia predicta non ſoluta, ſtatim in craſtino dicti termini moniti, vel non moniti civitatem *Czaslavienſem* ad hoſpitium honeſti hoſpitis, nobis per ipſos viros demonſtratum, omnes tres propriis in perſonis, cum tribus famulis, & ſex equis ad preſtandum verum obſtagium, ut moris eſt, debemus ſubintrare, & abinde non exire, donec de dicta ſumma pecunie, una cum dampnis, non fuerit ſatisfactum viris prelibatis, vel monaſterio eorundem; quatuordecim vero diebus elapſis nobis in dicto obſtagio perſtantibus prelibati viri dictam ſummam pecunie debent conquirere inter Judeos vel Chriſtianos

om-

omnium noſtrum ſuper dampnum, quibus quidem pecuniis taliter receptis, habebunt liberam, & plenam poteſtatem per ſe, aut Purgravio cuicunque Domini Imperatoris noſtra bona, ac noſtrorum hominum, mobilia & immobilia impignorandi, & arreſtandi in dicta ſumma pecunie atque dampnis. Et hec omnia & ſingula premiſſa promittimus adimplere ſub noſtre fidei & honoris puritate. In cujus rei teſtimonium preſentes literas fieri, & noſtris ſigillis, videlicet *Jeſconis*. *Nicolai*, & *Petri* ſepe dictorum ex certa noſtra ſcientia juſſimus appenſione communiri. Datum in prenominato monaſterio Wylemovienſi anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, in die Beate *Cecilie* Virginis.

XL.

Quidam Nobiles ſe obligant, quod in cauſa emptorum bonorum in villa Buſſouna Abbatem & Conventum Willemovienſem ab omnibus impedimentis, impetitionibus & injuriis defendere & liberare velint. dd. Wylemow in craſtino Beati Michaelis A. 1368.

Noverint univerſi preſentes literas inſpecturi; Quod Nos *Nicalaus* miles de *Duban*, *Jeſco* dictus *Talaſſus*, & *Sezema de Ryczano* promittimus noſtra bona, & ſincera fide omnes in ſolidum manu conjuncta indiviſim Honorabilibus ac Religioſis viris *Andree* Abbati, *Thome* Priori, *Petro* Prepoſito, totoque Conventui monaſterii in Wylemow Ordinis Sancti *Benedicti*, Pragenſis Dioceſis, & poſteris ipſorum, nec non Domino *Ruberino* dicto de *Skalicz*, & cuilibet ipſorum in ſolidum, bona a diſcreto viro *Domaslao de Lyſniczka* per ipſos empta in villa dicta *Buſſowna* in territorio *Czaslavienſi* ſita, que ipſe *Domaslaus* jure veri dominii tenuit, ac pacifice poſſedit, & quiete, a qualibet perſona, ſeu perſonis cujuscunque ſtatus, conditionis, aut preeminentie exiſtant, ab omnibus & univerſis, ac ſingulis impedimentis, inquietationibus, fatigationibus, & injuriis, tam in judicio, quam extra, & ſpecialiter a dote quarumcunque Dominarum in prenominatis bonis per ipſos emptis, jus ſibi vendicantibus, & aliis occupationibus ipſis viris emergentibus, & impoſterum evenientibus disbrigare, juſtificare, pacificare, ac omnino libertare noſtris propriis ſumptibus, & expenſis jure Regni *Boemie* ac terreſtri. Si vero, quod abſit, predicta non faceremus, & prenominati viri per ſe, aut nuncios ipſorum, nos, aut aliquem ex nobis proinde monendo, expenſas, captivitatem perſonarum, equorum amiſſionem cau-

cauſando, per ſe, aut per alios citati, & alia dampna, que exinde perceperunt, ſive percipient, non eorum, ſed omnino noſtra debent computari, & ſepe dictorum virorum, vel alterius ipſorum eſtimacioni predictis dampnis perceptis, verbo ſimplici, absque omni juramento ſtare debemus, & ſine qualibet contradiccione eſſe contenti, & ea omnia & ſingula promittimus, & tenemur ipſis, & cuilibet ipſorum ſolvere, atque dare integraliter, & complete. Sin autem premiſſa, aut quodlibet premiſſorum non teneremus, vel ſervare & implere non curaremus, ex tunc per prenominatos viros, aut eorum aliquem moniti, aut monitus, ſtatim tertia die predicta monicione elapſa civitatem *Czaslavienſem* ad hoſpitium unius probi hoſpitis, quod nobis per ipſos viros fuerit deputatum, quilibet noſtrum perſonaliter cum uno famulo, & duobus equis ad preſtandum verum obſtagium, prout moris eſt, debemus ſubintrare, & abinde non exire, donec omnia & ſingula per nos promiſſa non fuerint completa, & ſatisfacta integraliter ac ex toto. Et quidquid prenominati viri, aut aliquis ipſorum ob inde nobis, aut alicui ex nobis oblocuti fuerint, omnia vera, & juſta tam per nos, quam per alios debent haberi, ac reputari. Si autem nos, aut aliquis noſtrum contra premiſſa per ſe, vel per alios dicere, aut loqui preſumpſerit, contra fidem & honorem noſtrum debet haberi ab omnibus fore factum. Harum teſtimonio literarum noſtrorum ſigillorum ex certa noſtra ſciencia appenſione. Datum in Wyllemow anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo, in craſtino Beati *Michaelis*.

XLI.

Domaslaus de Lypniczka vendit hereditatem ſuam in villa Buſſowna Abbati & Conventui Willemovienſi pretio quinquaginta ſexagenarum groſſorum Pragenſium. Datum in Octava S. Galli A. 1368.

In Nomine Domini Amen. Noverint univerſi preſentes literas inſpecturi; Quod ego *Domaslaus de Lypniczka* matura ac diligenti deliberatione prehabita vendidi hereditatem meam in villa dicta *Buſſowna* in provincia *Czaslavienſi*, cum omnibus juribus, utilitatibus, & pertinenciis univerſis, ſicut egomet ipſe tenui & poſſedi, videlicet duos laneos, in quibus nunc *Jacobus*, & *Petrus* reſident, ſtrenuo viro Domino *Rubino* dicto de *Skalicz*, nec non Domino Abbati, totoque Conventui monaſterii

rii in Wylemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis dioceſis jure hereditario in perpetuum, & ideo omne jus, dominium & proprietatem, que mihi competebant, in ipſos transfero preſentibus, & reſigno eisdem ad habendum, tenendum, poſſidendum, utifruendum, & quidquid ipſis, & eorum ſucceſſoribus deinceps placuerit, faciendum, pro quinquaginta ſexagenis groſſorum denariorum Pragenſium, quam quidem pecuniam recognoſco me ab ipſis recepiſſe in parata, & numerata pecunia, ac mihi ſolviſſe integraliter, & complete. Quam quidem hereditatem nos *Domaslaus de Lypniczka* antedictus, *Jeſco de Doborzyen*, *Peſſek de Cunimilla*, & *Marſo de Drubanow*, ſive *de Czyeboſcz* omnes in ſolidum, & manu conjuncta predictis viris & Dominis *Rubino*, Abbati, totique Conventui, ac ſtrenuo Viro Domino *Mixony de Duban* promiſimus & promittimus preſentibus ſine omni fraude, & dolo, ac ſub noſtre fidei puritate & honore predicta bona, & hereditatem, contra quemlibet hominem, & perſonam defendere, & disbrigare, prout jus Regni, & terre *Boemie* requirit, & expoſcit. Si vero disbrigare nollemus, vel non poſſemus, quod abſit, tunc in noſtris bonis ſive hereditatibus liberis, & cenſualibus in predicto territorio *Czaslavienſi* ſituatis, tantum de cenſu, quantum eſt in hereditate predicta, & in tercia parte plus indicare, & in eorum poteſtatem tradere, & condeſcendere ac defendere, & disbrigare modo & jure, ut eſt ſupra dictum. Si vero contrarium faceremus, quod abſit, hoc faceremus contra fidem noſtram & honorem, & quidquid contra nos locuti fuerint, nos proinde monendo omnia & ſingula debent juſte fore facere, ſi nos autem contra premiſſa loqueremur, fatemur nos male & injuſte locutos fuiſſe, tamdiu, donec memoratis viris & Dominis omnia predicta per nos non fuerint completa integraliter, & ex toto. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuo valiturum ſigilla noſtra de certa noſtra ſciencia & conſenſu preſentibus ſunt appenſa. Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo in Octava Sancti Galli.

XLII.

Sententia lata in causa decimarum contra Plebanum Willemovienſem pro Abbate & Conventu monalterii Willemovienſis dd. Pragæ III. Februarii A. 1369.

In

In Nomine Domini, Amen. Coram nobis *Jenczone* Prepoſito eccleſie Sancte Crucis Wratislavienſis, curie Archiepiſcopalis Pragenſis, & Apoſtolice Sedis Legati, Officiali Dominus *Johannes* Plebanus eccleſie Parochialis in Wilemow contra Honorabiles & Religioſos Viros Dominos *Andream* Abbatem, totumque Conventum monaſterii ibidem in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti* libellum ſuum in ſcriptis obtulit, per omnia in hec verba. Coram vobis honorabili viro Domino *Jenczone* Prepoſito Sancte Crucis Wratislavienſis eccleſie, Curie Archiepiſcopalis Pragenſis, & Apoſtolice Sedis Legati Officiali, ego *Joannes* Rector Parochialis eccleſie in Willemow Pragenſis Dioceſis, meo, atque jam dicte eccleſie mee nomine contra Honorabiles & Religioſos viros Dominos *Andream* Abbatem, totumque Conventum monaſterii ibidem in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti*, & contra quamlibet perſonam pro eis legitime in judicio introvenientem in jure cum querela propono, & dico; Quodlibet prefati Domini . . Abbas, & Conventus . . colere fecerunt, & faciant agros trium araturarum, ſitos & conſiſtentes infra fines & limites Parochie mee predicte, juxta villas *Syracowicz*, & *Spitics*, & juxta monaſterium in Willemow predictum, fructusque ac proventus omnes & ſingulos eorundem agrorum perceperint, & percipiant; tamen prefati Domini Abbas & Conventus plenas & integras decimas univerſi grani in capetiis, (*d*) in campo conſignatis ſpacio undecim annorum de fructibus, & proventibus predictorum agrorum ſubtraxerunt, ac mihi, & eccleſie mee predicte dare, & ſolvere, caritative pluries moniti contradixerunt, & contradicunt, que decime ſubtracte & non ſolute per tempus predictum, valent, & valere poſſunt, continuum eſtimacione quolibet anno ad quindecim ſexagenas groſſorum Pragenſium, quarum decimarum perceptio de fructibus agrorum predictorum ad me, & ad eccleſiam meam predictam, tam de jure, quam de conſuetudine dinoſcitur pertinere. Quare peto, nomine, quod ſupra prefatos Dominos Abbatem & Conventum cogi, & compelli ad reddendum & reſtituendum mihi & eccleſie mee predicte decimas ſubtractas ſupradictas per tempus predictum, ſive ad dandum & ſolvendum eſtimationem earundem ſupra dictam, & quod in antea mihi, & eccleſie mee predicte dictas de-

(*d*) Acervis quindecim manipulorum in campis facta neceſſe componi ſolitis.

cimas plenas univerſi grani in capetiis in campo conſignatis de fructibus agrorum predictorum dent, & perſolvant, & ad hoc peto ipſos ſententialiter condempnari. Item peto ab eisdem expenſas factas, & proteſtor de faciendis, ſalvo jure addendi, minuendi, corrigendi, declarandi &c. Ad quem libellum Petrus *Bechina* Procurator ſubſtitutus a diſcreto viro *Valentino de Hlawna* Notario Publico, Syndico, & Procuratore generali Dominorum . . Abbatis, & Conventus monaſterii in Willemow predictorum, de quorum Syndicatu, procuratura & ſubſtitutione nobis per acta judiciaria plene, & ſufficienter conſtabat in ſcriptis, reſpondit per omnia ſub hys verbis; Coram vobis Honorabili viro Domino *Jenczone* Prepoſito eccleſie Sancte Crucis Wratislavienſis, curie Archiepiſcopalis Pragenſis & Apoſtolice Sedis Legati Officiali Petrus *Bechina* Procurator & procuratorio nomine Honorabilium & Religioſorum virorum Dominorum *Andree* Abbatis, totiusque Conventus monaſterii in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis, ad petitionem ſeu libellum pro parte *Joannis* aſſe entis ſe Plebanum eccleſie in Willimow datum nuper & oblatum, reſpondet negando narrata, prout narrantur, petens petita fieri non debere animo litem conteſtandi, hoc adjiciens, quod Domini ſui predicti Abbates & Conventuales, qui fuerunt pro tempore monaſterii predicti agros ſive araturas in libello partis adverſe expreſſatas coluerunt, & excolunt, & excolere fecerunt, & faciunt propriis ſumptibus, & expenſis a decem, 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. Centum annis citra & ultra & a tempore, & pertempus, cujus contrarii memoria non exiſtit hominum, nunquam alicui decimas de eisdem ſolventium, & hoc proponit aliis juris defenſionibus, ſibi & Dominis ſuis ſemper ſalvis, ſeu exceptionibus tempore & loco proponendis, de expenſis litis factis, & impoſterum faciendis proteſtando, & non aliter, neque ultra de quo proteſtatur. A quibus partibus de calumpnia, & de veritate dicenda recepimus juramenta, datisque pro parte ipſius Domini *Johannis* partis actricis poſitionibus, & articulis, & easdem poſitiones per partem adverſam factis certis reſponſionibus, & a teſtibus per ipſum Dominum *Johannem* in cauſa hujusmodi coram nobis productis ſimiliter de veritate dicenda juramentis receptis, eisque ſecreto & ſingillatim examinatis, & ipſorum dictis inſcriptis redactis, ac tandem publicatis, contra quorum teſtium dicta per partem adverſam fuit exceptum, ad quas exceptiones exſtitit replicatum. Subſequenter vero dictis partibus in cauſa hujusmodi concludentibus & concludi petenti-

bus

bus cum ipſis in eadem concluſimus, & in ipſa habuimus pro concluſo certam diem pro audienda diffinitiva ſententia ipſis partibus prefigentes, quam ex certis & rationabilibus cauſis ad diem hodiernam duximus prorogandam. Nos itaque *Jenczo* Officialis predictus ipſius cauſe meritis diligenter viſis, examinatis, ac provida deliberatione diſcuſſis, memoratis partibus videlicet Domino *Jobanne* actore perſonaliter, & Dominis . . . Abbate, & Conventu . . per *Valentinum de Hlawna* Syndicum, ſeu Procuratorem ipſorum legitimum coram nobis in judicio comparentibus, & definitivam ſententiam cum inſtantia ferri poſtulantibus, *Chriſti* nomine invocato pro tribunali ſedentes, & habentes pre oculis ſolum Deum per hanc noſtram ſententiam diffinitivam prefatos -- Abbatem & Conventum monaſterii ordinis Sancti *Benedicti*, & *Walentinum*, ac *Petrum Bechinam* Procuratores ipſorum pro eis ab impetitione dicti Domini *Jobannis* Plebani eccleſie in Willemow abſolvimus in his ſcriptis, condempnantes eundem Dominum *Jobannem* ipſis .. Abbati, &.. Conventui, ac Procuratoribus ipſorum predictis pro eis in litis expenſas, quarum nobis taxam reſervamus. Lata eſt hec ſententia hora quaſi terciarum in Conſiſtorio Pragenſi anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono, die tercia menſis *Februarii*, preſentibus diſcretis viris Magiſtratis *Jobanne* dicto *Pecznik*, *Druzone*, *Tomaſcone*, Advocatis, *Petro*, *Lodberii*, *Drzcone de Pleſnicz*, Procuratoribus *Gregorio* Actor. *Wenceslao de Uſcz* Notario Publico dicti Conſiſtorii Pragenſis, & aliis multis teſtibus fidè dignis. Datum Prage ſub ſigillo officiolatus curie Archiepiſcopalis Pragenſis memorate.

XLIII.

Donatio partis de flumine Sazavæ, facta Monaſterio Willemovienſi. dd. in die Sancti Martini A. 1369.

In Nomine Domini, Amen. Quoniam humane conditionis memoria labilis eſt, & caduca, ideo neceſſe eſt ea, que geruntur ab hominibus, ſcriptis autenticis commendari, ut ex ſcripture teſtimonio rei geſte acquiratur memoria, & relinquatur evidens teſtimonium veritati. Hinc eſt, quod nos *Domuslaus* & *Petrus* fratres germani de *Lyſniczku* notum facimus univerſis, preſentem literam inſpecturis, quod mediam partem fluminis *Sazave*, que adjacet bonis & villis, videlicet *Pawlicow*, & *Leszczyncze* monaſterii Willemovienſis, que & quondam dicti mona-

ſterii dicitur fuiſſe a *Martino* quondam Judice de *Ledecz* cum aliis bonis emimus, & ei cum pecunia parata perſolvimus, ipſamque partem dicti fluminis cum bona, & matura deliberatione, & de bona noſtra voluntate predicto monaſterio Willemovienſi donavimus, contulimus, & ex nunc condeſcendendo jure hereditario conferimus perpetue tenendam, poſſidendam, utifruendam pro remedio & ſalute animarum parentum noſtrorum, cupientes eos & nos una cum ipſis participes fieri oracionum, ac omnium bonorum operum, qui ibi Domino Deo ad laudem & gloriam die noctеque famulantur. Hujus autem noſtre donacionis teſtes ſunt *Zrzſs de Cunemila Jeſco* dictus *Hrziebecz de Dluzyn*, *Hertwico de Lypniczka*. In cujus rei teſtimonium & robur firmius ſigilla noſtra cum ſigillis teſtium predictorum preſentibus duximus appendenda. Datum & actum anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono, in die Beati *Martini* Confeſſoris glorioſi.

XLIV.

Epico, Hanuſſius, & Johannes de Kraſna Lipa obligant ſe Domino Abbati & Conventui Willemovienſi ad ſolutionem viginti ſexagenarum groſſorum Pragenſium, quas quondam Joannes Sczeba de Strzietecz in teſtamento ſuo dandas ordinavit dd. III. Julii A. 1383.

Nos *Epico*, *Hanuſſius*, & *Johannes* fratres uterini de *Kraſna Lipa* ſive *Syenlinden*, volentes honeſtos, & famoſos viros, videlicet avunculum noſtrum Dominum *Epiconem de Hradek*, & *Zdyslaum de Wlaſſim* ſolutos habere a fidejuſſoria obligacione debiti infra ſcripti, qua ſe aſtrinxerant pro patre noſtro ad ſolucionem: Notum facimus univerſis tenore preſencium tam preſentibus, quam futuris, quia Honorabilibus, ac Religioſis in Chriſto fratribus Domino Abbati, & Conventui monaſterii in Wyllemow Ordinis Sancti *Benedicti* in viginti ſexagenis groſſorum Pragenſium denariorum nomine teſtamenti pro anima quondam *Johannis* dicti *Sczeba* pie memorie de *Strzetiez* amici noſtri debitorie obligamur manu indiſſolubili, & conjuncta. Et quamdiu dictum precium & pecuniam eisdem non perſolverimus, ſingulis annis duas ſexagenas predictorum groſſorum in duobus terminis, ſcilicet in feſto Sancti *Georgii* unam ſexagenam, & in feſto S. *Galli* ſimiliter unam ſexagenam groſſorum eorundem de Camera noſtra ſolvere, & dare promittimus, & debemus, ſineque zelo malo paracius adimplere. Ut igitur hec

ra-

rata, & inviolabilia obſerventur, preſentem literam noſtrorum ſigillorum appenſione juſſimus roborari. Datum anno Domini milleſimo tercenteſimo octuageſimo tercio, tertia die menſis *Julii.* (e)

XLV.

Recognitio, qua Cunaſſco de Czyeboſſcz villam Maliczin ab Abbate & Conventu ad dies vitæ ſuæ ad poſſidendum ſibi traditam fuiſſe fatetur. dd. Willemow feria ſecunda poſt Dominicam: Vocem jucunditatis &c. Anno 1384.

Ego *Cunaſſco de Czyeboſſcz* recognoſco tenore preſencium univerſis publice profitendo, quod de conditione & utilitate facultatis mee providere cupiens meliori ſano conſilio amicorum meorum prehabito, villam *Maliczin* cum omnibus utilitatibus & proventibus ſuis in hereditate monaſterii Willemovienſis ſitam, *a Jeſſcone de Chwalowicz* pro certa ſumma pecunie foro empcionis comparavi, quam eciam villam ipſe *Jeſſco* ad tempora vite ſue tenuit, & poſſedit a monaſterio predicto, ipſam itaque villam *Maliczin* cum omnibus juribus & pertinenciis ad eandem ſpectantibus Venerabiles, & Religioſi viri, ac Domini *Petrus* Abbas, totusque Conventus ejusdem monaſterii ad inſtanciam peticionis mee in perſonam meam duxerunt transferendam, ſub tali conditione & pacto, videlicet quod villam hujusmodi ad tempora duntaxat vite mee & nullius alterius tenere, & poſſidere debeo pacifice, & quiete, & poſt decurſum vite mee villa predicta cum pertinenciis ſuis ſine contradiccione heredum, & amicorum meorum, & impedimento quolibet libere & absque ſtrepitu judicii cujuslibet revertetur. Renuntio etiam omni juris auxilio, tam Canonis, quam Civilis, atque legis, quod heredibus, vel amicis meis, aut cuipiam perſone interpoſite contra premiſſa poſſit in aliquo ſuffragari, judicio vero in dicta villa heredibus meis legittimis, & ſucceſſoribus reſervato, prout in privilegio ſuper eo conceſſo plenius continetur. Adjecto eciam, quod villam hujusmodi cum ſuis pertinenciis

(e) Anno ſuperiore 1382. II. Idus Januarii Pontificatus anno IV. habetur edita Bulla Urbani VI. Rom. Pontificis, qua monaſterio Willemovienſi incorporat Parochiam *in Walea Olomucenſis* diœceſis, quæ excuſa habetur apud Bonaventuram Pitter in Theſ. abſcond. p. 205.

eiis nulli perſone potenti, vel majori mihi, vendere liceat ſine conſenſu & voluntate Domini Abbatis & Conventus ſpeciali; ſecus vero faciens, tam emens, quam vendens jure ſuo ipſo facto ſit privatus. Ut ergo premiſſa rata, & illeſa & inviolabilia permaneant. Nos *Lena de Chrzenavicz*, *Marſico de Tunochod*, *Robertus de Bohdanecz* proteſtamur univerſis omnia & ſingula preſcripta taliter obſervari a quolibet premiſſorum, & ſi quidquam per heredes, vel amicos ipſius *Cunaſconis* aut quamlibet perſonam interpoſitam attemptatum fuerit, in prejudicium fidei & honoris factum fore proteſtamur, & ab omnibus cenſeri volumus fore reputatos. Harum quidem ſigilla noſtra appenſa ſunt teſtimonio literarum. Datum in Wilemow anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo quarto, feria ſecunda poſt Dominicam; *Vocem Jocunditatis* &c. (*f*)

XLVI.

Gira de Jenicow fatetur ſe a Domino Abbate & Conventu Wyllemovienſi villam Malczie ad dies vitæ ſuæ poſſidendam accepiſſe dd. die VIII. Junii A. 1387.

Noverint univerſi, tam preſentes, quam poſteri, ad quos ſcriptum preſentis pagine fuerit devolutum; quod ego *Gira de Jenicow* recognoſco tenore preſencium univerſis publice profitendo, quia a Venerabilibus in Chriſto Patribus, & Dominis *Andrea* Abbate (*g*) & toto Conventu monaſterii Wyllemovienſis Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis villam ipſorum *Malczie* nuncupatam in diſtrictu *Lilicienſi* ſitam ad tempora duntaxat vite mee, & non alterius tenere debeo, & poſſidere, poſt decurſum vero vite mee, & ex hac luce felicem deceſſum prefata villa *Malczie* ullo amplius heredibus ſive ſucceſſoribus meis jure in eadem villa competente ad predictos Abbatem & Conventum ac monaſterium

(*f*) Liber Erectionum eccleſiæ Pragenſis a Balbino vulgatus Volum. II. lit. U. 4. memoriam quoque monaſterii Willemovienſis ad annum 1386. his verbis refert: *Remiſſio ad Curiam Romanam pro monaſterio in Wilemow Ordinis S. Benedicti*, cujus generis autem remiſſio illa fuerit, quis divinet, quandoquidem ad ipſos libros Erectionum tam facilis acceſſus non eſt. Dufreſnius vocem *Remiſſio* his verbis explicat: *Remiſſio eſt cauſæ commiſſæ ad committentem facta commiſſio.* Quod ſi ita eſt, quid tum Archiepiſcopo ejusve Officiali commiſerit Abbas & Conventus Willemovienſis pariter ignotum. (*g*) Niſi Numerus anni verbis expreſſus eſſet, exiſtimarem chartam

rium ipſorum ſine figura, & ſtrepitu judicii cujuslibet libere revertetur. Et nihilominus, ſi litere ſive privilegia vel indulta cujuscunque tenoris ſeu condicionis per me, heredes, ſive ſucceſſores meos in prejudicium ville hujusmodi contra dictos Abbatem & conventum vel monaſterium ipſorum quomodolibet emerſerint, que contra voluntatem ipſorum retente fuerint, ſive occultate, easdem literas & privilegia irritas, & frivolas facio, & nullius vigoris eſſe & firmitatis, renuncians omni juris auxilio tam Canonis, quam civilis, atque legis, nec non & temporalis, quod heredibus ſive ſucceſſoribus meis contra premiſſa poſſit in aliquo ſuffragari, ſed ipſi Abbas & Conventus villam ſepe dictam poſt obitum meum libere tenere debent, & poſſidere ſine heredum & ſucceſſorum meorum quolibet impedimento & contradiccione. Petens famoſos & honeſtos viros amicos meos *Cunſſiconem de Herzmanicz*, *Nicolaum* dictum *Lelek de Baczkow*, ut in teſtimonium & cautelam ſigilla ſua, & ad redimendam inſtanciam preſenti litere applicarent. Et nos predicti *Cunſſico de Herzmanicz* & *Nicolaus* dictus *Lelek de Baczkow* ſingula preſcripta ſine omni contradiccione, dum requiſiti fuerimus, promittimus conteſtari, & approbari. In cujus rei teſtimonium, & majus firmamentum ſigilla noſtra cum ſigillo prefati *Gyre* preſentibus ſunt appenſa. Datum & actum anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, die 8. menſis Junii.

XLVII.

Privilegium Urbani Sexti Pontificis, datum Petro Abbati Willemovienſi, & ſucceſſoribus ejus, ut poſſit uti Infula, & aliis Pontificialibus. dd. Peruſii V. Kalendas Decembris A. 1388.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis *Petro* Abbati & Conventui monaſterii Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Diocelis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex-

tam hanc pertinere ad Andream priorem Petro Abbatem, at vero cum annus 1387 verbis ipſis ſub finem expreſſus ſit, argumentari fas eſt inter annum 1384 & 1387. Petrum Abbatem ſeu fatis ceſſiſſe, ſeu Abbatiæ renunciaſſe, eique Petrum ſucceſſiſſe, uti & Andream hunc nonniſi anno uno præfuiſſe, cum jam ſequente iterum Petrus, ſeu idem cum priore, ſeu III. legatur.

Expoſcit veſtre devotionis ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas, ut tam vos, quos ſpeciali dilectione proſequimur, quam monaſterium veſtrum dignis honoribus attollamus. Dudum ſiquidem tibi fili Abbas, ut quamdiu vitam duceres in humanis, mitra, baculo, annulo, & aliis inſigniis Pontificalibus, uti poſſes, auctoritate Apoſtolica duximus indulgendum. (*b*) Nos igitur volentes vos prerogativa proſequi gratie amplioris, Cariſſimi in Chriſto filii noſtri *Wenceſlai* Romanorum & Boemie Regis Illuſtris, ac veſtris ſupplicationibus inclinati, ut etiam ſucceſſores tui Abbates dicti monaſterii, qui pro tempore fuerint, mitra, annulo, baculo paſtorali, cyrotecis, ſandaliis, & inſigniis predictis libere uti, nec non quod tu Abbas, & ſucceſſores predicti in dicto monaſterio, & Prioratibus eidem monaſterio ſubjectis, ac Parrochialibus & aliis eccleſiis ad vos communiter vel diviſim pertinentibus, quamvis vobis pleno jure non ſubſint, benedictionem ſolennem poſt Miſſarum, Veſperarum, & Matutinorum ſolennia, ac etiam poſt menſam, dummodo in benedictione hujusmodi aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolice Legatus preſens non fuerit, elargiri poſſitis, felicis recordationis *Alexandri* Pape Quarti predeceſſoris noſtri, que incipit, Abbates; & aliis quibuscunque conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, vobis, & eisdem ſucceſſoribus auctoritate predicta de uberioris dono gratie tenore preſencium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum *Perufii* 5. Kalendas *Decembris*, Pontificatus noſtri anno decimo.

Wilhelmus.

XLVIII.

Bonifacius nonus Papa confirmat electionem Nicolai Ablatis Willemovienſis dd. Romæ 2 Idus Aprilis A. 1391.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio *Nicolao* Abbati monaſterii in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex ſuſcepte ſervitutis officio ſolicitudine pulſamur aſſidua, ut circa ſtatum eccleſiarum, & monaſte-

(*b*) Ex his ſuſpicari liceret Petrum hunc renunciaſſe Abbatiæ anno ſuperiore, & quoquo demum rerum eventu illam rurſum hoc anno recepiſſe.

ſteriorum omnium, quorum cura nobis imminet generalis ſollicite intendentes illis preſertim, que vacacionis incommoda deplorare noſcuntur, per Apoſtolice proviſionis miniſterium ſalubriter ſuccuratur. Dudum ſiquidem quondam *Petro* Abbate monaſterii in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis dioceſis regimini ejusdem monaſterii preſidente; Nos cupientes eidem monaſterio, cum vacaret, per Apoſtolice Sedis providenciam, utilem & ydoneam preeſſe perſonam proviſionem ejusdem monaſterii ordinationi, & diſpoſitioni noſtre duximus, ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hys per quoscunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Poſtmodum vero prefato monaſterio per obitum dicti *Petri* Abbatis, qui extra Romanam curiam deceſſit, vacante, Dilecti filii Conventus ejusdem monaſterii reſervacionis & decreti predictorum forſan ignari te Monacum dicti monaſterii ordinem ipſum expreſſe profeſſum, in ſacerdotio conſtitutum, in eorum, & dicti monaſterii Abbatem concorditer elegerunt, licet de facto, tuque electioni hujusmodi, illius tibi preſentato decreto, etiam de facto conſenſiſti, & deinde reſervacione & decreto predictis ad tuam deductis noticiam, hujusmodi eleccionis negocium coram nobis in Conſiſtorio proponi feciſti. Nos igitur hujusmodi eleccionem, & quecunque inde ſecuta, utpote poſt, & contra reſervacionem & decretum predicta, de facto, ut premittitur, attemptata reputantes, prout erant, irrita, & innania, & ad proviſionem dicti monaſterii, de qua nullus preter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupra dictis, ne monaſterium ipſum longe vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de preficiendo ipſi monaſterio perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum fratribus noſtris habuimus diligentem. Demum ad te, cui de Religionis zelo, literarum ſciencia, vite mundicia, honeſtate morum, ſpiritualium providencia, & temporalium circumſpeccione, & aliis multiplicium virtutum donis apud nos laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtre mentis, quibus omnibus, nec non dictorum Conventus te eligencium concordi voluntate attenta meditacione penſatis de perſona tua nobis & eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta predicto monaſterio de dictorum fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam, regimen, & adminiſtrationem ejusdem monaſterii tibi in ſpiri-

tualibus, & temporalibus plenarie committendo, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos prefatum monaſterium per tue diligencie ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpecte dirigetur, ac grata in eisdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod in dicto monaſterio ſolitus Monachorum & miniſtrorum numerus nullatenus minuatur. Quocirca diſcrecioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis ejusdem monaſterii ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod dictum monaſterium fructuoſo adminiſtratore gaudeat ſe commiſſum, tuque preter eterne retribucionis premium, noſtram, & dicte ſedis benediccionem, & graciam exinde uberius conſequi merearis. Datum *Rome* apud ſanctum Petrum II. Idus *Aprilis*, Pontificatus noſtri anno ſecundo. (*i*)

XLIX.

Recognitio Decani & Capituli Pragenſis ſuper receptis ab Abbate Willemovienſi 30. *ſexagenis groſſoram pro Tumba S. Wenceslai. dd. Pragæ in feſto S. Galli A.* 1391.

Nos *Bohuslaus* Decanus Decretorum Doctor, totumque Capitulum eccleſie Pragenſis; Notum facimus tenore preſencium univerſis, Quod cum nuper Sereniſſimus Princeps, & Dominus noſter Dominus *Wenceslaus* Romanorum & Boemie Rex Inclitus, fervore devocionis indutus, Jus ſuum Regium Boemie *Oſtrozne* vulgariter nuncupatum, quod in ſingulis Regni monaſteriis in Abbatibus noviter promotis obtinuit, pro decorando, ſive ornando per amplius temporibus ſucceſſivis Sancti *Wenteslai* Martiris, & Patroni, Sarchofago, ſive Tumba pro largicione donavit, Venerabilis, & Religioſus Vir Dominus *Nicolaus* Abbas monaſterii in Wilemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis, poſt dic-

(*i*) In libris Erectionum Volum. IV. G. 2. apud Balbinum p. 86. annotata quoque habetur charta hujus anni ad Willemovienſe Diplomatarium ſpectans hujus tenoris: *Incorporatio eccleſiæ Parochialis S. Mariæ intra muros Monaſterii Willemow, ipſi monaſterio ab Joanne Archiepiſcopo Pragenſi (qui prius recitat Bullam Bonifacii IX. in favorem Abbatis & Conventus) Datum Pragæ* 1391. 5. *Julii, præſentibus Venerabilibus D. D. Nicolao Puchnik Licentiato in Decretis Officiali, Joanne Pomuk in iisdem Decretis Doctore Vicariis in Spiritualibus noſtris &c.*

dictam donacionem, que recens est, primum, & primus pro dicto jure Regio, & tumba predicta, triginta sexagenas grossorum denariorum Pragensium nobis per honorabilem virum Dominum *Wenceslaum* Decanum Sancti Appollinaris confratrem nostrum carissimum dedit, assignavit, & realiter numeravit. De quibus quidem triginta sexagenis ipsum ac successores suos, & monasterium quittamus, & presentibus quitum reddimus, & solutum. Et volentes Donacionem Regiam perpetua stabilitate firmari, literas Majestatis Regie super ea duximus viginti quinque sexagenis grossorum denariorum Pragensium redimendas, quas de predictis triginta sexagenis in Capitulo congregati unanimiter deducentes Reverendo Patri Domino *Hinconi Caminensi* electo Romanorum & Boemie Regis Cancellario persolvimus cum effectu. Residuum in Sacristia pro usu predicto fideliter deponentes, de quo sollempniter protestamur. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Prage anno Domini millesimo trecentesimo, nonagesimo primo, in festo Sancti *Galli* Confessoris, in loco nostri Capituli.

L.

Bonifacii Papæ noni confirmatio juris Patronatus quarundam Parochialium ecclesiarum in Bohemia & Moravia sitarum ad monasterium Willemovense pertinentium. dd. Romæ II. Idus Octobris anno 1395. Excusum habetur Tomo IV. Monumentorum meorum p. 385.

LI.

Instrumentum Publicum super sententia definitiva lata in causa possessionis ecclesie Parrochialis in Willemow pro D. Zacharia monasterio Willemovensis Professi, contra D. Wenceslaum de Quietna Presbyterum. dd. XXIII. Januarii 1397.

In nomine Domini Amen. Coram nobis Jacobo *Bussek* Baccalaureo in Decretis, Curie Episcopalis *Luthomislensis* Officiali Executore, & Commissario generali discreti viri Domini Wenceslai Presbyteri de *Quietna Luthomislensis* Diocesis per Sanctissimum in *Christo* Patrem Dominum nostrum Dominum *Bonifacium* digna Dei providentia Papam nonum de & super beneficiis Ecclesiasticis cum cura vel sine cura vacantibus, ad collationem, provisionem, seu quamvis aliam dispositionem

Honorabilium & Religioſorum virorum, Dominorum Abbatis & Conventus monaſterii in Willemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis ſpectantibus, & pertinentibus in ſpeciali factis cum noſtris in hac parte Collegiis, & cum illa clauſula, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum &c. a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, prout in literis Apoſtolicis, videlicet gracioſa, & executoria vidimus contineri: Vigore quarum literarum Honorabilem Virum Dominum *Zachariam* Rectorem Parochialis eccleſie Sancte *Marie* ibidem in Wyllemow & Profeſſum ejusdem monaſterii ad dicendum, & allegandum cauſas racionabiles, quatenus in ſententias & proceſſus ex literis Apoſtolicis factos, & contentos, prout eſt monitum, incidiſſe declarari non debeat, ad petitionem inſtantem ejusdem Domini *Wenceslai* Presbyteri de *Quiettna* per noſtras citatorias literas duximus citandum, & evocandum ad certum peremptorium terminum competentem, quo termino veniente comparens coram nobis diſcretus vir Magiſter *Wenceslaus de Humpoltz*, Notarius publicus, Procurator, & nomine Procuratorio memorati Domini *Zacharie*, de cujus procurationis mandato per inſtrumenta publica, videlicet de manu *Ottykonis de Zrucz*, & *Bartholomei de Ledecz* publicorum Imperiali auctoritate Notariorum plene conſtabat, copiam propuctorum petiit omnium, cui terminum ad dicendum contra ſtatuimus competentem, in quo termino Procurator Domini *Zacharie* cauſas in ſcriptis, quarum idem Dominus *Zacharias* in ſententias in proceſſibus contentas incidiſſe declarari non debeat, oblatas, contra quas pro parte ejusdem Domini Wenceslai nihil fuit replicatum, ſed petentibus memoratis partibus, videlicet Domino Wenceslao perſonaliter, & Domino *Zacharie* per *Wenceslaum de Humpoltz* Procuratorem ſuum ad dandum, de jure ipſorum, hinc inde certum ſtatuimus terminum competentem, quo termino veniente pro parte dictarum partium per Wenceslaum dictum *Hruſska* Domini Wenceslai Presbiteri *de Quyettna* procuratorem, de cujus procurationis mandato per acta cauſe preſentis ſimiliter plene conſtabat, & per Wenceslaum *de Humpoltz* Notarium Publicum procuratores ipſorum fuerunt poſitiones, & articuli concludentes oblati &c.

Nos

Nos Judex & Officialis ſupra dictus viſis omnibus actis actitatis cauſe preſentis, & ejusdem cauſe meritis examinatis, & matura deliberatione diſcuſſis communicato Jurisperitorum conſilio per ea, que vidimus, & cognovimus in termino peremptorio procuratoribus partium ſententiam noſtram diffinitivam duximus proferendam, & ferimus in his ſcriptis. *Chriſti* nomine invocato ſedentes pro tribunali, ſolum Deum pre oculis habentes per hanc noſtram ſententiam diffinitivam pronunciamus, decernimus; & declaramus prefatam eccleſiam Parochialem Sancte Marie in *Willemow* fuiſſe & eſſe rite & legitime dictis Abbati, Conventui, & monaſterio in *Willemow* Pragenſis Dioceſis Ordinis Sancti *Benedicti* fuiſſe & eſſe canonice & juſte annexam, incorporatam & unitam, (*k*) poſſeſſionemque ejusdem eccleſie realiter apprehendiſſe, prefatumque Dominum *Zachariam* ad ipſam eccleſiam Parrochialem in Willemow fuiſſe & eſſe rite & legitime inſtitutum, & confirmatum, prenominatam vero proviſionem ſeu gratiam dicti Domini Wenceslai de *Quiettna* partis adverſe ad ipſam eccleſiam Parochialem ſe extendere non potuiſſe, neque poſſe, nec extendere debere, ipſumque Dominum *Zachariam* in perſona Procuratoris ſui ſuper oppoſitionibus, moleſtationibus dicti Domini Wenceslai in perſona Procuratoris ſui *Hruſcze*, abſolvimus in his ſcriptis, perpetuumque ſilentium eidem imponentes ſuper eisdem literis quoque gratie & proviſionis dicti Domini Wenceslai quod alia beneficia eccleſiaſtica vacantia, vel vacatura, ſalvas declaramus, condemnantes eum in expenſas in lite factas. Lata, & lecta eſt & in ſcriptis promulgata eſt hec ſententia per nos *Jacobum Buſſek* Executorem, Judicem, & Commiſſarium ſupra dictum hora quaſi tertiarum in Conſiſtorio *Luthomiſslenſi* in preſentia Procuratorum. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium preſentem noſtram ſententiam per *Vitum de Lomnitz* & *Bartholomeum de Ledecz* Notarios & ſcribas cauſe preſentis coram nobis ſcribi, & publicari mandavimus, ſigillique Officiolatus curie Epiſcopalis juſſimus communiri anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, indictione quinta die viceſima tertia *Januarii*, Pontificatus S. S. in *Chriſto* Patris & D. D. *Bonifacii* Pape nonni anno octavo,

(*k*) Incorporationis & unionis hujus charta per Joannem Archiepiſcopum Pragenſem monaſterio Willemovienſi anno 1391. data recitatur in libris erectionum, de qua jam ſupra in notis noſtris ad eundem annum & Diploma Num. XLVIII.

vo, preſentibus honorabilibus & diſcretis viris Dominis Wenceslao *Slama* Plebano in *Policzka* Canon. *Luthom.* & Martino *de Sacz* Prag. Dioc. Notario Publico & multis aliis teſtibus circa premiſſa.

Et ego *Bartholomeus Andree de Ledecz* Cleric. Prag. Dioc. Publicus Imperiali auctoritate Notarius Proceſſus cauſe, videlicet terminorum continuationi, teſtium acceptationi, ſententie diffinitive prolationi, omnibusque aliis & ſingulis ſupra ſcriptis, dum ſic ut premittitur fierent, & agerentur una cum prenominatis teſtibus preſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi, ipſamque cauſam cum collega meo infra ſcripto regiſtravi, preſentem ſententiam, ſeu hoc publicum Inſtrumentum manu propria conſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis, & conſuetis una cum appenſione ſigilli Officiolatus curie epiſcopalis *Luthomiſsl.* de mandato dicti officialis & executoris conſignavi requiſitus in fidem, & teſtimonium omnium premiſſorum.

Et ego *Vitus* natus quondam *Petri de Lompnitz* Clericus Pregenſis Dioceſis, Publicus Imperiali auctoritate Notarius Curie Epiſcopalis *Luthomiſslenſis* juratus Notarius, preſentis cauſe ſcriba cum Collegis meis ſupra ſcripte ſententie prolationi omnibusque aliis & ſingulis preſcriptis, dum ſic, ut premittitur, fierent, & agerentur, una cum dicto Collega meo ac teſtibus ſupra ſcriptis preſens interfui, & omnia in nota accepi, ac ſic fieri vidi & audivi, dum per memoratum Dominum Magiſtrum Jacobum *Buſſek* Officialem & executorem ſic fierent, & agerentur, vidi, & audivi, & per dictum meum Collegam ſcribi procuravi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis, & conſuetis conſignavi una cum appenſione ſigilli officialatus *Luthomiſslenſis* de mandato dicti Domini Officialis & Executoris, & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum.

LII.

Ceſſio cujusdam ſylvæ ad villam Cladcrub ſitæ, facta monaſterio Willemovienſi. dd. Willemow feria ſecunda poſt feſtum Sancti Jacobi Anno 1398.

Nos

Nos *Mſtislaus* dictus *Zubak de Cladcrub*, *Mixico* dictus *Zubak* fratres germani, *Nicolaus*, *Wenceslaus*, *Nedaſſco* filii *Mſtislai* predicti; Recognoſcimus tenore preſencium univerſis, tam preſentibus, quam futuris; quod cum quedam queſtio, lis, & controverſia inter nos ex una, & Venerabiles & Religioſos viros, Dominos Abbatem, & Conventum monaſterii in Willemow parte ex altera ratione cujusdam ſilve ſuper villa *Cladcrub* ſite mota fuiſſet, & exorta, & pluribus annis ventilata, conſiderantesque quod ullum jus nobis in dicta ſilva competere dinoſcitur, & ex ſuaſu & conſilio amicorum noſtrorum, matura deliberacione prehabita, & de unanimi noſtrum omnium conſenſu, & gratuita voluntate prefatis Dominis Abbati, & Conventui, ac ipſorum monaſterio de dicta ſylva ceſſimus, condeſcendimus, & renunciamus, ipſis eandem tenendam perpetue & poſſidendam pacifice & quiete, ſine noſtro, noſtrorumque ſucceſſorum quolibet impedimento, promittentes bona, & ſincera fide, prefatos Abbatem & Conventum de & ſuper dicta ſilva amplius nullatenus monere, nec contra predictam ceſſionem, & renunciationem ſilve hujusmodi quidpiam verbo, vel facto attemptare, ſub pena viginti ſexagenarum groſſorum denariorum Pragenſium per nos ipſis Abbati, & Conventui irremiſſibiliter ſolvendarum. Renunciantes etiam omni juris auxilio tam Canonis, quam Civilis, atque legis, quod nobis, heredibus, vel ſucceſſoribus noſtris, contra premiſſa, aut premiſſorum quodlibet poſſit vel valeat ſuffragari. Ut ergo hec omnia & ſingula firma, rata & illeſa perſeverent, preſentes literas fieri & ſigillorum noſtrorum, ac famoſorum virorum noſtrorum amicorum *Jeſſconis* dicti *Blazniczie de Ryczano*, alias de *Hoſtowlicz*, *Hertniconis de Oſtetczna*, *Janconis de Oſtenczna*, *Troyany* ibidem, & *Johannis* ibidem ex ſpeciali peticione noſtra procuravimus munimine roborari. Nosque *Jeſſico de Ryczano*, alias de *Hoſtowlicz*, *Hertnico*, *Janco Troyanus*, & *Johannes* fratres de *Oſtenczna* ad petitionem prefati *Mſtislai Zubak*, fratris, & filiorum ejus ſigilla noſtra preſentibus appendenda duximus in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum. Datum in Willemow, anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo, feria ſecunda poſt feſtum Sancti *Jacobi* Apoſtoli majoris.

LIII.

Transactio, ſuper villis Herzmanicz, & Parzizow inter Abbatem & Conventum Willemowienſem ex una, & Cunſſiconem cum filio Modliboch parte ex altera, dd. Pragæ die S. Stephani A. 1398.

Nos *Nicolaus* divina miſeracione Abbas, totusque Conventus fratrum monaſterii in Wyllemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceceſis ex una, *Cunſſico* cum filio dicto *Modliboch de Herzmanicz* parte ab altera; Recognoſcimus tenore preſencium univerſis preſentibus & futuris; quod matura deliberacione, ac ſano hinc inde conſilio communicato ſuper omnibus & ſingulis cauſis, litibus & controverſiis inter nos racione bonorum & villarum *Herzmanicz*, & *Parzizow* vertentibus, in nobiles & ſtrenuos viros Dominum *Henricum* dictum *Laczenbok*, & *Howorca* Purgravium pro tunc in *Sleb*, tanquam arbitros, arbitratores, & amicabiles compoſitores devenimus finaliter, & preciſe ipſorum arbitrium, pronunciacionem, & diffinicionem tenere, & habere ratum, & gratum, promittendo hinc inde ſub pena centum ſexagenarum groſſorum Pragenſium denariorum, medietatem pene illius parti tenenti per partem non tenentem, & aliam medietatem arbitris predictis irremiſibiliter ſolvendarum. Nos itaque *Henricus* dictus *Laczenbok*, & *Howorca* tunc Purgravius in *Sleeb*, aſſumpto in Nos hujusmodi arbitrio ad peticionem partium predictarum, & promiſſo, ac caucione fide juſſoria ſufficienti pene pecuniarie ſupradicte, communicato tamen prius nobilium & ſapientum maturo ac ſano conſilio pronunccciavimus, diffinivimus, & arbitrati ſumus in hunc modum, videlicet, quod prefati Abbas & Conventus dicto *Cunſſiconi* quinquaginta ſexagenas groſſorum Pragenſium diviſim in feſto S. *Georgii* venturo proxime viginti quinque ſexagenas groſſorum eorundem, & in feſto Sancti Wenceslai Paſſionis pro tunc immediate ſequenti ſimiliter viginti quinque ſexagenas dare debeant, & cum effectu aſſignare, eidem nihilominus ligna de ſylvis ipſorum, ubi eis viſum fuerit pro cremacione ignis duntaxat, infra hinc & feſtum Sancti Wenceslai predictum miniſtrent, & aſſignent, & ſe ipſos prefatus Abbas & Conventus de villis hujusmodi *Herzmanicz* & *Parzizow* cum ſylvis, & ipſarum univerſis pertinenciis libere intromittant; ſine ejusdem *Cunſſiconis*, & heredum ſuorum quolibet impedimento. Ipſe quoque *Cunſſico* Curiam, ſive araturam ibidem in *Herzmanicz* tenere, & poſſidere debeat infra hinc, & feſtum Sancti Wenceslai proxi-

xime affuturum, agrosque curie hujusmodi ſuis laboribus colere, & ſeminare, ac eciam ipſa ſemina metere in uſus ſuos libere convertendo, dictam denique curiam cum univerſis & ſingulis pertinenciis ſuis, & cum viginti menſuris ſiliginis, que in vulgo *Korczones* dicuntur fuſi grani prefatis Abbati & Conventui in dicto Sancti *Wenceslai* feſto reſignare debet, & tenere, & omnino condeſcendere, ullo ſibi & heredibus ſuis amplius jure in dictis bonis minime competente. Litera tamen privilegiali ſuper judicio in *Parzizow*, quam a prefatis Abbate & Conventu, vel monaſterio ipſorum obtinet, ſibi & heredibus ſuis ſemper ſalva. Quam quidem pronunciacionem, arbitrium & diffinicionem, ſicut premittitur factam, ratam, & gratam hinc inde tenentes, & obſervantes preſentes literas fieri, & ſigillis noſtris ſcilicet *Nicolai* Abbatis, & totius Conventus monaſterii ſupradicti, *Cunſſiconis*, & *Modlibochonis* filii ſui de *Herzmanicz*, *Henrici* dicti *Laczenbok*, & *Howorkonis* pro tunc Purgravii in *Sleeb* munimine fecimus roborari, in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum. Datum & actum *Prage* anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo, feria quarta in die Sancti *Stephani* Prothomartyris glorioſi.

LIV.

Transactio litis ortæ de quibusdam agris inter Abbatem Willemovienſem, & quosdam homines laicos. dd. in caſtro Sleeb feria tertia ante feſtum Aſſumptionis B. V. M. A. 1398.

Nos *Jaroslaus de Dobruſſca* alias de *Opoczna*. Recognoſcimus tenore preſencium univerſis preſentibus & futuris; Quod cum lis quedam, queſtio, & controverſia inter Venerabiles & Religioſos viros Dominos Abbatem & Conventum monaſterii in Wilemow Ordinis Sancti *Benedicti* ex una, & quosdam certos homines concives, ſcilicet *Rzebaconem*, *Henzliconem*, *Marſſonem* & *Weliconem*, *de Chotieborz* parte ex altera occaſione quorundam agrorum ad villam *Swynny* pertinencium, mota fuiſſet, & exorta, nobisque ex parte dictarum partium hinc inde fuerit cum inſtancia debita ſupplicatum, ut ipſorum lites, queſtiones, & controverſias hujusmodi amicabiliter componere, concordare, & diffinire dignaremur. Nos igitur petitionibus ipſorum in hac parte inclinati, aſſumpto onere compoſitionis & diffinitionis hujusmodi, auditis hinc inde propoſitionibus, allegationibus, & reſponſionibus partium predictarum, communicato prius deſuper ſapientum & proborum virorum tunc nobis

assistentium sano ac maturo consilio de assensu & bona voluntate ac libera dictarum partium pronunciavimus, composuimus, & diffinivimus in hunc modum, primo videlicet; quod prefati homines concives de *Chotieborz*, & eorum legitimi successores annis singulis, temporibusque perpetuis, quilibet ipsorum de dictis agris ex una quaque quarta agrorum hujusmodi prenominatis Dominis Abbati, & Conventui monasterii in Willemow census, & jura alia dare, & solvere debeant, & tenentur in festis & terminis ad hoc statutis & assignatis, sine negligentia qualibet, & occasione, prout ceteri homines & incole ville *Swynny* predicte dant, & soluerunt dare, & solvere consveverunt. Et nihilominus census retentos de dictis agris prefati concives ipsis Abbati, & Conventui mox dent, & persolvant cum effectu per quatuor grossos de qualibet quarta pro quolibet terminorum lapsorum assignantes, pronunciavimus, etiam diffinivimus, & decrevimus, ut prefatis Dominis Abbati & Conventui, seu ipsorum Officialibus dictos agros, & quantitatem ipsorum mensurare liceat, & eisdem hominibus mensuram justam, & debitam assignare, defectus agrorum hujusmodi supplendo, & superflua, & residua pro se ipsis & monasterio ipsorum reservando. Quam quidem pronunciacionem, compositionem, & diffinitionem nostram dicte partes ratam, gratam atque firmam hinc inde tenentes, & omnino observare inviolabiliter promittentes petierunt ipsis per nos presentes literas fieri, ac sigilli nostri, & strenuorum, ac prudentum virorum, videlicet *Thomassonis de Losyn*, *Otticonis de Hradek* pro tunc Purgravii in *Sleeb*, *Uziconis de Wtelna*, nec non Judicis & juratorum, ac civitatis *Chotieborz* munimine roborari, in robur & testimonium pronunciacionis, compositionis, & diffinitionis supra dicte. Nos itaque *Jaroslaus de Dobrussca* alias de *Opoczna*, *Thomas de Lossyn*, *Ottico de Hradek* Purgravius in *Sleeb*, *Uzyko de Wtelna*, ac Judex & jurati de *Chotieborz* ad petitionem, & diligentem instantiam partium predictarum, sigilla nostra propria ex certa scientia nostra presentibus appendenda duximus in fidem, & testimonium, ac firmitatem, & observantiam omnium premissorum. Datum & actum in castro *Sleeb*, anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, feria tercia ante festum Assumptionis Sancte *Marie* Matris Domini nostri Jesu *Christi*, glorioso.

LV.

LV.

Transactio litis orta super curia Baczkow inter Abbatem Willemovienſem, & quendam Peſſiconem de Pelſtrow armigerum, facta per arbitrum Abbatem Podlazicenſem Lithomiſchlenſis Dioceſis dd. die 19. *Maji Anno* 1399.

Nos *Bartolomeus* Divina miſeracione Abbas monaſterii *Podlazicenſis* (*l*) Ordinis Sancti Benedicti *Luthomiſslenſis* Dioceſis. Ad futuram rei memoriam tenore preſentium recognoſcimus univerſis tam preſentibus quam poſteris, quod cum quedam lis, cauſa, & queſtio inter Venerabiles viros Dominos *Nicolaum* Abbatem, totumque Conventum monaſterii in *Willemow* Ordininis Sancti *Benedicti* Pragenſis dioceſis, ex una; & famoſum virum *Peſſiconem de Pelſtrow* armigerum parte ex altera occaſione curie in villa *Baczkow* ſite, & pertinenciarum ipſius mota fuiſſet, & exorta, nobisque per dictas partes hinc inde cum inſtancia debita ſupplicatum fuiſſet, ut ſe de dicta cauſa, lite, & queſtione intromittere, & nomine arbitri ipſis finem debitum imponere curaremus. Nos vero propter bonum pacis & concordie, ac peticionibus ipſorum inclinati, aſſumpto onere arbitrii hujusmodi in nos, terminum dictis partibus competentem diem date preſencium in monaſterio Willemow ſtatuimus coram nobis ad comparendum, quo termino veniente auditis dictarum partium propoſicionibus, & allegationibus hinc inde & reſponſionibus factis, viſis etiam literis privilegii ſuper dicta curia confectis, & eisdem plene intellectis, & maſticatis, habito deſuper ſapientum & jurisperitorum conſilio, recepta nihilominus a dictis partibus de obſervandis pronunciationibus & mandatis noſtris ſub certa pecuniarum ſumma ſufficienti fidejuſſoria cautione, pronunciavimus, decrevimus, diffinivimus, & arbitrati ſumus in hunc modum, videlicet, quod prefati Abbas, & Conventus predicto *Peſſiconi* XXIV. ſexagenas groſſorum denariorum Pragenſium pro exſolucione curie predicte in *Baczkow* cum pertineneiis ipſius univerſis, & quatuor ſexagenas eorundem groſſorum pro ſeminibus eſtivalibus, & hiemalibus diviſim, ſcilicet intra unum menſem XIV.

(*l*) Et iſtud monaſterium Huſſitarum rabie abolitum, cujus rudera aliqua adhuc ſpectantur; haud longe diſſitum Chraſtio æſtivali ſede Epiſcoporum Reginohradecenſium. Paucæ ſuperſunt hujus monaſterii chartæ, quarum vix decem in Collectione mea Diplomatarii Benedictini reperio.

ſexagenas groſſorum, & infra alium menſem deinceps venturum ſimiliter XIV. ſexagenas dare debeant, & aſſignare, ſine omni dilatione. Ipſe quoque *Peſſico* de dicta curia & pertinentiis ſuis, & ſeminibus hyemalibus & eſtivalibus, & cum omnibus ſtructuris & edificiis prefatis Abbati & Conventui, ac ipſorum monaſterio cedere debeat, & omnino reſignare, nullo amplius ſibi, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis jure in dicta curia competente, & hoc infra octo dies a data pronunciacione continue computandos. Litera Privilegii ſuper dicta curia confecta ipſis Abbati & Conventui omnimode reſtituta. Quam quidem pronunciacionem, & diffinicionem noſtram dicte partes ratam & gratam hinc inde tenentes, & inviolabiliter obſervantes, petierunt ipſis per nos preſentes literas fieri, & ſigillis noſtris, & nobilium ac famoſorum virorum Dominorum *Jodoci de Lethonicz*, alias *de Ronow*, *Peſſiconis de Pelſtrow*, *Georgii de Bdolen*, & *Boleſhonis de Kimonila* roborari. Igitur nos *Bartholomeus* Abbas predictus, *Jodocus de Ronow*, alias de *Lethonicz*, *Peſſico de Pelſtrow*, *Georgius de Bdolen*, & *Boletho de Kimonila* ad petitionem dictarum partium ſigilla noſtra preſentibus appendenda duximus in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum. Datum & actum in monaſterio Willemow, anno Domini milleſimo trecenteſimo, nonageſimo nono, feria ſecunda poſt feſtum *Penthecoſten*, die XIX. menſis *Maji*.

LVI.

Transactio per Arbitros, de quadam ſylva in ferreis montibus ſita prope villam Cladcrub inter monaſterium Willomovienſe & quosdam Nobiles. dd. Wylemow feria quinta in Octava Aſcenſionis Domini A. 1401.

Nos *Miſtislaus* dictus *Zubak de Cladcrub*, *Wilhelmus* dictus *Zubak de Chruſtow*, *Nicolaus*, *Wenceslaus*, & *Nedaſſco* filii *Zubakonis*, predicti de *Cladcrub*; Recognoſcimus tenore preſencium univerſis, tam preſentibus, quam futuris, quod cum quedam lis, cauſa, & controverſio inter nos, ratione cujusdam ſylve in montibus ferreis ſuper villa *Cladcrub* ſite, parte ex una, & venerabiles & religioſos viros, Dominos Abbatem, & Conventum monaſterii in Wilemow parte vertebatur ex altera, matura deliberatione, ac ſano amicorum noſtrorum prehabito conſilio, in famoſos & providos viros *Milotam de Klamoſs*, *Trojanum de Byeſtwina*, & *Johannem de Oſtruzna* tanquam arbitros, arbitratores, & amicabiles compoſitores de & ſuper hujusmodi cauſis, litibus, & controverſiis de alto, & baſſo hinc inde devenimus, dictas cauſas, lites, & controverſio-

nes,

nes, per ipſos finaliter terminandas, pronunciandas, & fine debito decidendas, promittentes bona & ſincera fide, omnes manu conjuncta in ſolidum, & indiviſa, & ſub puritate fidei noſtre, & honoris dictorum arbitrorum, & amicabilium compoſitorum, arbitracioni, pronunciacioni, laudo, & diffinicioni ſtare, obedire, & cum effectu adimplere, quidquid per ipſos pronunciatum fuerit, arbitratum, & diffinitum. Nos itaque *Milota de Klamoſs*, *Trojanus de Byeſtwina*, & *Johannes de Oſtruzna* propter bonum pacis, & concordie, & ad peticionem dictarum parcium nobis factam, aſſumpto honore arbitrii & compoſicionis hujusmodi in nos, communicato prius nobilium, & ſapientum virorum conſilio, maturo tractatu, viſis etiam parcium dictarum literis, privilegiis, & munimentis, quas hinc inde habebant, & eisdem equo libramine fideliter penſatis, & diſcuſſis, arbitrati ſumus, pronunciavimus, & diffinivimus in hunc modum videlicet, quod predicta ſilva, ſuper qua cauſa, lis, & controverſio vertebatur, ad prefatos Dominos Abbatem, & Conventum, & ipſorum monaſterium in Wilemow ſpectat, & pertinet, ſpectare & pertinere perpetuis futuris temporibus debet, ſine ipſorum *Zubaconum* heredum, & ſucceſſorum ſuorum quolibet impedimento, eisdemque ſuper occupacione dicte ſilve perpetuum ſilencium imponimus plenarie, & in toto, hoc duntaxat excluſo, quod Domini prefati Abbas & Conventus monaſterii predicti ſilvam hujusmodi vendiderint, & ſucciderint, ex tunc dicto *Miſtislao Zubak*, ſeu filiis ſuis predictis pro eadem ſucceſſione, & amplius non, quinque ſexagenas groſſorum denariorum Pragenſium dare debeant, & aſſignare. A cenſibus quoque per ipſum *Miſtislaum Zubak* de dicta villa *Cladcrub* retentis hucusque liber eſſe debeat, & ſolutus, ſed circa feſtum Sancti *Galli* proxime inſtantis incipiendo idem *Miſtislaus Zubak* heredes & ſucceſſores ſui de villa hujusmodi *Cladcrub* cenſus more ſolito in feſtis & terminis ſolvere debent, & tenentur, juxta tenorem privilegii ipſis ſuper eos contractu a monaſterio predicto dato, & conceſſo, ſub penis, pactis, & condicionibus in dicto ipſorum privilegio contentis, & expreſſis. Et nihilominus de metis aliis limitibus, ſeu finibus ſilvarum inter Ipſos *Zubacones* & homines monaſterii cenſuales vertentibus, & dicte ville *Cladcrub* adjacentibus, prefatus Dominus Abbas & Conventus juxta inquiſitionem fide dignorum & fidele ſcrutinium hominum ſeniorum ibidem circumſedencium metas & limites ſeu fines ſylvarum hujusmodi hinc inde demonſtrare debet, & in eisdem dicti *Zubacones*, he-

re-

redes, & ſucceſſores ipſorum ſtare debent contenti, nulla ſuper eo ſeu occaſione premiſſorum amplius queſtione, ſeu impeticione quomodolibet commovendo ſub penis ſuperius expreſſis, videlicet fidei & honoris. Quam quidem arbitrationem, pronuncciacionem, & diffinicionem dicte partes hinc inde ratam, ſgratam, atque firmam habuerunt, & tenuerunt, ac perpetue habere, ac tenere inviolabiliter promiſerunt ſub penis ſuperius annotatis. In cujus rei teſtimonium & majus firmamentum ſigilla noſtra ſcilicet *Miſtislai Zubak*, *Wilhelmi Zubak*, *Nicolai*, *Wenceslai*, *Nedaſſconis*, *Milote*, *Troyani* & *Johannis* preſentibus ſunt appenſa, in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum. Datum & actum in Wilemow, anno Domini milleſimo quadringenteſimo primo, feria quinta in octava Aſcenſionis Domini noſti *Jeſu Chriſti*.

LVII.

Confirmatio Boniſacii Pape noni ſuper Parrochialibus eccleſiis & earum proventibus in Swietla, Bojanow, Herzman, monaſterio Willemovienſi incorporatis. dd. Romæ X. Kalend. Octobris, Pontific. anno 12. *A.* 1401.

Boniſacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monaſterii in *Wylemow* Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exigit veſtre devocionis ſinceritas, & Religionis, ſub qua devotum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut petitiones veſtras, illas preſertim, que commodum & utilitatem veſtram, & monaſterii veſtri reſpicere dinoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, ad exaudicionis graciam favorabiliter admittamus. Hinc eſt, quod nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut hoſpitalitatem in veſtro monaſterio obſervari conſvetam obſervare, & alia incumbencia vobis onera ſupportare facilius valeatis, de alicujus ſubvencionis auxilio vobis providere volentes, in *Swietla*, & in *Boyanow*, ac in *Herzman Pragenſis* & *Lutbomiſslenſis* dioceſis Parrochiales eccleſias que de jure Patronatus dicti veſtri monaſterii exiſtunt, & quarum omnium triginta trium cum omnibus juribus, & pertinenciis ſuis dicto veſtro monaſterio, cujus trecentarum marcharum argenti puri fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimacionem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, auctoritate Apoſtolica tenore preſencium perpetuo incorporamus, annectimus,

&

& unimus. Ita quod cedentibus vel decedentibus dilectis filiis Rectoribus earundem ecclesiarum, qui nunc sunt, aut alias ipsas ecclesias quomodolibet dimittentibus, liceat vobis corporalem possessionem singularum ipsarum ecclesiarum, juriumque & pertinenciarum earundem auctoritate propria libere apprehendere, ac in usus vestros perpetuo retinere, nec non fructus, redditus & proventus ipsarum ecclesiarum in supportacionem eorundem onerum deputare, ipsasque singulas ecclesias, & curam parrochianorum earundem per ydoneos Presbyteros Monachos dicti vestri monasterii per Abbatem ejusdem vestri monasterii pro tempore existentem duntaxat, & ad ejus nutum in singulis ecclesiis ipsis ponendos, & removendos regi facere libere valeatis, Diocesani loci pro tempore existentis, & cujuscunque alterius licencia seu consensu super hoc minime requisitis; Ita tamen, quod propterea solitus ministrorum numerus in eisdem ecclesiis nullatenus minuatur, sed inibi deserviatur laudabiliter in divinis, & hujusmodi cura diligenter exerceatur, ut fieri est hactenus convetum, quodque vos jura episcopalia, & alia ipsarum ecclesiarum onera consueta teneamini supportare, non obstantibus constitutionibus, & ordinacionibus Apostolicis editis, ac statutis, & consuetudinibus monasterii & Ordinis predictorum contrariis quibuscunque; seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales Apostolice Sedis vel Legatorum ejus literas impetrarint, eciamsi per eas ad inhibicionem, reservacionem & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas, & processus habitos per easdem ad predictas ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem ecclesiarum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet literis, indulgenciis & privilegiis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum haberi debeat in nostris literis mencio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super hys a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum *Rome* apud Sanctum *Petrum* X. Kalendas *Octobris* Pontificatus nostri anno duodecimo.

LVIII.

LVIII.

Innocentius VII. demandat Abbati Brzewnovienſi, ut Bernardum Religioſum monaſterii Willemovienſis inſtituat, & inſtallet Rectorem Parochialis eccleſiæ in Wallicz. dd. XI. Kalend. Junii Pontific. anno I. id eſt 1404. Habetur excuſum Tomo IV. Monument. meorum p. 397.

LIX.

Finder de Czaslawia & Andreas de Budeczicz emerunt jure emphyteutico duos laneos agrorum in terris monaſterii Willemovienſis loco Laczicz dicto. dd. Willemow die S. Valentini A. 1405. (*m*)

LX.

Inſtrumentum publicum concernens ſententiam in cauſa impetitionis & turbationis bonorum monaſterii in Willemow. dd. XXVIII. Januarii A. 1406.

In nomine Domini, Amen. Dudum Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Dominus *Bonifacius* felicis recordacionis Papa nonus Honorabilibus & Religioſis viris, Dominis Abbati & Conventui monaſterii in Wylemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis literas Apoſtolicas confirmatorias conceſſit gracioſe, quarum literarum Apoſtolicarum principium ſequitur, & eſt tale: *Bonifacius* Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis . . Sancti *Vincentii* extra muros *Wratislavienſes*, & & . . *Scotorum* in *Wienna Patavienſis* Dioceſis monaſteriorum Abbatibus, ac Prepoſito Sancti *Egidy* eccleſie Pragenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Militanti eccleſie licet immeriti, diſponente Domino preſidentes circa curam eccleſiarum, & monaſteriorum cum ſolertia reddimur indefeſſa ſoliciti, ut juxta debitum Paſtoralis officii eorum occurramus diſpendiis, & profectibus Divina cooperante clementia ſalubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum . . Abbatis, & Conventus monaſterii in Wylemow Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis con-

(*m*) Inſtrumentum vernaculum eſt, nihil prorſus memoria dignum continens cujus itaque hic argumentum dediſſe ſufficiat.

conqueſtione, percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique eccleſiarum, & monaſteriorum Prelati, & Clerici, ac eccleſiaſtice perſone tam religioſe, quam ſeculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, milites, & layci, communia (*n*) quoque civitatum, univerſitatum, oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum, & alie ſingulares perſone civitatum & Dioceſium, & aliarum diverſarum partium occuparunt, & occupari fecerunt caſtra, villas, & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, jura, & jurisdicciones, nec non fructus, cenſus, redditus, & proventus dicti ſtudii, & nonnulla alia mobilia, & immobilia, ſpiritualia, & temporalia ad Abbatem & Conventum predictos ſpectantia, & ea detinent indebite occupata, ſeu ea detinentibus parant auxilium, conſilium, vel favorem, nonnulli eciam Civitatum, Dioceſium, & parcium predictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem Abbati & Conventui ſuper predictis caſtris, villis, & locis aliis, terris, domibus, poſſeſſionibus, juribus, & jurisdiccionibus, fructibus, cenſibus, redditibus, & pertinentibus, & quibuscunque aliis bonis mobilibus, & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus, ac aliis rebus ad eosdem Abbatem & Conventum ſpectantibus multiplices moleſtias, & injurias inferunt, & jacturas. Quare dicti Abbas, & Conventus nobis humiliter ſupplicarunt, ut, cum eis valde reddatur difficile, pro ſingulis querelis ad Sedem Apoſtolicam habere recurſum, providere ipſis paterna providencia curaremus. Nos igitur adverſus occupatores, detentores, preſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujusmodi, illo volentes eisdem Abbati & Conventui remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia precludatur, diſcrecioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos vel alium, ſeu alios, eciam ſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis, Conſervatores & Judices prefatis Abbati, & Conventui, & monaſterio efficacis defenſionis preſidio aſſiſtentes, non permittatis eosdem ſuper hys & quibuslibet aliis bonis & juribus ad Abbatem & Conventum & monaſterium predictos ſpectantibus ab eisdem, vel quibusvis aliis indebite moleſtari, vel gravamina eis, ſeu dampna, vel injurias irrogari, facturi dictis Abbati & Conventui, cum ab eis vel procuratoribus ſuis

(*n*) Id eſt: Communitates.

aut eorum aliquo, fueritis requiſiti, de predictis, & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione hujusmodi caſtrorum, villarum, terrarum, domorum, & aliorum locorum, jurisdiccionum, jurium, & bonorum mobilium, & immobilium, reddituum quoque & proventuum, & aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuscunque moleſtiis, injuriis, atque dampnis preſentibus & futuris, in illis videlicet, que judicialem requirunt indaginem, ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura Judicii, in aliis locis vero prout qualitas eorum exegerit juſticie complementum, occupatores, detentores, preſumptores, moleſtatores, & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles cujuscunque dignitatis, ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocunque & quociescunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam appellacione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus his tam felicis recordacionis *Bonifacii* Pape octavi Predeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem & dioceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine dioceſis ſue ad judicium evocetur, ſeu ne Judices, & Conſervatores a ſede deputati predicta extra civitatem & dioceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine dioceſis eorundem trahere preſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis extra ſuam civitatem & dioceſim auctoritate preſencium non trahatur; ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & violenciis, & aliis, que judicialem exigunt indaginem, penis, in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes, adjectis, ſe conſervatores nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque conſtitucionibus, a predeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judibus delegatis, & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum ad Judicium non vocandis, aut aliis editis, que veſtre poſſent in hac parte jurisdiccioni, aut poteſtati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a predicta ſit ſede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, & eorum perſonis, locis, & ordinibus, & nominibus propriis mencionem, & qualibet alia dicte ſedis indulgencia generali vel ſpeciali, cujuscunque tenoris exi-

exiſtat, per quam preſentibus non veſtrum proſequi valeat articulum, eciam per alium inchoatum, quamvis eidem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a data preſencium ſit vobis, & unicuique veſtrum in premiſſis omnibus, & eorum ſingulis ceptis, & non ceptis, preſentibus, & futuris perpetua poteſtas & jurisdiccio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in premiſſis omnibus ceptis, & non ceptis preſentibus, & futuris, & pro predictis procedere, ac ſi predicta omnia, & ſingula coram nobis cepta fuiſſent, & jurisdiccio noſtra, & cujuslibet veſtrum in premiſſis omnibus, & ſingulis per citacionem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet, conſtitucione predicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante, preſentibus poſt decennium minime valituris. Datum *Rome* apud Sanctum *Petrum* XVI. Kalendas *Maji*, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Vigore quarum literarum Apoſtolicarum honorabiiis vir Dominus Dominus *Vitko* Prepoſitus eccleſie Sancti *Egidy* Pragenſis judex, Conſervator jurium, & privilegiorum Dominorum Abbatis & Conventus monaſterii in *Wylemow* predictorum una cum aliis certis ſuis in hac parte Collegis, cum illa clauſula, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos vel alium, ſeu alios &c. a Sede Apoſtolica delagatus, & ſpecialiter deputatus ad inſtanciam & requiſicionem dictorum Dominorum Abbatis & Conventus famoſum virum *Przibiconem de Sazawa* armigerum Pragenſis Dioceſis citari mandavit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo prefatus Dominus *Vitko* ex certis cauſis animum ſum moventibus, & quia cognicioni cauſarum intendere non valet, omnes & ſingulas cauſas, quas predicti Domini Abbas & Conventus quibuscunque perſonis movent, aut movere intendunt, nobis *Blaſio* dicto *Lupus* Decano eccleſie *Omnium Sanctorum* in caſtro Pragenſi ſubdelegavit, & commiſit audiendas, & debito fine terminandas, cum clauſula tamen, donec eas ad ſe duxerit revocandas.

Nos igitur *Blaſius* dictus *Lupus* Decanus, Judex, & Subconſervator predictus, dictis partibus coram nobis in judicio comparentibus, prefatis Dominis Abbati, & Conventui monaſterii predicti ad audiendum, dandum, & offerendum, ac dari & offerri videndum libellum ſuum con-

tra prefatum *Przibiconem de Sazawa* certum peremptorium terminum duximus ſtatuendum, in quo honorabilis Vir Magiſter *Petrus* Advocatus, Conſiſtorii Pragenſis Syndicus, Procurator, ac Syndicatus & Procurature nomine, de cujus Syndicatus, ac procuracionis mandato conſtat per acta cauſe preſentis, libellum ſuum contra prefatum *Przibiconem* in ſcriptis obtulit hujusmodi ſub tenore: Coram nobis honorabili viro Domino & Magiſtro *Blaſio* dicto *Lupus*, Decano eccleſie *Omnium Sanctorum* in caſtro Pragenſi Judice, & Subconſervatore jurium & privilegiorum honorabilium virorum Dominorum Abbatis & Conventus monaſterii in *Wylemow Pragenſis* Dioceſis a Venerabili viro Domino *Witkone de Czernczicz* Prepoſito eccleſie Sancti *Egidy* Pragenſis Judice, Conſervatore principali predictorum Dominorum Abbatis & Conventus, una cum certis noſtris in hac parte Collegis, & cum illa clauſula, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios &c. a Sede Apoſtolica ſpecialiter delegato, ſubdelegato, Syndicus, Procurator, ſyndicatus, & procuratorio nomine honorabilium virorum, Dominorum Abbatis, & Conventus monaſterii in *Wylemow* contra & adverſus *Przibiconem* Armigerum de *Sazawa*, quod licet felicis recordacionis *Michalko* armiger de *Budiczonicz* ſpecialem graciam habens ad prefatos Abbatem & Conventum, bona ipſius omnia & ſingula, & ſignanter medietatem ville dicte *Zeruſſina* cum univerſis pertinenciis ſuis de jure competentibus racione veri & legitimi teſtamenti pro remedio anime ſue & predeceſſorum ſuorum, prefatis Dominis Abbati, & Conventui donaſſet, legaſſet, ac pie dari deputaſſet, ac eciam literas ſeu privilegia ſuper dictis bonis habita dictis Dominis, & ad manus ipſorum tradidiſſet, & aſſignaſſet, & quamvis prefati Domini Abbas & Conventus poſt mortem prefati *Michalczonis* in poſſeſſione bonorum hujusmodi fuiſſent, & eſſent, tamen predictus *Przibico* animo injurandi, & injurioſe predictam villam *Zeruſſna* cum nonnullis complicibus ſuis manu armata temere intravit, & ibidem cenſus, & alias utilitates & proventus, ab hominibus, & cenſualibus ville hujusmodi, ſcilicet robotis meſſis, pullis, & per minas & captivacionem hominum graviter extorſit per duos annos continuos in magnum prejudicium dictorum Dominorum atque dampnum, propter quod damnificati ſunt, & eorum intereſt in duodecim ſexagenis groſſorum, & ultra; Quare petit Syndicus, Procurator, & Syndicatus & procuratorio nomine dictorum Dominorum Abbatis & Conventus mo-

monaſterii in *Wylemow*, ipſius monaſterium per vos Honorandum Dominum Judicem ſupraſcriptum pronunciari, decerni, & declarari prefatum *Przibiconem* ab impeticione, & turbacione hominum cenſitorum medietatem ville in *Zeruſſna* ad dictos Dominos Abbatem & Conventum ſpectantem, nec non ad dandum, ſolvendum, & aſſignandum duodecim ſexagenas groſſorum Pragenſium racione dampnorum & cenſuum perceptorum a cenſitis, & villicanis ville *Zeruſſna* predicte dictis Dominis Abbati, & Conventui monaſterii predicti fore cogendum, compellendum, & condempnandum, cogi, compelli, & condempnari debere ad premiſſa, & quodlibet premiſſorum, veſtra diffinitiva ſentencia mediante, ad hoc veſtrum officium benignum humiliter implorando, ac juſticie poſtulans complementum; petit inſuper expenſas in litem factas, & de faciendis proteſtatur, ſalvo jure addendi, minuendi &c. & aliis juribus, & beneficiis manentibus ſibi ſemper ſalvis. Ad quem libellum honorabilis vir Magiſter *Jacobinus* Procurator, & procuratorio nomine dicti *Przibiconis*, de cujus procuracionis mandato ſimiliter conſtat per acta cauſe preſentis, ſalvis juribus & defenſionibus loco & tempore dandis, & proponendis reſpondit libello preſcripto negando narrata, prout narrantur, dicens, petita fieri non debere animo litem conteſtandi, a quibus procuratoribus de calumnia ac malicia vitanda, ac de veritate dicenda, & ſuper omnibus capitulis in juramento calumpnie contentis ſolita recepimus juramenta, datisque poſtmodum pro parte dictorum Dominorum Abbatis & Conventus nonnullis poſicionibus & articulis, & ad easdem certis factis reſponſionibus, nonnullisque teſtibus pro parte dictorum Dominorum Abbatis & Conventus in partibus coram Commiſſariis, & commiſſione noſtra ſpeciali ſucceſſive pro omnibus dilacionibus productis, & ab ipſis de veritate dicenda ad imaginem Crucifixi Salvatoris noſtri per eos corporaliter tactam, ſolitis, & receptis juramentis, ipſisque ſecrete & ſingillatim examinatis, & ipſorum dictis, & uniuscujusque nominatim & ſpecifice in ſcriptis redactis, & reportatis, ac tandem publicatis; Contra quorum teſtium dicta & perſonas *Magiſter Jacubinus* quo ſupra nomine chartam excepcionis in ſcriptis obtulit. Contra quam ſimiliter in ſcriptis fuit replicatum, dupplicacione generali, & verbali ſubſecuta; tandem ad producendum, & produci videndum omnia & ſingula, quibus dicte partes uti vellent, in preſenti cauſa certum peremptorium competentem terminum duximus ſtatuendum, in quo ter-

termino prefatus Magiſter, Procurator, & ſyndicatus, & procuratorio nomine dictorum Abbatis & Conventus monaſterii in *Wilemow* nonnullis inſtrumentis, & privilegiis, & immunitatibus productis, contra que Magiſter *Jacobinus* Procurator generaliter verbo, & ſine ſcriptis excepit. Tandem ipſis partibus ad concludendum, & concludi videndum in cauſa preſenti, vel dicendum cauſam racionabilem, quare concludi non debeat, certum peremptorium terminum competentem duximus ſtatuendum, in quo termino ad peticionem dictarum partium dum nil in oppoſitum allegarent in cauſa preſenti concluſimus, et in ipſa hujusmodi pro concluſo, prout ea omnia et ſingula in actis actitatis coram nobis habitis et conſcriptis, plenius, et lucidius noſcuntur contineri.

Nos itaque *Blaſius* dictus *Lupus*, Decanus eccleſie *Omnium Sanctorum* in caſtro Pragenſi judex predictus ipſius cauſe meritis viſis, et de conſilio jurisperitorum diſcuſſis, memoratis procuratoribus pro audienda per nos ferri ſentencia, vel dicendum cauſam racionabilem, quare ferri non debeat coram nobis evocatis, et in judicio comparentibus, nullamque cauſam, quare hujusmodi ſentencia ferri non debeat, allegantibus, ſed eandem cum inſtancia ferri poſtulantibus, ipſam ſententiam diffinivam in hujusmodi cauſa tulimus, et promulgavimus in ſcriptis per omnia in hec verba: *Criſti* nomine invocato, pro tribunali ſedentes, et habentes pre oculis ſolum Deum per hanc noſtram ſenteneiam diffinitivam pronunciamus, decernimus, et declaramus dictum *Przibiconem de Sazawa* ab impeticione, et turbacione hominum cenſitarum medietatis ville in *Zeruſſna* ad dictos Dominos Abbatem et Conventum ſpectancium, nec non ad dandum, ſolvendum, et aſſignandum duodecim ſexagenas groſſorum Pragenſium racione dampnorum, et cenſuum percepcione a cenſitis et villanis ville *Zeruſſna* predictis Dominis Abbati, et Conventui, et ex cauſa in libello ipſorum expreſſa fore cogendos, cogendum, compellendum, et condempnandum cogimus, compellimus, et condempnamus ſentencialiter et diffinitive in hys ſcriptis, condempnantes nihilominus prefatum *Przibiconem* in perſona Magiſtri *Jacobini* Procuratoris ipſius pro eo, dictis Dominis Abbati, et Conventui, et Magiſtro *Petro* Syndico Procuratori ipſorum pro eis in litis legitimis expenſis, quarum nobis taxam impoſterum reſervamus. Ab aliis autem in dicto libello petitis dictum *Przibiconem* abſolvimus in hys ſcriptis. In quo-

rum

rum omnium teſtimonium et robur preſentes literas, ſeu preſens publicum Inſtrumentum hujusmodi ſententiam diffinitivam in ſe continens, ſeu continentes per Notarium Publicum infra ſcriptum ſcribi & publicari mandavimus, noſtrique appenſione ſigilli juſſimus communiri. Lecta lata, & inſcriptis promulgata per nos *Blaſium* dictum *Lupus* Decanum, & Judicem ſupradictum, in domo Decanatus noſtri, ſub anno Domini milleſimo, quadringenteſimo ſexto, Indiccione quarta decima, die viceſima octava menſe *Januarii* hora terciarum vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in *Chriſto* Patris & Domini noſtri Domini *Innocencii* Divina providencia Pape VII. anno ſecundo. Preſentibus Honorabilibus, & diſcretis viris Dominis & Magiſtris *Wenceslao de Melnico*, *Vito de Dobrzano*, Advocatis *Thoma de Nova Domo*, *Slawcone de Jarohmericz*, *Johanne Orben*, & *Wenceslao de Polen*. Procuratoribus generalibus cauſarum Conſiſtorii Pragenſis, teſtibus circa premiſſa &c.

Et ego *Martinus* natus quondam *Galli de Tirnavia Olomucenſis* Dioceſis Publicus Imperiali Auctoritate Notarius predicte terminorum obſervacioni, ſentencie diffinitive, Preleccioni, ac omnibus aliis & ſingulis ſupra ſcriptis, dum ſic, ut premittitur coram dicto Domino, & Magiſtro *Blaſio* dicto *Lupus*, Decano, Judice, Sub-conſervatore, ac per eum fierent, & agerentur, una cum prenominatis teſtibus preſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi, & audivi, occupatusque circa ardua, per alium fideliter ſcribi feci, me hic manu propria ſubſcribens publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis, & conſuetis, una cum appenſione ſigilli memorati Domini *Blaſii Lupus* Judicis de ipſius auctoritate & mandato conſignavi rogatus, & requiſitus. In fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum &c.

LXI.

Civium de Chotieborz ceſſio voluntaria quorundam agrorum facta Willemovienſi monaſterio dd. ante Penthecoſten A. 1406.

Nos *Mathias* dictus *Samochowecz* Capitaneus in *Chotieborz*, *Cumannus* Judex, *Kuch*, *Hykl* major, *Hykl* minor, *Mathias*, *Petr Hodyn*, *Wenczel* Piſtor, *Hanuſs* Doleator, *Henzl Patek*, *Nicolaus de Kerzkow*, *Jakeſs*, *Wanyk Koblaſa*, *Wanyk Drubanowsky*, pro tunc conſules civitatis ejusdem in *Chotieborz*; Notum facimus tenore preſencium univerſis, tam

tam preſentibus, quam futuris, quod nos ſano conſilio, & matura deliberatione inter nos ſimul prehabitis, de & ſuper materia queſtionis litium ac controverſiarum quarumcunque jam dudum exorta, que occaſione agrorum quorundam vulgariter *Dyedíny* nuncupatorum, & adjacentium prope villam in campo *Swynne* inter nos ex una, & Venerabilem in Criſto Patrem ac Dominum Dominum *Nicolaum* Abbatem monaſterii in Wylemow vertebatur, ſeu verti ſperabatur parte ex altera, volentesque parcere laboribus, expenſis, & impenſis factis, & imposterum fiendis, cum prefato Domino Abbate finalem inivimus concordiam, ſumusque amicabiliter concordati cum eodem, ita videlicet, quod ipſe Dominus Abbas dictos agros una cum culpis Judiciis, robotis, devolucionibus, vulgariter *Odumrty* nuncupatis, & cum univerſis, & ſingulis emergenciis, ad eosdem agros quovismodo pertinentibus teneat, habeat, & poſſideat jure dicti dominii, & proprietatis, tanquam verus, & legitimus Dominus ipſorum agrorum, ſine ullo penitus impedimento, & ſucceſſores ipſius, qui pro tunc fuerint, Abbates monaſterii ſupra ſcripti, de quibus quidem agris ſibi ſponte & libere condeſcendimus, promittentes bona noſtra fide ſine dolo quovis malo, dictam concordiam inter nos, ut premittitur, factam, ratam gratam, atque firmam perpetuo tenere, ipſamque ſub puritate fidei, & honoris inviolabiliter obſervare, cedentes, & renunciantes tacite & expreſſe omnibus excepcionibus, litibus, juribus, accionibus, & defenſionibus, privilegiis, & munimentis quibuscunque ad hujusmodi cauſam ſpectantibus quovismodo, que nobis ſuffragari poſſent in hac parte, de jure, vel de facto, vel per que effectus dicte concordie differri poſſit, vel etiam quomodolibet impediri, quod contra dictam concordiam ipſorum pretextu nunquam contraveniemus, contraque ipſam non appellabimus, nec appellationem proſequemur, nullum reſcriptum per ſe, alium, vel per alios impetrabimus, nec impetrato, ac cujusvis legis, Canonis, ſtatuti, vel conſuetudinis beneficio utemur, quod variet, ſeu viciet, & variare, vel viciare dictam concordiam valeat, & infirmare, que omnia & ſingula bona noſtra fide promittimus inviolabiliter obſervare. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium premiſſorum, ac robur perpetuo valiturum, ſigilla noſtra Capitanei preſcripti, & conſulum civitatis ante dicte de certa noſtra ſciencia, nec non famoſorum virorum *Procopii de Jenikow*, *Jankonis de Ruſſinow*, & *Johannis de Oſtruzna* ad inſtantes

pre-

preces noſtras preſentibus ſunt appenſa; Acta ſunt hec anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto ante *Pentbecoſten.*

LXII.

Literæ, quibus Naczko Abbas & Conventus Trebecenſis dat poteſtatem Nicolao Abbati Milovicenſi ejusque Conventni redimendi elenodia oppignonata. dd. feria II. poſt diem S. Jacobi anno 1409. Habetur excuſum Tomo IV. Monument. meorum p. 401.

LXIII.

Recognitio Nicolai Hrzebecz ſuper transactione cum Abbate Nicolao (Myxa) per arbitros facta, præſtitaque ſibi ſolutione dd. die Dominica ante Pentecoſten anno 1412. (o)

LXIV.

Transactio litis facta per arbitros inter Aleſch de Czeboſſcz & Nicolaum Abbatem Willemovienſem ratione villæ Smrdow dd. Kuttenbergæ die Jovis poſt feſtum Exaltationis S. Crucis 1418. vernaculum.

LXV.

Inſtrumentum publicum Abbatis Gradicenſis ſuper Bulla Joannis Papæ concernente inveſtituram Martini Religioſi Willemovienſis in Leupartitz dd. in monaſterio Gradicenſi XXIV. Octobris anno 1428. Excuſum Tomo IV. Monum. meorum p. 405.

LXVI.

Transactio litis per arbitros facta inter Nicolaum Abbatem Willemovienſem & Mixe ſeu Nicolaum de Hrzebecz de quibusdam fundis, dd. die S. Priſcæ 1419. *Den Swate Pryſsky.* vernaculum.

(o) Inſtrumentum vernaculum eſt, hoc unum ſolumque memorabile habens quod appenſum ſigillum prodat Abbatem in inſtrumento hoc Myxa appellari: *s duoſloynym Knezem Myxem Opatbem* &c cum in altero *Mikulaſi* Nicolaus appelletur. In Libris Erectionum Volum. X. H. 7. p. 207. habetur & alia memoria ejusdem Nicolai

LXVII.

Sigismundus Rex Boemiæ indulget monaſterio Willemovienſi, ut liceat pro exſolvendis debitis vendere aliquot cenſus annuos, cum pacto quandocunque redimendi. dd. Czaslaviæ feria quinta poſt feſtum Sancti Bartholomæi anno 1420.

Sigismundus Dei Gracia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, ac *Hungarie*, *Boemie*, *Dalmacie*, *Croacie* &c. Rex: Notum facimus tenore preſencium univerſis; Quod ad hoc, ut Religioſi Abbas, & Conventus monaſterii in Willemow devoti noſtri dilecti, gravia debitorum onera, quibus noſcuntur non modice involuti, aliqualiter evadere, ſuosque creditores contentos reddere valeant, atque poſſint, ipſis animo deliberato, & certa noſtra ſciencia facimus, & indulſimus, favemus, & virtute preſencium auctoritate Regia *Boemie* graciosius indulgemus, plenum ad hoc noſtrum prebentes cenſum, ut ipſi ſuper bonis monaſterii ſui predicti cenſus usque ad ſummam trecentarum ſexagenarum groſſorum Pragenſium ad redempcionem poſſint vendere perſonis quibuscunque, decernentes, quod perſone, que ab ipſis hujusmodi cenſus ſeu bona usque ad ſummam ſeu valorem trecentarum ſexagenarum groſſorum Pragenſium emerint, & comparaverint, eosdem cenſus ſeu bona juxta tenorem litere inter ipſos utrinque ſuper hoc conficiende, habere, tenere, & usque ad redempcionem debeant pacifice poſſidere, quodque iidem cenſus, ſeu bona, poſtquam ipſa pro dicta ſumma trecentis ſexagenis reemerint, ut prefertur, ad predictum monaſterium libere, & ſine impedimento quolibet revertuntur, impedimentis quorumlibet penitus procul motis. Datum *Czaslavie* (*p*) anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, feria quinta proxima poſt feſtum Sancti *Bartholomei* Apoſtoli, Regnorum noſtrorum anno *Hungarie* Regni trigeſimo quarto, *Romanorum* decimo, & *Boemie* primo.

Per. D. *Wenceslaum* de *Duba* Burggravium Pragenſem, Sub-Camerarium. *Michael* Canonicus Pragenſis.

LXVIII.

lai Abbatis his verbis: *Concordia inter D. Nicolaum Abbatem in Willemow & F. Brunonem profeſſum ejusdem monaſterii Plebanum in Walez, quantum Abbas & Conventus, & quantum Plebanus ex decimis &c. debeant percipere.* Hæc facta 1396. 25. Aug. referuntur 1416. 10. Jul. (*p*) Videlicet iſthic in caſtris.

LXVIII.

Martini Papæ V. commiſſio impoſita Stephano Abbati Wellegradenſi ſuper annullatione proceſſus in cauſa appellationis inter Coſtulum Abbatem Willemovienſem & quendam armigerum. dd. Romæ II. Nonas Julii anno 1427. Habetur excuſum Tomo IV. Monument. meorum p. 417.

LXIX.

Inſtrumentum publicum ſuper inveſtitura & confirmatione Nicolai Prioris in Plebanum eccleſiæ in Walecz per præſentationem Wenceslai Abbatis Willemovienſis. dd. Brunæ 1431. *die* 1 *Septemb.* Excuſum ibidem p. 419.

LXX.

Inſtitutio Plebani eccleſiæ in Uberczicz F. Martini Religioſi Willemovienſis ad præſentationem D. Wenceslai Abbatis Willemov. dd. Brunæ 22 *Martii* 1432. Excuſum ibidem p. 422.

LXXI.

Inſtrumentum publicum ſuper confirmatione electionis & inveſtitura Nicolai Abbatis Willemovienſis electi in Moravia in Uberez dd. Pragæ 17. *Maji* 1438. Excuſum ibidem p. 425.

LXXII.

Adminiſtratores Archiepiſcopatus Pragenſis indicunt proclamationem ſuper electione Nicolai Abbatis Willemovienſis per Compromiſſum factæ. dd. Novæ Plſnæ die 10 *Junii* 1453. Excuſum ibidem p. 440.

LXXIII.

Inſtrumentum Notarii Publici ſuper confirmatione & inveſtitura Simonis Præpoſiti Raybradenſis electi in Abbatem Willemovienſem dd. in Caſtro Pragenſi die 9. *Decembris* 1481. Excuſum ibid. p. 460.

LXXIV.

Wladislaus Rex Bohemiæ confirmat prærogativas, & jura ac donationes monasterii Willemovienſis. dd. Pragæ XXIII. Auguſti A. 1487.

Wladislaus Dei Gracia *Boemie* Rex, Marchio *Moravie*, *Luczemburgenſis* & *Slezie* Dux, ac *Luſacie* Marchio &c. Ad perpetuam rei memoriam. Criſtianis convenit Principibus, Sacro-Sanctis Eccleſiis, & locis religioſis, in quibus laus & gloria Regi celeſti exhibetur, eſſe peculiari auxilio, & favori, quo ſancte ceremonie liberius, atque devocius pro noſtra omniumque ſalute peragi poſſint. Hoc fieri animadvertimus, dum locis eisdem Religioſis, eorumque miniſtris dedicatis in ipſorum graciis, & libertatibus conſervandis, & confirmandis ſalubriter providetur. Sane itaque pro parte Religioſi *Symonis* Abbatis monaſterii Willemovienſis (q) Ordinis Sancti *Benedicti* atque ſui Conventus & Cenobii nomine devotorum noſtrorum dilectorum nobis humiliter exſtitit ſupplicatum, quatenus ipſis omnes & ſingulas gracias, libertates, donaciones, conceſſiones, prerogativas, privilegia, indulta, & jura univerſa, quas, & que olim Sereniſſimi *Romanorum & Boemie* Reges anteceſſores noſtri, atque alii *Criſti* fideles ipſi monaſterio, & cenobio dederunt, conceſſerunt, & contulerunt, approbare, ratificare, innovare, & confirmare dignaremur, nos vero ad honorem Dei, atque ob commodum dicti monaſterii votis hujusmodi gracioſe duximus annuendum. Igitur non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſano procerum, & aliorum noſtrorum fidelium accedente conſilio, de certa noſtra ſciencia, & auctoritate Regia omnes & ſingulas gracias, libertates, donaciones, privilegia, & jura univerſa eidem monaſterio ab anteceſſoribus noſtris Divis *Boemie* Regibus, ac Marchionibus *Maravie*, aliisque *Chriſti* fidelibus conceſſa & data in omnibus punctis, clauſulis, articulis & ſententiis ſuis taliter, ac ſi de verbo ad verbum preſentibus eſſent inſerta, approbamus, ratificamus, innovamus, & gracioſius confirmamus, decer-

(q) Is Simon prius fuerat Præpoſitus monaſterii Rayhradenſis, electus fuit ac inveſtitus Pragæ per Joannem de Kollowrath Adminiſtratorem Archiepiſcopatus Pragenſis anno 1481. die 9. Decembris, uti id fuſius docet Inſtrumentum Notarii Publici, quod T. IV. Monumentorum p. 460. vulgavimus.

cernentes eadem auctoritate Regia omnia, & singula in prefatis omnibus privilegiis & literis nominati monasterii Willemovienſis contenta, & expreſſa debere obtinere firmum, inconcuſſum, & inviolabile robur firmitatis perpetuis temporibus in futurum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmacionis, decreti, & indulti quovismodo infringere, aut ei quomodolibet auſu temerario contraire ſub pena indignacionis noſtre Regie, noſtrorumve ſucceſſorum, quam contra facientes noverint ſe irremiſſibiliter incurſuros. In quorum fidem & robur preſentes literas fieri, & ſigilli noſtri Regalis appenſione juſſimus communiri. Datum in Arce noſtra *Prage* die 23. menſis Auguſti, anno Domini milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo, Regni noſtri anno decimo ſeptimo.

Ad Relacionem Domini *Johannis de Sselnberg* Regni *Bohemie* Cancellarii.

LXXV.

Wladislaus Rex Boemie confirmat omnia jura & privilegia monaſterio Willemovienſi, & eidem incorporatæ Præpoſituræ Uberczicz in Moravia ſitæ, ſimulque jubet eidem reſtitui omnes terras ſine juſto titulo. dd. Pragæ 21 Junii A. 1490.

Wladislaus Dei Gracia *Boemie* Rex, *Marchio Moravie*, *Lucemburgenſis* & *Sleſie* Dux, ac *Luſacie* Marchio &c. Notum facimus tenore preſencium univerſis pro parte Religioſi *Nicolai* Abbatis Wylemovienſis (r) Ordinis Sancti *Benedicti*, & ſui Conventus nomine Majeſtati noſtre fuiſſe humiliter ſupplicatum, quatenus omnes literas, grcias, libertates & jura univerſa, & privilegia data & conceſſa eidem monaſterio, & incorporate ſibi Prepoſiture *Uberczicze* in Marchionatu noſtro *Moravie* ſituate a Divis Predeceſſoribus noſtris Regibus *Boemie*, & Marchionatus *Moravie* ex ſolita benignitate Regia innovare, approbare, ratificare, & confirmare dignaremur. Nos qui pie ſupplicancium vota benigna ſemper

(r) Eundem Abbatem adhuc 1499. ſuperſtitem fuiſſe teſtatum ſit ex alia charta jam a nobis T. IV. Monumentorum noſtrorum p. 475. vulgata, qua in Ladislaum de Boczkowicz ſupremum Moraviæ Mareſcalcum compromiſit ad litem definiendam, quæ inter ipſum & Joannem Boczek de Kunſtat ratione Juris Patronatus eccleſiæ in Walcz Olomucenſis Diœceſis ſuborta fuerat.

per aure admittimus, juſtis hujusmodi peticionibus favorabiliter duximus annuendum. Igitur non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato ex certa noſtra ſciencia auctoritate Regia, & Marchionali *Moravie*, omnes & ſingulas literas, gracias, libertates, privilegia, & jura univerſa prefato monaſterio, & Prepoſiture, a Divis Predeceſſoribus noſtris *Boemie* Regibus, & *Moravie* Marchionibus data & conceſſa, in omnibus ſuis punctis, articulis, clauſulis, & ſentenciis, ac ſi eorum tenores de verbo ad verbum noſtris literis eſſent inſerta, innovamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, decernentes, & expreſſe volentes omnia, & ſingula in jam dictis literis & privilegiis contenta, plenum, firmum, & inviolabile robur perpetuis temporibus obtinere. Supplemus inſuper de plenitudine Regie poteſtatis omnem defectum, qui premiſſis de jure, facto, vel conſuetudine quomodolibet obviare poſſit. Cupientes preterea ſepe dictos Abbatem & fratres uberiori noſtra gracia conſolari, volumus bona, & res ejusdem monaſterii, & Prepoſiture, que a quocunque ſine juſto titulo, aut ſine noſtrorum Anteceſſorum inſcriptione vel absque noſtra obligacione quomodolibet detinentur, ipſi Abbati, vel ſucceſſoribus ſuis, vel alteri, cui ab eo, vel ipſis mandatum fuerit, ſine mora, & contradictione reſtitui. Nolentes deinceps bona aut res ejusdem monaſterii, & Prepoſiture ad aliquod longum vel breve tempus, ſeu eciam in perpetuum, per nos, aut ſucceſſores noſtros alienari, impignorari, locari, abſtrahi, & inſcribi, ſeu quomodolibet alio titulo dimoveri. Si quid autem in contrarium per inadvertenciam, occupationem, aut petencium importunitatem a nobis, vel ſucceſſoribus noſtris impetratum fuerit quandocunque, id ex nunc prout ex tunc annullamus, caſſamus, irritamus, & nullius penitus roboris, firmitatis, & momenti eſſe decernimus, non obſtantibus Regni noſtri *Boemie*, & Marchionatus *Moravie* conſuetudinibus hys graciis quibuscunque. Mandamus igitur univerſis & ſingulis officialibus & ſubditis noſtris fidelibus dilectis, ut predictum Abbatem, ac ipſius ſucceſſores circa omnia predicta conſervent, protegant, manuteneant, atque defendant, nec eos ſuper hys, & in eorum bonis inquietari, turbari, vexari, moleſtarique per quempiam paciantur, ſeu permittant, prout indignacionem noſtram graviſſimam cupiunt ſollicite evitare. Preſencium ſub noſtri Regalis ſigilli appenſione teſtimonio literarum.

Da-

Datum in Arce noſtra *Prage*, die vigeſima prima menſis *Junii*, anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo, Regni noſtri anno decimo nono.

Ad relacionem Domini *Joannis de Sſelnbergk* Regni *Boemie* Cancellarii.

LXXVI.

Sententia Ladislai de Bozkovicz Camerarii ſupremi Moraviæ tanquam arbitri electi a Nicolao Abdate Willemovienſi ſuper Jure Patronatus eccleſiæ in Wolcz. dd. Brunæ die Veneris ante Dominicam Oculi 1497. Habetur excuſum Tomo IV. Monumentorum meorum p. 475.

LXXVII.

Inſtrumentum Publicum comprehendens ſententiam Papalem Excommunicationis, contra detentores monaſterii Willemovienſis. dd. Viennæ 3. Septembris A. 1515.

Chriſtophorus Tenngler Artium & Decretorum Doctor, ac Curie *Patavienſis* infra *Anaſum* in Spiritualibus Vicarius & Officialis Generalis Judex & Executor ad infra ſcripta, una cum quodam alio noſtro in hac parte Collega cum illa clauſula; Quod ſi non ambo &c. a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Prepoſitis, Decanis, Scolaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Succentoribus, tam Cathedralium quam Collegiatarum Canonicis, Parrochialiumque eccleſiarum Rectoribus, ſeu loca tenentibus eorundem Plebanis Vice-Plebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, Altariſtis, ceterisque Presbiteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus Publicis quibuscunque per Civitatem & Dioceſim Viennenſem, ac alias ubilibet conſtitutis, & eorum cuilibet in ſolidum, ac illi vel illis, ad quem, vel ad quos preſentes noſtre littere pervenerint, ſalutem in Domino. Noveritis literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini *Leonis* providencia Pape decimi, ejus vera Bulla plumbea cum cordula canapis more *Romane* Curie inpendente bullatas, ſanas ſiquidem & integras non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſceptas, ſed omni prorſus vicio, & ſuſpectione carentes, ut in eis prima facie apparebat, nobis pro parte Venerabilium Religioſorum Viro-

rorum, Dominorum Abbatis, & Conventus monaſterii Willemovienſis Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis principalium in infra ſcriptis literis Apoſtolicis nominatorum coram Notario Publico & teſtibus preſentatas, nos cum ea, qua decuit, reverencia recepiſſe, hujusmodi ſub tenore:

Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo *Aſtulanenſi*, & dilecto filio Officiali *Patavienſi* ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii Abbas & Conventus monaſterii Sanctorum *Petri & Pauli* Willemovienſis Ordinis Sancti *Benedicti* Pragenſis Dioceſis, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, Cruces, patenas, calices, vaſa aurea, argentea, veſtimenta, & paramenta eccleſiaſtica, brachii Sancti *Egidy* ornatum Jocalibus & ſigillo Abbatis ſigillatum, libros, literas, privilegia, & alia clenodia jocalia, (*s*) res & bona dicti monaſterii apud nonnulla alia monaſteria, ſeu perſonas, & loca tempore guerrarum in cuſtodiam, ſeu alias datas, & data nequiter occultando, & detinendo, & non reſtituendo, plura gravia dampna eis & in bonis dicti monaſterii nequiter intulerunt, & ad id faciendum auxilium, conſilium & favorem doloſe preſtiterunt, nec non decimas primicias, cenſus, fructus, redditus, proventus, poſſeſſiones, domos, ortos, terras, campos, prata, paſcua nemora, ſilvas, arbores, arborum fructus, auri argenti monetati, & non monetati, vini, bladi, frumenti, ordei, avene, cere, & aliarum rerum quantitates, annulos, zonas, perlas, lapides precioſos, & alia jocalia, libros, literas, inſtrumenta publica, obligaciones, quittancias, cedulas, notas, teſtamenta, codicillos, contractus, privilegia, donaciones, & alias ſcripturas publicas, & privatas, vaſa aurea, argentea, erea, cuprea, ferrea, & alia domorum utenſilia, veſtes, foderaturas, (*t*) tunicas, & alia veſtimenta, equos, oves, boves, vaccas, & alia animalia, debita, credita, legata, mutua, depoſita, jura, jurisdicciones, pecuniarum ſummas, & nonnulla alia mobilia, & immobilia bona ad dictum monaſterium legitime ſpectantia temere, & malicioſe occultare, & occulte detinere preſumunt, non curantes ea dictis ſignificantibus exhibere in animarum ſuarum periculum, & dictorum ſignificancium & monaſterii non modicum detrimentum, ſuper quo

(*s*) Manilia, gemmas aliasque res pretioſas. (*t*) Pelliceas veſtes.

quo dicti significantes Apostolice Sedis remedium implorarunt. Quocirca discrecioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes hujusmodi paramentorum ecclesiasticorum brachii Sancti *Egidy*, librorum, literarum, privilegiorum, & aliorum Clenodiorum jocalium, rerum, & bonorum occultatores, dampnorum illatores, auxilii, consilii, & favoris prestitores, nec non bonorum predictorum detentores occultos ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per vos, vel alium, seu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, ea dictis significantibus, a se debita restituant, & revelent, ac de ipsis, & dampnis hujusmodi plenam & debitam satisfactionem impendant, & si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeritis prefigendum, ex tunc in eos generalem excommucationis sententiam proferatis, & eam faciatis, ubi, & quando expedire videritis, usque ad satisfactionem condignam, solempniter publicari. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum *Rome* apud Sanctum *Petrum*, anno Incarnacionis Dominice millesimo, qningentesimo tercio decimo, Decimo Kalendas *Januarii*. Pontificatus nostri anno primo.

Post quarum quidem literarum Apostolicarum presentacionem, & receptionem, nobis & per nos, ut premittitur, factas, fuimus pro parte ipsorum Dominorum Abbatis & Conventus principalium in ipsis preinsertis literis Apostolicis principaliter nominatorum debita cum instancia requisiti, quatenus ad executionem earundem literarum Apostolicarum, & contentorum in eisdem procedere dignaremur, juxta traditam seu directam per eas a Sede Apostolica nobis formam.

Nos igitur *Christophorus Tenngler* Doctor, Officialis, Judex, & executor prefatus attendentes requisitionem hujusmodi, fore justam & consonam rationi, volentesque mandatum Apostolicum supra dictum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur; Idcirco auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte, attenta ipsarum literarum forma, vos omnes & singulos supradictos, quibus presens noster processus dirigitur, & vestrum quemlibet in solidum, tenore presentium requirimus, & monemus, primo, secundo, tercio, & peremptorie communiter, vel divisim, ac vobis, & vestrum cuilibet

in virtute ſancte obedientie, & ſub excommunicationis pena, quam canonica monitione premiſſa, in vos omnes & ſingulos ſupradictos, & veſtrum quemlibet fecimus in hiis ſcriptis, ſi ea, que vobis in hac parte committimus, & mandamus, neglexeritis contumaciter adimplere, diſtricte precipientes mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpacium poſt preſentationem, ſeu notificacionem ſuper hoc factam immediate ſequentium, ita tamen, quod unus veſtrum alterum non expectet, nec unus pro alio, ſeu per alium ſe excuſet, quorum ſex dierum, duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tercio & peremptorio termino ac monicione Canonica aſſignamus. Omnes & ſingulos hujusmodi paramentorum eccleſiaſticorum, brachii Sancti *Egidy*, librorum, literarum, privilegiorum, & aliorum clenodiorum, jocalium' rerum & bonorum occultatores, dampnorum illatores, auxilii, conſilii & favoris preſtitores, nec non aliorum bonorum in preinſertis literis Apoſtolicis deſignatorum, ad dictum monaſterium legitime ſpectantium, auctoritate noſtra, imo verius Apoſtolica palam & publice in eccleſiis & locis, de quibus fueritis pro parte ipſorum ſignificantium requiſiti, ubi & quando, & quotiens expediens fuerit, requiratis, & moneatis, quos nos etiam tenore preſentium requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie communiter vel diviſim, eisque nihilominus, & eorum cuilibet in ſolidum eisdem auctoritate & tenore in virtute ſancte obedientie, & ſub penis infra ſcriptis diſtricte percipientes mandamus, quatenus infra quindecim dierum ſpacium poſt monitionem, requiſitionem, ſeu notificacionem hujusmodi ſic factas, & poſtquam premiſſa ad eorum notitiam devenerint, immediate ſequenti, quorum quindecim dierum quinque pro primo, quinque pro ſecundo, & reliquos quinque dies pro tercio, & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus, omnia & ſingula res & bona in preinſertis literis Apoſtolicis deſignata, & ſpecificata, prefatis ſignificantibus reſtituant, & occulta revelent, ac de ipſis plenam & debitam ſatisfactionem impendant. Quod ſi forte infra hujusmodi quindecim dies omnia & ſingula, prout mandatur, non adimpleverint, mandatisque & monitionibus noſtris hujusmodi, imo verius Apoſtolicis non paruerint, tum effectum ipſos, & eorum quemlibet, palam & publice excommunicationis ſententiam feratis, quam nos lapſis hujusmodi quindecim diebus ferimus in hiis ſcriptis, ipſosque & eorum quemlibet palam & publice in eccleſiis, monaſteriis, capellis, locis eccleſiaſticis veſtris antedictis excommunicatos publicetis,

de-

denuncietis, ac denunciari faciatis, prout etiam ex nunc, prout ex tunc, & e converſo quindecim dierum canonica monitione premiſſa excommunicatos denunciamus, ac denunciari, ac declarari & publicari volumus, & mandamus, eciam tamdiu, donec, & quousque ad ſatisfactionem condignam de premiſſis cum eis ſignificantibus devenerint, & beneficium abſolutionis ſuper obtineant. Per proceſſum autem noſtrum nolumus, nec intendimus noſtro in hac parte College in aliquo prejudicare, quatenus tamen ipſe ſervato hoc noſtro proceſſu in hujusmodi negocio procedere valeat, & prout ei viſum fuerit expedire. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum, iqui prefatas noſtras ſententias, aut earum aliquam incurrerint, ſive incurrerit quoquomodo nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium premiſſorum, preſentes literas, ſive preſens publicum inſtrumentum, proceſſum in ſe continentem, ſive continens exinde fieri, & per Notarium Publicum infra ſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, ſigillique majoris curie *Patavienſis* predicte juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum *Wienne* in Curia Reverendiſſimi Domini *Patavienſis* in littore ſita, ſub anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo quintodecimo, Indictione tertia, die vero lune, tercia menſis *Septembris*, Pontificatus prefati Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini *Leonis* Divina providentia Pape decimi anno tercio. Preſentibus ibidem Venerabilibus & Diſcretis viris Magiſtro *Bartholomeo Penter*, & *Udalrico Wolff* Presbitero & Clerico *Patavienſis*, & *Eiſtetenſis* Dioceſis, teſtibus ad premiſſa vocatis, habitis & ſpecialiter requiſitis.

Et ego *Paulus Mullawer* Clericus *Patavienſis* Dioceſis Publicus ſacris Apoſtolica, & Imperiali Auctoritatibus Notarius, quia predictarum literarum Apoſtolicarum preſentationi, receptioni, & requiſitioni, omnibusque aliis & ſingulis, dum ſic, ut premittitur, dicerentur, agerentur, & fierent, una cum prenominatis teſtibus, preſens interfui, eaque omnia, & ſingula ſic fieri vidi, & audivi, ideo hoc preſens publicum Inſtrumentum manu mea propria ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis, una cum ſigilli majoris Officiatus curie predicte appenſione conſignavi, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum rogatus pariter, & legitime requiſitus.

LXXVIII.

Ferdinandi Bohemiæ Regis confirmatio libertatum, Privilegiorum, & jurium monaſterii Willemovienſis & Præpoſituræ in Uherczicz. dd. Brunæ die 11 *Aprilis anno* 1527.

Nos *Ferdinandus* Dei Gracia *Boemie, Hungarie, Dalmacie, Croacie* &c. Rex, Infans *Hiſpanie*, Archi Dux *Auſtrie*, Marchio *Moravie, Lucemburgenſis & Sleſie* Dux &c. Marchio *Luſacie* &c. &c. Ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore preſencium univerſis & ſingulis, quod accedens preſenciam noſtram Religioſus *Petrus* Abbas monaſterii Willemovienſis, (*u*) Ordinis Sancti *Benedicti* devotus fidelis nobis dilectus, nomine ſuo, & totius illius Conventus nobis humiliter ſupplicavit, quatenus omnes & ſingulas literas, gracias, libertates, privilegia, & jura univerſa, datas, & conceſſa eidem monaſterio, & incorporate ſibi Prepoſiture *Uherczice* in Marchionatu *Moravie* ſituate, a divis predeceſſoribus noſtris Regibus *Boemie*, & Marchionibus *Moravie* eximnata nobis clemencia innovare, approbare, ratificare, & confirmare dignaremur. Nos condignis eorum precibus moti, volentesque, ut per noſtram graciam cultus Divinus, cui nos plurimum afficimur, nedum conſervari, verum eciam creſcere, & augmentari poſſet. Igitur non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſano Procerum & fidelium, Noſtrorum ad id accedente conſilio, de certa noſtra ſciencia, auctoritate Regia, & tanquam Marchio *Moravie*, omnes & ſingulas literas, gracias, libertates, privilegia, & jura univerſa prefato monaſterio & Prepoſiture a Divis Predeceſſoribus noſtris *Boemie* Regibus, & Marchionibus *Moravie* conceſſa, & conceſſas approbamus, ratificamus, innovamus, & gracioſius confirmamus in omnibus punctis, articulis, clauſulis,

(*u*) Petrus iſte ultimus fuit Abbatum Willemovienſium, qui monaſterio ſuo jam Regii juris facto in Præpoſitura ſua Uherczicz usque ad annum 1506. reſedit, ſed cum Præpoſituram hanc per violentiam Baronum Moravicorum cedere cogeretur, eodem anno ad monaſterium Rayhradenſe conceſſit, ubi ultimum privatam vitam agens mortuus eſt. Amiſſis igitur rebus omnibus veroſimiliter Petrus jam tum vitam privatam Rayhradii agens, poſteritati juribusque monaſterii ſui etſi deleti conſulturus, confirmari ſibi fecit per Ferdinandum, tum imperium auſpicatum, jura & privilegia monaſterii ſui.

lis, ſententiis, non ſecus, ac ſi in literis noſtris de verbo ad verbum omnium tenores inſerti, & comprehenſi eſſent, habere volumus pro expreſſis; Decernentes, ac preſenti noſtro Regio, ac Marchionis *Moravie* Edicto firmiſſime conſtituentes, ut prenominatus Abbas cum Conventu ipſius ammodo & deinceps futuris perpetuis temporibus omnibus & ſingulis literis, graciis, libertatibus, privilegiis, & juribus univerſis ipſis ſic, ut premiſſum eſt, per Predeceſſores noſtros conceſſis in omnibus, & per omnia absque omni impedimento fruantur, & gaudeant. Vobis ſupremo Capitaneo, ceterisque Officialibus, ac Czudariis prefati Marchionatus *Moravie* diſtricte precipiendo mandamus, quatenus jam dictum Abbatem & Conventum in privilegiis & libertatibus ipſorum, ſic ſicuti premiſſum eſt, per nos confirmatis manuteneant, defendant, & protegant, nullumque his impedimentum inferant, ſeu quovis modo inferri permittant, ita prout contrafacientes indignationem noſtram Regiam volunt, & cupiunt evitare. In quorum quidem omnium fidem, & teſtimonium preſentes literas fieri, easque ſigilli noſtri Regii appenſione muniri precepimus. Date *Brune* die Jovis poſt Dominicam *Judica*, die vero undecima menſis *Aprilis*, anno Domini 1527. Regnorum autem noſtrorum *Boemie & Hungarie* primo.

Ferdinand.

Vit. Adam Cancellarius
Regni.

LXXIX.

Ambroſius Abbas Zdiarenſis Ord. Ciſterc. recognoſcit ſe vidiſſe literas Wladislai Regis Boh. quibus omnia privilegia monaſterii Willemovienſis confirmat. dd. in Zabrs die S. Georgii 1528. Habetur excuſum Tomo IV. Monument. meorum p. 465.

LXXX.

Mandato Rudolphi II. Imp. & Bohemiæ Regis Beneſſo Beneda de Neczthird venditur per Commiſſarios Regios monaſterium dirutum Willemovienſe cum poſſeſſionibus ſuis jam ante eidem oppignoratum in hereditariam proprietatem pretio ſex mille quingentarum ſexagenarum groſſorum Boemicorum. Die Veneris poſt Præſentationem B. M. V. anno 1577. Ex vernaculo autographo in latinum translatum.

An-

Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo die *Veneris* poſt Præſentationem B. *Mariæ* Virginis, facta eſt de mandato Suæ Cæſareæ Majeſtatis Regis *Bohemiæ* integralis & abſoluta conventio atque venditio, ad quam illa clementiſſime nos Regios Commiſarios nominavit: *Wilhelmum Oprſtorf de Duba, Frydſtein* & in *Slawictic* Suæ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarium, & Supremum monetæ Magiſtrum in Regno *Bohemiæ*, & *Urbanum Pfefferkorn de Ottopach* & in *Kraſne-Stiepenicz* Suæ Cæſareæ Majeſtatis Quæſtorem civitatum Pragenſium ex una, & Strenuum Dominum *Wilhelmum de Thalmberg* & in *Jankow*, denique ſtrenuum Equitem *Joannem Leskovecz de Leskowecz de Czerekwicz* utpote conſanguineos ſtrenui Domini *Beneſſii Beneda de Neczтyn* & in *Wilemow* ex parte altera. Talisque conventio & venditio facta eſt, quod nos Cæſarei Commiſſarii vendiderimus & hoc contractu vendamus proprietates Fabulares in diſtrictu *Czaslavienſi* ſitas, id eſt: dirutum monaſterium *Willemovienſe* cum curia, & villa, quam Dominus *Beneſſius* de novo conſtrui fecit cum agris, pratis, locupletis, arboretis, hortis, cum braxatorio monaſterii, popinis tam in monaſterio, quam in oppido Willemovienſi. Item cum ſubſcriptis pagis ad idem monaſterium ſpectantibus, cum hominibus eidem ſubditis, videlicet oppido *Willemow*, pago *Budſſowicz*, pago *Herzmanicz* cum molendino & flumine, pago *Borek*, pago *Hoſtowlicz*, pago *Zborz*, & in pago *Jakubownik*, pago *Zdanicz*, *Pontſtwi*, pagos integros & villas in *Kmetcz*, cum cenſibus & villa in *Czeſſtowicz*, cum villis in *Kmetcz*, cum cenſu, qui in hoc pago ad ſuam Majeſtatem ſpectabat, & quo Dominus *Beneſſius* hactenus uſus, cum ſubditis eccleſiæ monaſterii, in pago *Herzmanicz* cum agris, pratis, nigra ſilva poſt hoc monaſterium jacente, cum ſilva *Liſtowicze* ita dicta, cum ſilvis & rubetis *Kozogedsky* appellatis, ſitis inter pagos *Auchrow* & *Herzmanicz*, inter quas ſunt prata vulgo *Kozogedssky* ad Willimow ſpectantia, & cum aliis ſilvis eccleſiarum, cum dumetis, paſcuis, piſcinis, id eſt piſcina magna ſub oppido Willemow, piſcina *Strach*, piſcina *Mnich*, piſcina molendinari, & cum ceteris omnibus piſcinis & hominibus ad idem bonum emptione devolutis, cum terrentibus, rivis, gallinis, ovis, Robotis, caſeis, cenſibus pratorum, & macellorum in oppido Willemow, quemadmodum id libri regiſtrorum forenſium, & nundinarum ſecundum faſſiones hominum a nobis Commiſſariis conſcripti, & Domino *Beneda* ſub ſigilli noſtri appreſſione dati plene docent, cum toto & integro dominio & omnibus attinentiis, nullo jure, dominio, & jurisdictione aut juſtitia Cæſa-

reæ

reæ Majſtati tanquam Regi *Bohemiæ* & ceteris ſucceſſoribus Regibus *Bohemiæ*, neque cuicunque ſeu ſæculari ſeu eccleſiaſticæ perſonæ hodie viventi aut in futurum in hoc Willemovienſi territorio reſervato, cum omnibus hominibus poſſeſſionatis aut non poſſeſſionatis ad idem territorium incorporatis, cum pupillis utriusque ſexus, quoquo demum loco morarentur, atque ita intra eosdem limites, quibus hoc territorium circumſcriptum eſt, & prout his omnibus Dominus *Beneſſius* uſus eſt. Et quidem pro ſumma ſemi ſeptem millium ſexagenarum groſſorum Bohemicorum. (x)

In hanc prædictam ſummam Dominus *Beneda* cum hæredibus ſuis, ſuisque ſucceſſoribus ad Cameram Cæſaream hujus Regni die Sancti *Georgii* a dato conventionis iſtius proxime imminente, vel duabus ſeptimanis ſerius (detracta tamen primum ſumma tabulari, quam ſuper hoc territorio aſſecuratam habuit, nempe bis mille & quadringentis ſexagenis groſſorum Pragenſium, deinde illis quingentis & quinquaginta ſexagenis groſſorum Bohemicorum, quas Cameræ Regiæ numeravit, denique ſemioctava ſexagena groſſorum Bohemicorum, quam in terras noviter emptas huicque territorio unitas expendit, quæ ſummæ univerſim ter mille ſeptingentas ſexagenas groſſorum Bohemicorum æquant) duo millia ſexagenarum groſſorum Bohemicorum deponet, & dum die Sancti *Galli* itidem a dato conventionis proxime venturo, aut duabus hebdomadis ſerius reliquam ſummam, videlicet octingentas ſexagenas groſſorum Bohemicorum ad memoratam Cæſaream caſſam numerabit, & integre deponere atque perſolvere tenebitur. Et Sua Cæſarea Majeſtas hoc dirutum monaſterium Willemovienſe, oppidum & pagos ſupranominatos ad hoc territorium pertinentes cum pleno dominio & appertinenciis ſuprafato Domino *Beneſſio*, ejusque heredibus & ſucceſſoribus in Tabulis Regni venditionum, eo loco in quem aliæ poſſeſſiones emptæ inſeruntur (Ita ut memoratum monaſterium Willimovienſe, cum oppido & pagis in hac conventione expreſſis, in futurum & perpetuum nec appelletur, nec ſit eccleſiaſticum nec oppignoratum, ſed hæreditarium, atque ejusdem normæ, qua aliæ hereditates emptæ in Regno Bohemiæ cenſentur) poſt primum terminum depoſitæ ſummæ, & pecuniæ obtentæ inferi mandabit.

In

(x) Quis hodie non miretur tam vile pretium tot tantarumque terrarum.

In horum omnium majorem fidem & ſecuritatem Nos ſupra ſcripti Suæ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Commiſſarii, & nos ſupra nominati conſanquinei a Domino *Beneſſio Benda* exorati & conſtituti tanquam contractores appoſuimus huic conventioni venditionis iisdem verbis & eodem calamo ſcriptæ noſtra ſigilla cum ſubſcriptione manus noſtræ, cujus unum exemplar Cameræ Bohemicæ, alterum Domino *Beneſſio Benda* extraditum eſt. Actum anno & die ſupra poſito. (*y*)

Wilhelmus Operſtorff.	Urbanus Pfefferkorn de Ottopach.	Wilhelmus de Talmberg.	Joannes de Leſkowecz.

OB-

(*y*) Ejusdem tenoris ſunt eorundem Cæſareorum Commiſſariorum literæ eodem anno 1577. die Mercurii ante feſtum S. Catharinæ datæ, quibus profitentur ejusmodi conventionem factam cum Domino Alberto Rohmhap de Suchy & Imperatore Rudolpho, villasque & pagos Knieziez, Biskupiez, Suchotlesk, Mladoriez. Kmetz, cum quinque molendinis, agris, pratis ceterisque appertinentiis ad claustrum Willemoviense dirutum ſpectantibus vendita fuiſſe pretio 2593 ſexagenis, 3 groſſis Bohemicis & uno denario. Ita quoque anno 1581. die Veneris poſt Andreæ idem Imperator confirmavit Friderico de Zierotin pagos Uherziez, Zidlochowiez, Leziez, Nerwiez, Eywann ejusdem monaſterii ut itaque reſtituendi monaſterii nulla ſpes ſuperfuerit.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

AD

MEMORABILIA MONASTERIORUM BRZEWNOVIENSIS ET RAYHRADENSIS.

Titulum Memorabilium deprompſimus ex fine Manuſcripti iſtius chartacei, quod coram juris publici facimus. Titulum iſtum merito fert, cum nihil aliud ſit, quam quædam Rhapſodia congeſtarum vetuſtiorum memoriarum monaſterii Brzewnovienſis, Præpoſiturarumque præcipue Rayhradenſis, tum Braunenſis & Policenſis ad ejusdem Abbatis jurisdictionem pertinentium, quod cum Rayhradii ſcriptum ſit, cumprimis ejusdem memorias ab origine annoque 1045 usque ad annum 1565 complectitur, quæ tamen inſtar Scoparum diſſolutarum nullo certo ordine chronologico congeſtæ ſunt, ſcilicet uti eas compilator Anonymus ejusdem Præpoſituræ cœnobia ſeu in veteribus documentis ſparſim notatas reperit, ſeu tempore ſuo geſtas pugno ſuo in chartam conjecit, neſcio num perpolitionem Chroniconque aliquod meditatus an conſilium hoc privati ſui uſus refricandæque memoriæ cauſa ſuſceperit. Conſcripſit autem memorias has inter annum 1554 -- 65, cujus temporis indubitata reliquit veſtigia: Nam de Joanne a Chotow Abbate Brzewnovienſi anno 1554 electo loquens ſubjungit: *Magnis cladibus afficitur jam annis novem, reliquum finem vite Deus regat ſecundum beneplacitum ſuum*, & de duarum villarum monaſterii deſertarum habitatoribusque vacuarum fato ſcribens ait: *Nunc ſub anno 1560 reedificantur, & colonis implentur.* Pertingunt ve-

ro hæ memoriæ eodem calamo ad annum usque 1565, quo mortem Ferdinandi I. Imperatoris Reqisque Boemiæ cum elogio consignavit. Nam duæ reliquæ subjectæ notæ a quoquo demum posteriore Cœnobita Rayhradensi adjectæ sunt. An Compilator per ea verba ipsi pene principio tituloque MONASTERIUM REYGRADENSE 1562 minori charactere substrata *Jos. significavit manu propria* nomen suum (verosimiliter Josephi) innuere voluerit, quod adstruam, aut negem, non invenio. Ceterum quanquam manuscriptum hoc tenue & perpaucarum memoriarum sit, ad cognitionem nihilominus crisimque historicam pluribus locis utilem segetem præbet, per quod nonnullorum Abbatum Brzewnovienſium Chronologica Series Ziegelbaueri tam in suscepto quam depositio Abbatiali munere emendatur. plurium Præpositorum Rayhradensium nomina, nescio an unquam typis vulgata, in apricum proferuntur, denique etiam gesta nonnulla tam Bohemiæ quam Moraviæ vix alibi detecta in lucem protrahuntur.

MEMORABILIA
MONASTERIORUM BRZEWNOVIENSIS ET RAYHRADENSIS.

Anno 1477. *Petrus* Abbas *Brewnovienſis* prefuit. Hujus temporibus exercitus militum ex *Ungaria* quingentorum virorum equitum occupabat forti manu *Braunam* & monasterium, hi milites aficiebant Abbatem, conventum, subditos, nec non vicinos in *Glacenſi* districtu, *Suidnicenſi* Ducatu, in *Gracenſi* (*a*) districtu penes *Nachod* multis damnis, ac variis cladibus, hos *Braunenſes* cives contra voluntatem Domini sui Abbatis in civitatem susceperant, per annos; ut ajunt septem eorum jugum

(*a*) Id est: *Reginobradecenſi.*

gum coacti ſunt portare, tandem cum eorum obrobria non amplius tolerare potuerant, conſpiratione facta *Braunenſes* cum *Glacenſibus* coegerunt *Ungaros* vi *Braunam* derelinquere.

Anno 1043. *Epo* miles clariſſimi Ducis *Przetislai* donavit villam *Cebranice* dictam penes *Svitavkam* in Marchionatu *Moravie*, monaſterio ac eccleſie *Brzevnovienſi*, (*b*) tandem Anno 1258. conſentiente glorioſiſſimo rege *Bohemorum Otagaro*, alias *Przemislao*, ad petitionem *Martini* Abbatis *Brevnovienſis* per concambium ſive mutationem conceſſa eſt cuidam militi nobili *Bohuſs Cerba* dicto, pro qua villa *Sebranic* dictus nobilis pagum ſuum dictum *Sobotovice* conceſſit Abbati & conventui.(*c*) Deus miſereatur animabus eorum.

Anno 1175. Andreas emeritus miles Ducis *Boemie*, qui multas terras in militia peragravit, prout privilegium hoc teſtatur, villam deſertam *Rybeſſovice Reigradenſi* monaſterio dotavit, ſemetipſum ad ordinem in monaſterium *Reigradenſe* contulit converſumque egit. Moderni monachi conſiderent, quomodo primi monachi ob pietatem in magna eſtimatione apud preclaros viros erant, nunc merito ob ſuam nequiciam ab omnibus ſpernuntur, odio perſequuntur. Ha! ha! mnychu, pena peccati. Ego monachus hoc ſcribo.

Monaſterium Regradenſe 1562. (*d*)

Conſtructum eſt monaſterium Reyhradenſe & fundatum per illuſtriſſimum Principem *Bohemorum Przetislaum*, & per eundem donatum monaſterio *Brzevnovienſi* anno gracie Ao. 1045. (*e*) eo tempore *Meynardus* Abbas prefuit.

Anno Chriſti 1376. *Predborius* Abbas *Brevnovienſis* prefuit monaſterio abbatiali *Brevnovienſi*, ſub cujus regimine multarum rerum fit mentio ac memoria.

(*b*) Ipſum Diploma Epponis dedimus in Annalibus noſtris ad annum eundem P. V. p. 2-6. cum ceteris hujus Epponis memoriis. (*c*) Et hanc chartam concambii dedimus hoc ipſo Tomo p. 27. ex apographo quodam Archivi Brzewnovienſis, in quo locus Sebranic perperam oſcitantia ſcribæ vocatus Lebranich, & Cerha Cebo. eſt autem nomen Cerha idem quod Cyrillus. (*d*) Infra minore charactere ſcriptum eſt: *Joſ. ſignificavit manu propria.* (*e*) Hujus donationis charta etiam exhibetur P. V. Annalium noſtrorum ad eundem annum.

Anno 1499. *Paulus* Abbas *Brevnovienſis* obiit, & in templo minori S. *Benedicti Brevnovie* ſepultus, (*f*) iis (*g*) amotus erat ab officio Abbacie ſue, quia privatus ratione fuit iſte preterea, prout fama fertur, robuſtus ac fortis erat, fortitudini ejus ferrum cedebat tanquam plumbum, tempore ſue Abbatie Prepoſituras *Polic* & *Braunam* impignoratas per Dominum regem a Ducibus *Glacenſibus* redemit, ac induſtria, vi quoque contra adverſarios optime defendebat ditionem ſuam.

Anno 1392. *Dionyſius* Abbas *Brevnovienſis* prefuit monaſterio, iis annis quinquaginta quatuor officium Abbatie regebat, nullus ante eum & poſt eum attigit hos annos, in officio exiſtens Abbatie. Sub ejus tempore nulla memoria digna geſta ſunt, que brevitatis gracia hic omittuntur.

Anno 1391. *Ulricus* Abbas *Brevnovienſis* prefuit monaſterio, cujus memoriam non multam reperio.

Anno 1499. (*b*) Idem *Paulus* pagum *Oſtrowaczycz* a Braunenſibus civibus ocupatum aquiſivit, hucusque in poſſeſſione detinetur.

Anno Domini 1434. Pater *Hermannus* prefuit monaſterio *Brevnovienſi* ceterisque monaſteriis, ejus temporibus exuſtum eſt monaſterium Brevnow per *Huſſitas*. Eidem Abbati rebelles erant ſubditi in diſtrictu *Policenſi*, adherere volentes *Huſſitarum* opinionibus ac religioni, gladio & vi ad obedientiam coacti, & quam plurimi apud montem *Oſtaſs* extra *Polic* necati.

Sub eodem Abbate in *Braunovienſi* civitate Baro quidam a *Lychtenburg* dictus *Kruſſina* per communem tumultum in eum excitatum (ob id, quia Conſulem civium ibidem cedebat) eſt occiſus, propter cujus mortem multi ſubditi capti, occiſi, in vinculis detenti, quam plurime ville exuſte penes *Braunam* & *Polic*, tandem negotium hoc per amicos compoſitum & in concordiam redactum. Forma hujus concordie in ſcriptis reperitur in pretorio *Braunenſi*. Cogebatur memoratus Abbas pecuniam numerare adverſe parti, hoc negotium magnum incomodum intulit monaſteriis. Eodem anno *Trojanus* regimen Prepoſiture *Reyradenſis* obiibat. (*i*)

An-

(*f*) Is fuit Paulus hujus nominis III., quem Ziegelbaverus ſerius anno 1505. mortuum refert. (*g*) Crebrius author pro is. (*b*) Supra hunc numerum triplex *b*, & ſuper triplex *b* triplex *a* poſitum eſt, quid autem notet, quis divinet. Eſt autem idem Paulus, qui ad eundem annum paulo ſupra nominatur. (*i*) An Trajano huic ſuc.

Anno ab orbe redempto 1549. *Valentinus* Prepoſitus *Reybradenſis* mortuus eſt, longo morbo coreptus, is ſtirpis *Polonice* ex opidulo *Skavina* erat natione, profuſor ſubſtantie & bonorum monaſterii erat, ejus tempore bis monaſterium *Reybrad* incendio ac flamma periit.

Anno 1554. *Joannes a Chotov* Abbas *Brevnovienſis* diſparibus fratribus electus eſt in Abbatem *Brevnovienſem* in die *Matbei* Apoſtoli & Evangeliſte, magnis cladibus aficitur jam annis novem, reliquum finem vite Deus regat ſecundum beneplacitum ſuum. Eodem anno *Matias* Abbas eſt defunctus. (*k*)

Anno 1558. *Dominicus* Prepoſitus *Reygradenſis* obiit mortem fferia ſecunda poſt *Simonis*, & *Jude* tempore peſtis, apoſtemati tactus. Is erat natus *Polonus*, prefuit prepoſiture annis novem plus curavit temporalia, quam cultum Dei & religionem, Prepoſitura vacabat per unum integrum annum, moderante eandem *Joanne a Chotow* Abbate.

Anno Domini 1506. *Gregorius* Abbas *Brewnovienſis* preſuit monaſterio abbatiali *Brzevnov* ceterisque monaſteriis, videlicet *Regrad*, *Polic*, *Braunov*, non longe poſt ab hac vita migravit.

Eodem anno *Petrus* ultimus Abbas *Wyllemovienſis* coactus a ſecularibus Baronibus dimiſit, ac migravit a ſua Prepoſitura *Uberzyce* in monaſterium *Regradenſe*, cui & officium prepoſiture *Regradenſis* a *Gregorio* Abbate comiſum erat per aliquod tempus, tandem & a *Regradenſi* Prepoſitura ceſit, domum (ut quiete poſit vitam agere) extra monaſterium penes portam Regradenſem ſuis ſumtibus erexit, ibique non longe poſt ab hac vita receſit. Idem *Petrus* Abbas Wilemovienſis ſacellum San-

ſucceſſerit Henricus, iſtique Simon Præpoſitus Rayhradenſis, qui demum anno 1481 electus eſt Abbas Willemovienſis, de quibus mentio habetur Tomo IV. Monumentorumm meorum p. 441 & 460, an interceſſerint alii, incertum. Ceterum Simonem hunc profeſſum Willemovienſem fuiſſe veroſimillimum eſt, eundem nempe, qui anno 1453. concandidatus Abbatiæ Willemovienſis fuerat, cum tres ſuperſtites hujus monaſterii alumni per compromiſſum jus ſuffragii ſui transtuliſſent in tres viros alios eccleſiaſtica dignitate eminentes. (*k*) Ex his corrigendus in Chronologia Ziegelbauerus, qui mortem Mathiæ Abbatis ad annum 1551, ſucceſſionemque Joannis a Chotow reponit, ex verbis enim liquet compilatorem iſtum, eodem tempore viviſſe.

Sancti *Andree* penes templum *Regradenſe* reſtauravit, ubi ejus ſepulchrum aparet. (*l*) Deo vivat.

Anno Domini 1518. Frater *Blaſius Glogovienſis* prefuit monaſterio *Regradenſi* Prepoſiti agens officium, iis bene procuravit pertinentia ad monaſterium, tandem non multo tempore peracto interemptus eſt ac gladio confoſſus intra muros habitationis ſue in monaſterio *Regradenſi*, fama erat, quod hoc facinus Capitaneus monaſterii ejusdem facere deberet, ſed hoc pro certo non conſtabat.

Poſt ſupra memoratum *Blaſium Mathie Tachovienſi* injunctum erat oficium Prepoſiture in *Regrad*, cui prefuit annis quinque, tandem poſt obitum Domini *Jacobi* Abbatis *Brevnovienſis* in Abbatem electus ac ordinatus eſt, Abbatie prefuit decem & ſeptem annis, hic erat ſine omni dolo.

Anno 1546. Poſt electionem Domini *Mathie*, in Abbatem *Joannes* dictus *Poc* natione *Braunenſis* inſtituitur in Prepoſitum Reygradenſem, prefuit annis duobus, & ferme per illos duos annos infirmus erat, tandem & obiit.

Anno Domini 1557. Exercitus militum quadringentorum equitum veniens ex *Germanie* partibus in *Ungariam*, tranſivit per *Moraviam*, *Regradum*que veniens in monaſterio ac opidulo per quindecim dies manſit ibidem, horrea, ac celaria nec non cameras optime exornabant, & evacuabant, Prepoſitus *Brune* manens, maluit de his militibus audire, quam *Regrade* preſentialiter eos intueri.

Eodem anno alius exercitus ex *Germania* tranſiens per *Bohemiam* cum preteribat monaſterium *Kladrubenſe* Ord. S. Benedicti, irruerunt milites in hoc monaſterium & omnibus ſpoliatis & acceptis, ſervis quoque nonnullis interfectis Abbatem *Joannem* a monaſterio abduxerunt ligatum & captivum ridiculoſe penes equum *Plſnam* verſus deduxerunt; iis Abbas ſenatus civitatis *Plſnenſis* precibus ab eorum feritate vix liberatus, parum abfuit, quod laqueo non erat a militibus ſtrangulatus.

Anno Domini 1550. Civitas *Brauna* alias *Brumov* dicta una cum monaſterio totaliter eſt exuſta in vigilia divi *Martini* hora noctis 6. nil edificiorum ſupermanſerat integrum preter templum parochiale & domum Plebani incole ejusdem civitatis ad ſumam erant redacti inopiam, quod

(*l*) Ex his cognoſcitur, qua via & ratione archivi Willemovienſis diplomata chartæque ad Brzewnovienſe Monaſterium pervenerint, quæ ſcilicet hic Petrus ultimus Abbas ſecum attulit.

quod flamma inſperata eorum ſubſtantias devoravit, tum etiam eo anno magna annone ac frumenti erat inopia, propter quas cauſas non facile reedificabant, periculum ignis emerſerat propter negligentiam aliquorum civium, hec acta ſunt temporibus *Mathie* Abbatis.

Anno 1555. *Joannes a Chotov* Abbas *Brevnovienſis* duas villas *Byſtrawice* & *Radoſſow* dictas penes *Domaſſow* ſitas trecentis florenis redemit, quas Dominus *Jacobus* Abbas Brevnovienſis pro CCL. florenis abalienaverat. Cum abalienate, & iterum redempte fuerant, deſerte erant & habitatoribus carebant, nunc ſub anno 1560. reedificantur & colonis implentur.

Anno Domini 1562. Dominica intra octavas Corporis *Chriſti* Frater *Sebaſtianus* Prepoſitus *Reibradenſis* defunctus eſt, is erat ex natione *Sileſiorum Wartenbergenſis*, nil memoria dignum egit, preter hoc quod vices filii prodigi agebat, prefuit monaſterio Rajhradenſi annis tribus.

Anno Domini 1559. Eccleſia major Reyhradenſis reſtaurata ac reedificata eſt in ſuis ruinis, nam teſtudo, pavimentum parietes ruinoſe, feneſtre vero reformate ſumptibus & mandato *Joannis* Abbatis Brevnovienſis; ſumptus expoſiti ad eandem ſtructuram ad duo millia florenorum ſe extenderunt.

Eodem anno *Italus* quidam murifaber decidit a Reyhradenſi turri in ambitum, qui una cum caſu vitam finiit.

Anno 1560. *Hinco Dubnianski a Baczicz* coactus eſt ſeptingentos florenos dare ac numerare Abbati, Prepoſito & Conventui in Reyhradenſe monaſterium, propterea, quia mulierem quamdam peregrinam *Martam* vocatam una cum rebus peccunia monaſterii, que furtim poſt mortem Prepoſiti *Dominici* ſubtraxerat, ad ſe ſuſcepit, & eam apud ſe retinuit ac ſervavit, muliere a ſe pulſa cum manibus vacuis.

Anno 1560. Circa ferias Divi *Martini* preſente Domino *Joanne* Abbate Brewnovienſi in Monaſterio Reyhradenſi in ſtuba famulorum duo miniſtri ſtabuli ſive equorum ſimul rixare ceperunt, tandem non prohibentibus ceteris ad manus venerunt, unus alium interfecit, occiſor fuga vindictam evaſit.

Anno Domini 1391. *Henricus* Abbas monaſterii Brewnovienſis depoſitus eſt ab oficio ſue Abbatie propter dilapidationem bonorum monaſterii, hoc reperitur in literis ad hoc confectis, (*m*) poſt ejus depoſitionem

(*m*) Henricum jam anno 1388. depoſitum fuiſſe teſtatur charta Diviſſii Abbatis ſupra p.

hem *Divisius* Abbas Plebanus de *Nezamislyc* frater Ordinis in Abbatem electus.

Anno Domini 1503. *Clemens* Abbas monasterii Brewnovienſis preſuit Abbatie ſub ejus regimine multa contigerunt. Villas *Verinevzoviee*, *Viſſinov*, *Lauka* cum ſuis pertinenciis emit, atque pecunia comparavit jure hereditario a quodam nobili *Virtym Stelendorf* dicto, & ea bona empta monaſterio Braunenſi incorporata ſunt, nunc iſtas villas quidam *Joachimus Mauſchvic a Armento* ocupat ad decennium (obligate ſunt ei in numero groſſorum *Talenſium* MII.) (*n*) dolo ac verſutia ſua acquiſivit, & a *Joanne a Chotov* Abbate tunc temporis extorſit, contra omnem voluntatem Abbatis & Conventus.

Contra eundem *Clementem* Abbatem, Braunenſes cives conſpirationem fecerunt. *Policenſes* cives nec non omnes rurales ad monaſteria *Braunam* & *Polic* pertinentes ſecum in ſeditionem traxerunt. Perfidi ſubditi tumultuoſe turbam congregantis caſtrum Braunenſe una cum Abbate circumdederunt & cinxerunt, nullum Abbas habens nec expectans adjutorium, coegerunt eum pacto ut ab arce Braunenſi & oficio Abbatie reſignaret. (*o*) Hoc & fecit receſitque *Brzevnow*, ibi reſignavit Abbatiam, agebatque Prepoſitum, tandem ob ſenectutem ceſit Prepoſituram alii ultimatim ratione carebat tanquam infans ambulans varia loca, aliquando nudus incedebat, Brevnovie defunctus ſepelitur.

Anno Domini 1550, *Polonus* quidam natione *Maſovita*, (*p*) ordine ſacerdos, contulit ſe in *Moraviam*, egitque ſacellanum apud Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum *Olomucenſem* in arce *Kromierziſt* dicto, in quo caſtro manens tempusque opportunum conſiderans multam ſupellectillem argenteam nec non auream & ſumam pecunie furtim abſente Epiſcopo ſubtraxit ac in variis locis reſervavit, tandem duo ſervi arcis omnibus in ſuſpitione erant, venator & callefactor, rapti tormentis agreſi (qui licet innocentes erant) furtum confeſſi propter tormenta patibulo adjudicati, orabant miſeri, ut confeſſionem facerent, & de menſa Domini participarent, hoc illis conceſſo presbyter illis exhibetur, qui fur

&

p. 111. relata. (*n*) Id eſt Joachimovallenſium, qui iſthic a Schlikianis Comitibus excuſi fuere. (*o*) Ex anno 1503. ſub frontem poſito conjicitur Ziegelbauerum etiam in Chronologia Abbreviatæ Abbatialis dignitatis hallucinatum, qui Clementis annus Abbatiale ad annum 1505. rejicit, quo id ſuſceperat, dimiſitque. (*p*) Maſovienſis.

& latro ipſe erat, examinat eorum conſciencias per confeſſionem manibus ſuis participes facit Cene Domini, ad crucem ſive ad patibulum (admonens eos ut moris eſt) usque deducit, ſuſpenduntur innocentes, miſerum ſpectaculum! tandem per biennium hoc facinus detectum, furtum publicatum, presbyter fur capitur, degradatur a ſacerdotio, Brünnam judicibus civitatis traditur, tormentis agreditur, peccatum & ſcelus confitetur, ibidem ſententiatus ultimo per carnificem in quatuor partes dividitur ejus corpus, condigna pena a Deo facta, qui gemitum pauperum exaudit.

Anno Domini 1565. Feria 5ta poſt feſtum *Epiphaniarum* hora vigeſima pagus *Brzewniow* igne prehenſus fere integer funditus exuſtus eſt exceptis duobus tuguriolis, quæ intacta perſtitere. Ingens damnum exinde pauperibus incolis enatum, nam magna rerum penuria egeſtateque pulſati præſertim propter longam diram hyemem, quam magnum rei frumentarie pretium conſecuta eſt, ita ut ſi vellet, nemo pene unus auxilio ſuccurrere poſſet. Unicus Archidux *Ferdinandus* frater Imperatoris *Maximiliani Bohemiæ* Regis eisdem in quale quale ſubſidium ducentas, & Dominus Abbas *Brzewnovienſis* quadraginta ſexagenas eisdem elargitus eſt. Deus ab unoquoque iſtiusmodi caſus avertat. (*q*)

Anno Domini 1562. In die S. *Martini* quidam monachus Braunenſis *Adamus* nomine ordinatus in Prepoſitura *Reyradenſi* in capitulo & oratorio Braunenſi, qui ſatis aſtute ſimulabat pietatem, & tandem propter ſua facinora inſurrexit in ſuum Abbatem *Joannem* a *Chotov* dictum, & fuga a monaſterio noctu ſe ſubduxit, & Abbati multa incommoda & inſtantias per temeritatem ſuam fecit, hoc negotium erat tandem notum ſummo Pontifici & Ceſari *Ferdinando*. Tandem ultimatim cum maximo labore eſt redactus ad obedientiam, qui apud Brzevnoviam nec adhuc quieſcit mente, nomen tantum & non actum habet monachi.

Anno 1565. Die *Jacobi* Apoſtoli *Ferdinandus* Imperator *Romanorum*, Rex *Bohemie* & *Ungarie* diem obiit ultimum, anima ejus Deo vivit. Hic Monarcha erat omni virtutum genere preditus, in Deum devotus, in ſubditos benignus, in hoſtem adverſariosque patiens, fautor cleri, viduarum ac pupilorum defenſor, catolicam eccleſiam is Imperarator ſtrenue defendebat, hereticos ſummo odio perſequebatur, uſum

(*q*) Hæc ex Boemico in latinum tanslata ſunt.

ſacri calicis ad ejus inſtanciam *Romanus* Pontifex conceſſit per Imperium laicis eciam petentibus.

Memorabilia monaſterii Reibradenſis ab anno 1619. *ſub Prepoſito Joanne profeſo Braunovienſe.* (r)

In quadrageſima cum illuſtriſſimus Cardinalis a *Dietrichſtein* &c. impeditus multo tempore non conferret ordines, niſi ad *Ungariam* F. *Maurum*, F. *Georgium Hlauſſek*, F. *Danielem Pragenſem*, & *Tirnavie* intra tres ſeptimanas omnes ordines ſunt adepti; 27 Martii obiit *Georgius Forberg* Cantor ſeniculus ſexaginta ſex annorum, is quia centum taleros reſtaurationi templi obtulerat, in ambitu eſt ſepultus.

OB-

(r) Is ipſus dein electus eſt Abbas monaſterii Slovanenſis Neo-Pragæ in Emaus, ſimulque poſtea a Brzewnovienſibus Abbas poſtulatus.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
AD
COMPILATIONEM BREVEM CHRONOLOGICAM ANONYMI.

Proferimus Anonymi breve Chronicon ex crebrius nominato codice noſtro manuſcripto Sthehlikiano, e quo jam Tomo IV. horum Monumentorum Bohemiæ non modo Seriem Ducum Regumque noſtrorum item catalogum epiſcoporum & Archiepiſcoporum Pragenſium, nec non breve Chronicon Anonymi tranſumptum dedimus, ſed etiam ex eodem variantes lectiones tam Chronici Pulkavæ, quam Tomo V. Chronici Petri Abbatis vulgavimus Occupat autem Compilatio hæc tria poſtrema folia hujus codicis diverſo a prioribus charactere ſcripta, qui ſcribam ſæculi XV. prodit, cœpta cum anno 1310, deſinens anno 1432. Appellamus autem merito Compilationem Chronologicam, quod priores anni ſummo compendio ex aliis noſtris vetuſtioribus Chronicis excerpti ſint, nam nonniſi cum initio ſæculi XV., quo Joannes Huſs declamationes ſuas adverſus indulgentias cœpit, authorem ſuo ingenio calamoque res narratas ſcribere exorſum haud obſcure dignoſcitur. Quis autem fuerit, nulla uspiam certa veſtigia reliquit, Catholicis ſacris addictum fuiſſe pluribus argumentis teſtatum fecit, cum non modo Huſſum, Hieronymum, atque Jacobellum jam *hæreſiarcham*, jam Hieronymum *conhæreticum* Huſſi eorumque doctrinam *hæreſim* appellat, ſed & cum Boemis expoſtulat, quod a ſua priore virtute & ſanctitate defecerint. Ita enim ad annum 1419. ſcribit: *Audi mirabile & terribile de hoc populo, qui pre ceteris in mundo erat*

in ſciencia, virtute, & congregacione Dei illuminatus in ſanctitate & juſtitia perfectus - - - & ecce ſcientifici & illuminati in errores ceciderunt, & Clerus, qui plus ſapere, quam neceſſe, voluerunt, & ſimplices populi utriusque ſexus, qui in ſanctitate & juſticia ſtabant, ceciderunt, & malefactores facti ſunt. Magna inter hæc licencia præſertim in corruptos Cleri ſæculi ſui mores invectus eſt, in quorum avaritiam potiſſimam cauſam rejicit, *quod honor ſacerdotum, & poteſtas eccleſie ceperit vilipendi.* Ceterum poſteriorum trium, & aliorum trium annorum ab anno 1390. datæ notitiæ extra chronologicum ordinem poſitæ innuere videntur Chronicon hoc ab authore non fuiſſe expolitum, ſupremamque manum illi impoſitam, qui videlicet his foliis rerum materiam ſolum congeſſit, quam procul dubio in plures annos deducere, ſuoque poſtmodum ordini reddere inſtituerat, præſertim cum eidem titulum Chronicæ præfixerit, quo majus quoddam opuſculum annunciare intenderat.

CRONICA.

Anno Domini M. CCC. X. heres ultima Regni *Boemie* data fuit *Johanni, Henrici* filio Imperatoris Romanorum ſeptimi.

Et eodem anno fuit coronatus ad Regnum *Bohemie.*

Anno Domini M. CCC. XVI. natus eſt Rex *Karolus* Idus *Maii*, fuit autem nomen ejus impoſitum in Baptismo *Wenceslaus*, ſed in confirmacione Rex *Francie* nomine *Karolus*, eum tenuit, & nomen ſuum impoſuit, & ſic dictus *Karolus*, & non *Wenceslaus* &c.

A. D. M. CCC. VIII. Natus eſt 2dus filius nomine *Przemisl.*

A. D. M. CCC. XXII. natus eſt *Johannes* Marchionis (*a*) pater.

-A.

(*a*) Videlicet Jodoci vel Procopii, qui uterque hujus Joannis fuit filius, iſte anno 1405, ille anno 1411. mortuus.

A. D. M. CCC. XXXVIII. locuſte fuerunt in *Bohemia*, & *Elizabeth* Regina *Bohemie & Polonie* mortua eſt.

A. D. M. CCC. XL. excecatur *Johannes* Rex Bohemie a Medicis, quia aliunde a toxico privari non potuit, niſi unum ex ſenſibus corporis amittat.

A. D. M. CCC. XLI. fundatur Ordo *Cartuſiensium* prope Pragam.

A. D. M. CCC. XLIIII. eligitur *Arneſtus* primus Archiepiſcopus.

Eodem anno eciam eccleſia *Pragenſis* nova fundata eſt. (*b*)

Eodem eciam anno *Manſionarii* fundantur in eccleſia *Pragenſi*.

Eodem eciam anno Epiſcopatus *Lithomiſlenſis* dilatatur, & fundatur.

Eodem eciam anno ruptus eſt pons *Pragenſis* in die S. Blaſii.

A. D. M. CCC. XLVI. Eligitur Rex *Karolus* in Regem Romanorum.

Eodem anno vel ſeptimo inſtante *Johannes* Rex *Bohemie* ab *Anglie* populo in *Francia* occiditur.

A. D. M. -- XLVII. confirmatum eſt ſtudium ſeu collegium Clericorum in *Praga*.

A. D. M. CCC XLVIII. Rex *Karolus* coronatus eſt cum ſua uxore ad Regnum Bohemie.

Et eodem tempore & anno obiit Rex *Ludvicus*, qui ſe ſcripſit Regem Romanorum.

Eodem anno fundantur duo Ordines: *Karmelitarum*, & *Sclavorum* (*c*) in Nova Civitate.

A. D. M. CCC, XLVIII. fundata eſt Nova Civitas *Pragenſis*.

Eodem anno fuit terre motus magnus in die Converſionis S. *Pauli* hora veſperarum.

Eodem anno *Anna* copulata eſt Regi *Carolo* in conjugium.

A. D. M. XLIX. venerunt *Mrskaczii* (*d*) in terram *Bohemie*.

Eodem anno Reliquie Imperiales portate ſunt in terram Bohemie.

A. D. M. CCC. L. Incheatus eſt primus annus Jubileus *Rome*.

A. D. M. CCC. LI. fundati ſunt Canonici Regulares. (*e*)

A. D. M. CCC. LIII. fuit coronatus Rex *Karolus*.

A.

(*b*) Id eſt fundamenta novæ eccleſiæ hodie ſuperſtitis poſita. (*c*) Ordinis S. Benedicti in Emaus. (*d*) Secta flagellantium. (*e*) Pragæ ad S. Carolum.

A. D. M. CCC. LVI. Quidam coronabatur ad Imperium, ſed poſt cervum currens mortuus eſt. (*f*)

A. D. M. CCC. LXI. natus eſt Rex *Wenceslaus* in *Norberga* civitate & ibidem eſt baptizatus in die Translacionis Sancti *Wencelai*.

A. D. M. CCC. LXIIII. nata eſt *Elizabeth* Ceſariſſa, & Regina Bohemie.

A. D. M. CCC. LXV. portate ſunt Reliquie S. *Sigismundi Pragam* in Vigilia S. *Wenceslai* de civitate *Aganenſi*.

A. D. M. CCC. LXVI. nata fuit *Anna* heres prima, & Regina *Anglie*.

A. D. M. CCC. LXVIII. natus eſt Rex *Sigimundus* Rex *Ungarie*.

Anno Domini M. CCC. LXX. natus eſt Rex ſeu Princeps *Johannes*. (*g*)

Eodem anno combuſta eſt civitas *Slana*, & populus multus in ea in die Sancti *Pangracii*.

A. D. M. CCC. LXXIIII. fuit inundacio magna aquarum in *Praga* usque ad octavam S. *Egidii* ante carnis privium.

Eodem anno fuit iterum magna aqua *Prage* usque S. *Leonardi*, (*h*) molendina, & multas domos deſtruxit.

A. D. M. CCC. LXXVIII. obiit *Karolus* Imperator in Vigilia S. *Andree*. Et eodem anno & die crematum eſt hoſpitale circa pontem in *Praga*. (*i*)

A. D. M. CCC. LXXX, & 81. (*k*) fuit peſtilencie per totam terram Bohemie, incepit a feſto S. *Margarethe*, & duravit usque feſtum Omnium Sanctorum.

A. D. M. CCC. LXXXX. vel XC. annus jubileus 2dus fuit *Rome*.

A.

(*f*) Veroſimiliter Ludovicus Bavarus intelligitur, qui in venatione ſideratione ictus de equo cecidit, ſed is jam anno 1347 mortuus. (*g*) Poſtea Dux Gerlicenſis & Budiſſinenſis, Regem vocat author, quod Regis fuerit filius, ita quoque Regum filiæ crebrius apud veteres Reginæ vocantur. (*h*) Eccleſiam. (*i*) Crucigerorum cum rubea ſtella. (*k*) Hic & duo ſequentes anni perturbata chronologia inſerti. Mirum: autho-

A. D. M. CCC. LXXXXIX. cremati ſunt Judei & domus eorum deſtructe ſunt.

A. D. M. CCC. XCII. obiit *Elizabeth Karoli* Regina & Imperatrix.

A. D. M. LXXXXVII. coronatus eſt Rex *Sigismundus* ad Regnum *Ungarie*.

A. D. M. CCC. LXXXXII. in vigilia S. *Nicolai* fuit magna inundacio circa *Pragam*, & celaria plena in hoſpitali, & circumquaque, & molendina deſtruxit.

A. D. M. CCC. LXXXXIII. vel XC. annus jubileus fuit *Prage* tempore Regis *Wenceslai*, & tempore *Johannis* Epiſcopi, & Archiepiſcopi.

A. D. M. CCC. XCIIII. Rex *Wenceslaus* fuit captivatus in civitate *Verona* in octava oſtenſionis Reliquiarum, ſcilicet in die *Stanislay*, & fuit dimiſſus poſt XV. ſeptimanas, Principe *Johanne* diſponente.

A. D. M. CCC. XCIX. In die S. *Nicolai* combuſtum eſt Pretorium cum multis armis in antiqua civitate *Pragenſi*.

A. D. M. CCC. XCVII. perfuſio data eſt Dominis quibusdam in *Carlſtein*, & loco pinguedine, ſanguine eorum perfunditur coquina per *Hanuſſium* Principem de *Opavia* ex mandato Regis *Wenceslai*.

A. D. M. CCCC. habundabant indulgencie in Bohemia, quia non fuit clauſtrum, quod indulgenciis Papalibus caruiſſet. Tunc avaricia ſacerdotum nimis dilatabatur. Tunc magni peccatores leniter abſolvebantur propter pecuniam. Tunc penitencia ſolum pecunialis injungebatur, unde predones, fures, homicide, & occulti magni peccatores proniores ad peccata reddebantur. Et tunc honor ſacerdotum, & poteſtas eccleſie cepit vilipendi.

Anno Domini M. CCCC. II. facta diſſenſio inter Magiſtros *Theutunicorum* & *Bohemorum* propter bullam Cruciatam ſuper *Ladislaum* Regem *Napolie* datam, hanc plebani *Theutunicorum* ſuſceperunt, & divulgaverunt, dicentes, non licet literas Domini Pape judicare, ſeu diffi-

authorem ſeu ſcribam, cum nonniſi numeris Romanis ubivis uſus fuiſſet, ipſumque annum 1380 numeris Romanis expreſſiſſet, ſequentem indicaturum cyphras Arabicas 81. adhibuiſſe.

finire, ſed obedire, Magiſtri vero *Bohemorum* dixerunt, bullam illam non eſſe Sacra Scriptura regulatam, addentes in verbis ſuis, non licet Pape ſuper Criſtianos crucem dare, niſi a fide receſſerint. Sed Magiſter *Johannes Huſs* contra bullam predicavit, & contra Plebanos, & Prelatos *Pragenſes*, mala eorum coram populo detegendo. Ideo citatur, (*l*) & appellacione facta ad futurum Papam, non paruit, ideo contumacia ſuper eum datur, & per totam *Pragam* interdictum propter eum ponitur, unde multi ex predicatoribus contra *Hus* predicabant, & populus laycalis eis reclamabat in eccleſia, quia huſsitice ſecte adherebant, & ſic contigit, & clerum & populum in *Praga* in ſe eſse diviſum.

A. D. M. CCCC. VII. Magiſtri Theutunicorum cum ſtudentibus ſuis exiverunt de *Bohemia*, eo quod a collacionibus, ſeu beneficiis mediis *Bohemis* cedere noluerunt, unde recedentes *Bohemos* confundebant hereticantes per univerſas terras, in quas diſperſi ſunt, ſed in viis multi ſpoliati, & percuſsi ſunt, quando *Bohemia* exiverunt.

A. D. M. CCCC. VIIII. ad augendum malum in *Bohemia* Archiepiſcopus alienigena nomine *Conradus* Theutunicus, & nigromanticus, qui antea fuit Camerarius terre, & vir ſanguinum judicia ſectans, iſte nullus protector cleri fuit, ſed ſpoliator, quia bona temporalia ab Epiſcopatu *Pragenſi* omnia alienavit, & militibus & ſecularibus & pro ſervicio dedit, cetera cum hystrionibus, & meretricibus vane expendit. Et quia per ſymoniam epiſcopatum obtinuit, ac multam pecuniam dedit, profectum nec felicitatem habuit, ſed in hereſim magnam decidit. Eodem anno Canonici *Pragenſes*, & Plebani divites eis adherentes in *Praga*, & circum ſpoliabantur, & percuciebantur, & diffamabantur a ſecularibus, ex conſenſu Regis *Wenceſlai*.

A. D. M. CCCC. IX. facta eſt viſitatio Plebanorum per manum ſecularium per totam terram *Bohemiæ* ex mandato Regis, & clauſtra omnino non preteriebant, tunc ſpoliati ſunt Plebani, & quidam varie confuſi, & captivati in mediaſtinum civitatis poſiti, nudi ducti, luto maculati, in aquas projecti poſtea confuſi, de ciuitatibus expulſi, tunc ceſsavit honor iterum. Et ſi quis ex ſecularibus talibus contradixit, ſtatim fuit ſpoliatus ab omnibus, & de civitate expulſus,

A. D.

(*l*) Romam.

A. D. M. CCCC. XV. Sinodus in *Conſtantia* celebrata fuit, & ibidem *Hus* hereſiarcha fuit combuſtus, quia noluit revocare ſuam hereſim, & poſt eum ſtatim *Jeronimus*.

Eodem amo Magiſter *Jacobus* hereſiarcha cum Magiſtris *Thentunicorum* de *Drazdan* (*m*) incepit communicare populum laycalem ſub utraque ſpecie contra conſuetudinem *Romane* eccleſie, & contra preceptum Sinodus *Conſtancie*, tunc multi ex Sacerdotibus ſimplicibus eis adheſerunt, & per totam terram diſcurrentes populum ſub utaque ſpecie communicabant, aſſerentes in predicacionibus, antiquos ſacerdotes fures eſſe hujus Sacramenti, tunc etiam parvulos in baptiſmo ſanguine & corpore *Criſti* communicabant, alia Sacramenta non curabant.

A. D. M. CCCC. XIX. Conſules Nove Civitatis de pretorio projecti ſunt, eo quod prohibebant communionem calicis, & proceſſiones populi in turbis.

Eodem anno Rex *Wenceslaus* Bohemie moritur pre nimio tedio, eo, quod videbat populum contra ſe inſurgere, & in caſtrum S. *Wenceslai* defertur, & in eccleſia collocatur, & poſt aliquot dies delatum eſt corpus ejus in *Aulam Regiam* tempore noctis.

Eodem anno multa mala pollitica in omni parte terre augentur, & ſuccreſcunt in Bohemia, ita quod non fuit aliquis homo in terra, qui eorum maliciam & turbacionem effugeret. Audi ergo mirabile & terribile de hoc populo, qui pre ceteris in mundo erat in ſcientia, virtute, & congregacione Dei illuminatus in ſanctitate & juſticia perfectus, & in laude, habundancia, & honore exaltatus, & ecce ſcientifici & illuminati in errores ceciderunt, & Clerus, qui plus ſapere, quam neceſſe, voluerunt, & ſimplices populi utriusque ſexus, qui in ſanctitate & juſticia ſtabant, ceciderunt, & malefactores facti ſunt, nullibi ergo ſecurum te reddas in hoc mundo, ne cadas, quia ut lux ſolis nebulis, ſic & viri clauſtrales errorum tenebris obumbrati ſunt, & deviaverunt.

(*m*) Id eſt Dresda.

A. ergo M. CCCC. XX. & ſequentibus convenit magna multitudo, populus laycalis obmiſſis paſtoribus, & parrochiis propriis, alienis ſacerdotibus per campos, montes, domos, vicos, & plateas predicantibus adherebant, predicabant autem illo anno diem Judicii extremi adeſſe, & omnia annihilanda eſſe, & ideo omnibus relictis eos ſequebantur. Altero vero anno videntes ſibi populum magnum adherere, predicabant laycis, omnia eſſe communia, & non ſolvere, nec cenſum Domino, nec decimas plebano, ſed ſolos eſſe Dominos. Convenit ergo magna multitudo populi circa *Usk Zazemonis*, *Tbabor*, (*n*) *Hradiſſt*, & venerunt cum corpore *Criſti Pragam*, & iſti nomen ſibi impoſuerunt *Tbaborite*. Alii venerunt de diſtrictu *Plznenſi* cum *Zizka*, qui inſtruxit eos cum curribus pugnare, & poſtea omnium hereticorum effectus eſt Dux. Alii autem venerunt de *Zacz*, *Luna*, *Slana*, & circum. Alii de *Grecz Regine*, & hos omnes *Pragenſes* ſuſceperunt cum honore, & paverunt multis diebus ſine ſalario. Et ibi fecerunt inter ſe conſilium, non habere Regem, neque Ceſarem, neque Dominos, neque nobiles, neque alicui eſſe Regi tributarios, ſed per ſe dominari. Clerum vero omnino nil habere dixerunt, quem primum perſequebantur, & ſpoliabant.

Cum autem Rex *Sigismundus* veniſſet in terram cum multitudine ad *Pragam*, ut coronam & regnum ſuſciperet, *Pragenſes* autem cum IIII. civitatibus, ſcilicet *Zacz*, *Klatovia*, *Grecz*, *Pieſek*, & aliquot Baronibus, & *Zizka* Regi reſiſtebant, & Rex ſermone Dominorum placatus, diviſit populum. (*o*)

A. D. M. CCC. XIX. congregavit Rex populum ad juvandum *Wyſſegradenſes*, ibique multi Barones interfecti a *Pragenſibus*, cum ergo *Pragenſes* viciſſent Regem, & multos Barones occidiſſent Bohemicales, iratus Rex venit iterum cum magna multitudine *Ungarorum* & *Tbartarorum*, qui & pueros in lanceis occiſos portabant, quibus *Zizka* cum *Pragenſibus* obvii, & vicerunt Regem cum ſuis, & multos occiderunt circa *Brodam* Theutonicalem, & Rex vix fugit. Tunc electores Imperia-

(*n*) Hæc vox poſteriore manu ſuperſcripta, erat vero Usk ad ipſum Tabórium. (*o*) Id eſt exercitum dimiſit.

riales de Reno cum magna multitudine nimis jacebant circa *Zacz*, & audientes, quod Rex eſſet fugatus, & ipſi timentes fugierunt, tunc *Zizka* cum Pragenſibus totam terram expugnabat, paucis reſiſtentibus eis.

A. D. M. CCCC. XV. *Hus* eſt combuſtus in *Conſtancia*, in octava *Petri & Pauli.*

Anno ſequenti *Jeronimus* conhereticus ſequebatur eum equipolenti pena.

A. D. M. CCCC. XXXII. in die *Marie Magdalene* fuit inundacio magna aquarum, & pons *Pragenſis* rumpebatur, & in *Crumlow* ambo pontes deſtruebantur.

INDEX

NOMINUM ET RERUM MEMORABILIUM.

A.

Aditare pro imponere in acta 166.

S. Adalbertus fundator monasterii Brzewnovienſis 5. 94.

Agnes Wladislai I. Regis filia Abbatiſſa S. Georgii, ditiones hujus monaſterii ſub ejus regimine 366.

Albertus Rom. & Boh. Rex Brzewnovium in ſuam protectionem ſuſcipit 173.

Aldysbach monaſterium 272.

Alexander IV. præcipit epiſcopo Prag. ut compeſcat Clericos 24.

Alexius Abbas Brzewnov. confirmatur a Ferdin. II. 227. ei Archiepiſcopus Prag. confirmat jurisdictionem in Parochiales eccleſias 229.

Alphabeti inciſio in duo conformia inſtrumenta majoris cautelæ ergo facta 385

Anaſtaſius primus Abbas Brzewniov. 6.

Ancona fulmine perit 312. 322.

Angelus Abbas Caſſinenſis 234.

Andreas Præpoſitus Pragenſis 9.

Andreas Abbas Willemovienſis fraternitatem init cum monaſterio Inſulano 404. 405. ſententia pro eo lata 407. 425. ejus crebra mentio 411. 412. 415. 417. 418. ei annuus cenſus venditur 420. promittitur ei a nobilibus defenſio 422. ad tempus vitæ villam concedit. 430.

Andreas nobilis emeritus miles fit Raygradii monachus.

S. Andreæ eccleſia Pragæ conflagrat, prodigium circa S. hoſtiam conſervatam 276

Anna Palæſtina nupta Carolo IV. 315. 485. parit filium Wenceslaum 318. moritur 485. *Swidniccnſis* tertia conjux Caroli IV. coronatur 323. *filia Caroli* IV. regina Angliæ 486. *filia Joannis Regis* gemella nubit Ottoni Duci Auſtriæ 267. Abbatiſſa S. Georgii hactenus incognita 343. 345. 348.

Antonius Archiepiſcopus Prag. primus Generalis Magiſter Crucigerorum tranſumit literas Brzewnow. 198.

Apuliæ regina mortem infert marito Regi 297.

Archidiaconeſanus pro Archiepiſcopo 359.

Archipresbyteri primi ad S. Georgium 342.

Arneſtus Archiepiſcopus Prag. eligitur in epiſcopum 290. 485. ejus laus 290. 291. æmulos habet & adverſarios *ib.* ad ſe defendendum Romam proficiſcitur. *ib.* conſecratur iſthic in epiſcopum 291. Pragæ ſolemniter excipitur *ib.* primus Archiepiſcopus creatur, fundamenta jacit hodiernæ baſilicæ metropolitanæ, conſecrat Litomiſlienſem Abbatem epiſcopum 292. confirmat Manſionarios Pragenſes 293. Auxilia dat Carolo adverſus Regem Poloniæ 294. intereſt coronationi Caroli Rom. Regis 299. Legatus ab eo miſſus Romam 300. Flagellantes Praga ejicit 316. Magiſtrum Theologiæ in Univerſitate Prag. fundat 317. Nicolaum Tribunum Romanum hæreſis condemnat 318. conſecrat epiſcopum Olomuc. 322. reſtis oculatus prodigii in reunione partis reſciſſæ S. Nicolai *ib.* 343. confirmat Willemoviæ cenſum annuum 404. ejusdem conſenſus 416.

Aſtronomorum Pariſienſium ſomnia 285.

Auguſtiniani eremitæ acquirunt Micro-Pragæ eccleſiam S. Thomæ 37.

Auguſtinus Abbas Brzewnov. confirmatur a Ferdinando II. 230.

Aulæ Regiæ Abbas Fridericus 131. in ejus fundis quæritur theſaurus 190.

Au-

Auſtriæ Duces Carinthiam a Ludovico Bavaro in feudum accipiunt, adverſus eos pro fratre inſurgit Carolus IV. & Joannes Rex 269. 270. 271. eis in auxilium feſtinat Ludovicus Bav. 272. eis prælium ſuadet, pacem ineunt cum Rege Joanne 273.

B.

Bacharaci celebratæ nuptiæ Caroli IV. cum Anna 315.

Balduinus Archiepiſcopus Trevirenſis ſimul Moguntinam & Spirenſem eccleſiam retinet 262.

Bartholomæus Abbas Podlazicenſis arbiter delectus 433.

Balthaſar de Thuſcia primus Profeſſor Medicinæ in Univerſitate Prag. 317.

Bavari Strakonicenſis filius Wilhelmus 72.

Bivarus Abbas Brzewnov. tranſigit cum epiſcopo Olomuc. 40. 42. concedit villam Vartenbergio, infulam Henrico Regi in abſentia coronæ imponit 46. vendit Stubam balnearem Pragæ, ejus ſigillum 51. fundat miſſam in aurora 53. ejus mors 57.

Beatrix altera conjux Joannis Regis 269. ſolemniter Pragæ excepta 27 . parit filium Wenceslaum, coronatur, minus accepta populo 275.

Beginæ adjutores mendicantium in Pragenſi tumultu 260.

S Benedicti ordo ſub principium Chriſtianæ religionis jam inductus in Bohemiam 1. habuit ſæculo XIV. adhuc eccleſias cathedrales 61 63.

Benedictini Slavi Pragæ fundamenta jaciunt monaſterio 310.

Benedictus XII eligitur, ejus renitentia humilitas 264. liberalis erga eccleſiam Lateran. & Cardinales *ib.* 65. non vult revocare ſententiam de quarta mendicantium *ib.* confirmat Collegiatam eccleſiam ad Omnes Sanctos 288. Diviſſii Abbatis Brzewnov. defenſionem ſuſcipit 58. confirmat monaſterii Brzewnov. privilegia 59. ejus bulla de celebratione Capitulorum 61. Declaratio illius, quod ſtatuta ſua non obligent Moniales Ordinis ejusdem. 65. controverſiam inter epiſcopum Prag. & Abbatem Brzewnov. committit Abbati Gradicenſi 66. reprobat fatiles diſpoſitiones mendicantium 265. Abbatiarum proventus tollit Cardinalibus, plura ſalubriter ſtatuit in Curia ſua 266. inter Regem Galliarum & Angliæ pacem conciliare ſtudet 276. moritur 287.

Beneſſius Canonicus ad S Georgium Pragæ ſcriba libri de Paſſione Domini & Gradualis 330. 348.

Berka Sbygnæus Archiepiſcopus Prag. 203. *de Duba* Burggravius Prag. 68. abſolvit a teloneo Brzewnovienſes 76.

Blania conjux Caroli IV. magnifice Pragæ excipitur, ejus genealogia 258. Filiam Margaretham parit 269. omnibus accepta 275. coronatur Pragæ 309. moritur. 314.

Bohemiæ regni & terræ clypeus ſæculo XIV. diverſus 331.

Bohuslaus Abbas Inſulanus fraternitatem init cum Willemovienſi monaſterio 403.

Boleslaus Pius fundat monaſterium Brzewnovienſe, auget, ejus Diploma non eſt ſubleſtum 5. 6. fundavit cum ſorore Mlada Parthenonem S. Georgii 342. 353. 354. *Dux Sileſiæ* donat Griſſovienſi monaſterio villam Landshut 22. confirmat donationem 23. donat manſos 23. emit Griſſau 39.

Bonifacius VIII. delegat cognitionem controverſiæ monaſterii Brzewnovienſis 42.

Bonifacius IX. concedit Abbati Brzewnov. ut terna infula in divinis officiis uti poſſit 127. ſub immediatam protectionem Apoſtolicæ Sedis monaſterium recipit 128. incorporat ei eccleſias Parochiales 111. inſtitutionem Præpoſitorum Abbati competere declarat 113. indulgentias concedit *ib.* 114. altare viaticum Abbati, minorum ordinum collationem, & abſolutionem ab irregularitate concedit 123. 125. 127. confirmat Abbatem Willemovienſem, 432. item omnes Parochiales eccleſias 435. 446. 448.

Borzi-

Borziwogius primus Dux Christianus 342.
Braunæ advocatiam emit Martinus Abbas Brzewnov. 32. civitas locata monasterio reddi præcipitur 56. vexatur a militeHungarico per septem annos 474. 475. impignorata redimitur 476. cum monasterio conflagrat 478. castrum a rebellibus civibus capitur 480.
Braxatura seu coctura cerevisiæ olim omnibus Parochis indulta 165.
Brzetislaus Dux confirmat donationem Epponis militis, plures villas monasterio Brzewnov. confert, Rayhradensem cellam in monasterium transformat 6. monasterium Brzewnov. reparat 94. fundat monasterium Raygradense 475.
Brzewnovium ordinis S. Benedicti monasterium primum omnium in Bohemia erigitur, ejus archivum membranis abundans 2. fundator S. Adalbertus, reparator Dux Brzetislaus 94. Hussiticis turbis direptum 4. augetur monasteriis Raygradensi, Policensi, Oppatovicensi 6. 7. 8. ejus Præpositura in Zaton 12. ecclesiæ conceduntur indulgentiæ 22. vexatur a Pragensibus 23. 24. confirmantur ejus privilegia 24. villam Crasitz item Zepi recipit 29. 30. ditiones illius commutat & Ottocarus II. 33. Parochiam Braunæ acquirit 35. controversiam componit cum Capitulo Wissehradensi *ib* eidem decimæ, item fructus parochialium ecclesiarum obvenit 48. eximuntur villæ 54. Brunam civitatem recipit 56. incorporantur Parochiales ecclesiæ 66. 93. 111. liberatur exactionibus 72. legatur Curia in Hrdle 97. emptio novarum ditionum conceditur 106 sub immediatam Sedis Apostolicæ protectionem suscipitur 128. jus sanguinis ei conceditur 128 laus illius 155. recuperat fundos 157. ejus villæ temporibus Hussiticis oppignorantes 166. confirmantur privilegia a Sigismundo 170. Albertus Rex in protectionem suscipit, item Ladislaus 173. Georgius Rex confirmat privilegia 174. Wladislaus Rex ejus pagos oppignorat 178. prohibet ejus ditiones abalienari 182. LudovicusRex reluitionem ditionum concedit, & confirmat privilegia 183. 185. in ejus fundis quæruntur thesauri 190. Præpositi jubentur præstare obedientiam Abbati 197. reducitur in id post pugnam Albo montanam Præpositus, deplorandus illius status 224. 226. pagus monasterio adsitus conflagrat 481. jurisdictio in Parochiales ecclesias ei noviter confirmatur 229. annullatur attestatum adversus exemptionem 230. ei originem debet monasterium Willemovicnse 374. 375. ejusdem memorabilia 473.
Brunensis seu Brumensis & Brumovicnsis provincia pro Braunovicnsi accepta 27.
Bruno eligitur episcopus Olomuc. 19. jusPatronatus in Rayhrad eidem datur *ib.* 20. interest Comitiis Pragæ 25.
Budico Abbas Willemovicnsis transfigit cum Pabienicziis 395.
Brunæ coronatur Carolus IV. 299.
Burgrecht idem quod jus emphyteuticum 92.

C.

Carinthia in feudum datur Ducibus Austriæ 269. eam obtinent 273.
Carmelitæ Pragæ fundantur 310. 485.
Carolus IV. nascitur 484. nomen baptismale Wenceslai in Francia mutat in Caroli nomen, laus adolescentiæ 256. e Francia rediens Pragæ magna solemnitate exceptus, regnum desolatum restaurat 257. palatium regium magnificum exstruit, castra oppignorata reluit, fit Marchio Moraviæ 257. sorori suæ Annæ Znoymæ nuptias solemnes parat 268. insurgit pro vindicanda fratri Carinthia in Duces Austriæ 269. nascitur ei filia Margaretha *ib.* immittit se nomine patris in Ducatum Wratislaviensem *ib.* 270. in Hungariam cum patre proficiscitur *ib.*, in Carinthiam exercitum ducit *ib.* argentarum staturarum ad sepulchrum S. Wenceslai author & benefactor præcipuus 274. ei pater minus addictus, cogitur alienis stipendiis vivere 275. fundat collegiatam ecclesiam in castro Prag. ad Omnes Sanctos 288. ecclesiam metropolitanam Pragensem eri-

erigit, fundat in ea Manſionarios 292. cum patre in auxilium Ducis Oppaviæ feſtinat 294. eligitur & coronatur ſin Romanorum Regem 299. 485. cum patre Rege Franciæ adverſus Anglos proficiſcitur 300. cum ſummo periculo patre cæſo e prælio educitur 301. Pragæ univerſitatem erigit 302. 303. ſubjugatis hoſtibus in Tyroli Pragam redit, coronatur Rex Bohemiæ *ib.* pretioſiſſimam coronam comparat, quam aſſignatis annuis redditibus cuſtodiæ Capituli Pragenſis tradit *ib.* cum exercitu adverſus Ludovicum Bavarum procedit 310. Ratisbonam & Norimbergam occupat *ib.* Carmelitas & Benedictinos Slavos Pragam inducit *ib.* 311. Fundat novam civitatem Prag. *ib.* moritur ei prima conjux Blanca 314. Annam ducit uxorem 315. 485. a Waldemario Sycophanta Brand. Duce decipitur 315. eum in Ducatum reducit *ib.* fratri Joanni confert Marchionatum Moraviæ 316. Univerſitati de idoneis Magiſtris providet *ib.* 317. reliquiæ Imperiales ei extraduntur, obviam illis procedit cum ſolempnitate, plures alias Metropolitanæ eccleſiæ donat 319. Wiſſehradum muris cingit, fundat Canonicos Regulares in Carlshof 321. Nobiles rebelles domat 322. Lombardiæ plures civitates ſe ſe ei ſubjiciunt *ib.* quatuor altaria in eccleſia Prag. ſtruit *ib* ducit tertiam conjugem 323. ejus Diploma Brzewnovio datum 75. confirmat ejusdem monaſterii jura & privilegia 77. 78. 79. Oppidis Willemov & Habern forum hebdomale concedit 409. eidem inſcripſit Franciſcus Canonicus Pragenſis locupletiorem Chronicam Pragenſem 246. 247. 250. 253. obiit 486.

Carolus Rex Hungariæ cum Joanne Rege pacis conditiones init 270. cum eodem in Moravia conſilia capit 271. *Archiepiſcopus Pragenſis*, ejus conceſſio Brzewnovio facta 219.

Carlshof fundantur Canonici Regulares 321. 485.

Carlsſteinii occiduntur Nobiles a Duce Oppaviæ juſſu Wenceslai Rom. Regis 487.

Cartuſiani fundantur ad Pragam 285. 485.

Cartuſiæ Litomiſslienſis primus Rector Joannes 95.

Caſimirus Rex Poloniæ redimit regnum a Joanne Rege Boh. Pragæ multa ſolemnitate exceptus 270. cum Joanne conſilium in Moravia init 271. Rutenorum terras devaſtat 282. ejus regnum Tartari invadunt, a Rege Joanne auxilia implorat 283. Margaretham viduam Joannis Regis ducturus Pragæ magnifice vivit 284. invadit Nicolaum Ducem Oppaviæ, revertitur, cæditur illius miles 294. treugas facit 295.

Caſtulus Abbas Willemoviens. 459.

Catharina filia Caroli IV. nubit Rudolpho Duci Auſtriæ 323.

Chotko de Rziczano teſtis 402.

Chriſti de paupertate illius vana diſceptatio mendicantium Monachorum 265. perſonæ longitudo quæ antiquis credita, & quæ vulneris menſura 332.

Chrudimenſis Parochialis eccleſia incorporatur Brzewnovio 95.

Chriſtianus Abb. Brzewn. vide Criſtannus.

Chuno Abbas Brzewnovienſis impetrat incorporationem Policenſis cellæ 8.

Cladrubienſis monaſterii ditiones oppignorantur a Sigismundo Imp. 177. expilatur a militibus 478. Vitus Abbas eligit cum aliis Abbatem Brzevnovienſem 211. Joannes Abbas a militibus captivus abducitur, vix capitis periculum evadit 478.

Clemens VI. committit Abbati Brzewnovienſi cognitionem cauſæ Wiſſehradenſis 72. confirmat Manſionarios Pragenſes 293. approbat electionem Caroli IV. 300. Sermone publico eum laudat *ib.* Studium Generale Pragæ erigit 302. 303. indulgentias concedit 304 Annum Jubilæum a centeſimo ad quinquageſimum reducit 305. 306. moritur 312.

Clemens XI. declarat nonniſi privilegia Caſſinenſium quoad indulgentias Brzewnovienſi Abbati & monaſterio competere 239.

Clemens Abbas Brzewnovienſis facit villæ permutationem 17. ejus chronologia emendatur 18. 181. committitur ei a Papa relaxatio excommunicationis 19. conceditur ei villarum permutatio 21. venduntur illi pagi 181. emit

emit plures villas 480. contra eum Braunenſes & Policenſes ſubditi conſpirant, reſignare cogitur, moritur *ib.*

Colda Ordinis Prædicatorum Lector ad S. Clementem Pragæ author MS. libri paſſionem Chriſti ſub parabola militis exhibentis, ejus iconographia 330. Dedicat librum Cunegundi Abbatiſſæ 368. 369. 373.

Colenda pro hodierna Coleda ſumptum 354.

Compilatio brevis Chronologica 483.

Conſtantiæ in Synodo cremati Huſs & Hieronymus 489.

Conſtantinus Imp. in Lateranenſi eccleſia a lepra mundatus 307. eccleſiæ & Clero poſſeſſiones conceſſit 339.

Conradus Archiepiſcopus diſſipator rerum eccleſiæ Prag. male vapulat 488. *Epiſcopus Olomucenſis* ab adminiſtratione ſuſpendi præcipitur 18 19. *Electus Paſſavienſis* donat monaſterio Griſſovienſi Landshut 22.

Cruciata indicta contra Regem Neapolis Ladislaum primorum tumultuum Huſſiticorum cauſa 488.

Criſtannus Abbas Brzewnov emit villas, ejus Chronologia emendatur 35. eccleſiam S. Thomæ Micro Pragæ cedit Ordini S. Auguſtini 37. tranſigit cum civibus Pragenſibus 38.

Crugerio fuit locupletius exemplar, Franciſci hactenus editis cognitum 242 249.

Cunegundis filia Regis Ottocari II. Abbatiſſa S. Georgii ei liber dedicatus 329. 368. iconographia illius 329. primum Monialis S. Claræ demum nupta Duci Maſſoviæ, ex qua filiam Perchtam genuit, poſtea ad S. Georgii Parthenonem tranſiens eodem anno factæ Abbatiſſa 33. 346 præcipua benefactrix monaſterii ſui 355. ejus laus 368. 369. 371. ſeq. ejus chronologia obitusque dies reformatur 353. 373.

Curimii prodigium circa ſacram hoſtiam 277.

Cypri Rex cædit Turcas, ejus de hac re epiſtola 295. 296.

Czaſtalovicz, Potho de teſtis 96.

D.

Daniel II. epiſcopus Prag. 9.

Denarii ſimiales, falcaſtrales, fumales certum præſtationum genus 73. parvi, eorum valor 345.

Dextera in nubibus in antiquis picturis & numis, quid notet? 332.

Dietrichſtein Cardinalis 482.

Dionyſius Præpoſitus Wiſſehradenſis 20. *Abbas Brzewnovienſis* ſucceſſor Przedborii 79.

Directorium Regni Bohemiæ ſub Friderico Palatino præcipui nominantur eorum ſigilla 221.

Diviſſius Abbas Brzewnovienſis ejus chronologia 58. electus 480. Ericino pro legatis libris anniverſarium, & 13 ſcholaribus prandium conſtituit annuum 111. ad dies vitæ villam tradit 115. 128. 152. emit Pragæ domum Sternbergicam 118. obtinet confirmationem omnium jurium & privilegiorum 120. Altare viaticum ei a Papa conceditur 123. item benedictio cœmeteriorum, & minorum ordinum collatio, diſpenſatio ab irregularitate, denique ut terna infula in Divinis uti poſſit 125. 127. limitum controverſiam componit 130. lanei venditionem admittit 133. vendit curiam 135. aquarum ductum per Wiſſehradenſe territorium accurat 138. 139. omnibus oneribus eximit curiam 143. fundat Miſſam in aurora 144. conſentit invenditionem Curiæ, erectionem altaris confirmat *ib.* ejus ſigillum 145. conceditur illi venditio ditionum, aliarumque emptio 148. annuum cenſum eccleſiæ in Klumin aſſignat 154. laus illius 155. permutat cenſus 158. mors illius 159. 162. omnium Abbatum diutiſſime vixit 476.

Dluhomilus Abbas Brzewnovienſis, confirmantur ei privilegia 9. tranſigit cum Abbate Gradicenſi 10. confirmatur illi Policium, item habet cum epiſcopo Prag. *ib.* 11. definitur a Papa 16. 17.

Drahy idem quod via comunis.

E.

Eclypſis ſolaris cauſæ 279.

Eliſabetha regina Boh. nata 486. *filia Wenceslai II.* nubit JoanniRegi 484. concedit venditionem vineæ Strahof. monaſterio 54. moritur 485. *de Grecz* dicta obit 269. ejus ſigilli deſcriptio 177. *gemella filia* JoannisRegis 267. *Caroli IV. conjux* moritur 487. *Abbatiſſa S. Georgii* ejus chronologia 350. ejus teſtamentum 359.

Emaus monaſterium Benedictinorum Slavorum fundatur ad Pragam 310. 311. 485. ejus Abbas eligit inter alios Abbatem Brzewnovienſem 207.

Epo Præfectus Belinenſis donat monaſterio Brzewnov. villam Cebranice 6. 445.

Erectionum libri eccleſiæ Prag. digniſſimi typo 93.

Ericinus Theologiæ Magiſter in Univerſitate Prag. legat libros Brzewnovio 111.

Erneſtus Archiepiſcopus Pragenſis Cardinalis confirmat Brzewnovio jurisdictionem in Parochiales eccleſias 229.

F.

Ferdinandus I. confirmat Brzewnovio privilegia 185. conſentit in oppignorationem 189. 191. præcipit ut Præpoſiti obedientiam præſtent Abbati Brzewnov. 197. confirmat eidem cenſus annuos 195. confirmat Willemovienſi monaſterio ſua jura & privilegia 468. Uſum calicis Romani Imperii terris impetrat, ejus laus, moritur 481.

Ferdinandus II. confirmat Alexium Abbatem Brzewnov. 227. item Auguſtinum 230.

Flagellantes veniunt in Boh. 316. 485. ejiciuntur 316.

Florentia ſe Carolo IV. ſubjicit 322.

Forum pro contractu & emptione acceptum 415.

Franciſcus Canonicus Pragenſis concionator in eccleſia Metrop. Prag. 261. Pœnitentiarius ſupremus tam Joannis epiſcopi, quam Arneſti Archiepiſcopi 246. 251. ejus ætas 250. biographia 251. rei aſtronomicæ peritus 252. dedicavit Chonicam ſuam Pragenſem primum Joanni epiſcopo, dein Carolo IV. *ib.* 253. difficultates circa hanc dedicationem ſolvuntur 248. & ſeq. Chronicon AulæRegiæ paſſim exſcripſit 252. liber ejus tertius locupletior diverſoque ordine ab editis inventus 242. 243. 244. ejusdem deſcriptio 245. in re proſodaica non admodum felix 285. teſtis prodigiiſe recuperati viſus ad ſepulchrum S. Wenceslai 321.

Fridericus Dux Olomucenſis donat Abbati Brzewnov. locum Granice 7. ejus Diploma 8.

Friſones cædunt invaſores ſuos Hollandos 298.

Fumales denarii a laneis ſoluti 70. a caminis 73.

G.

Gallus Abbas Brzewnovienſis curiam in emphyteuſin tradit 174.

Gebhardus epiſcopusPrag. confirmat fundationem Oppatovicenſem 7.

Geczmo Abbas Brzewnov. prætermiſſus in Serie Abbatum 169.

S. Georgii Parthenon Ordinis S. Benedicti ſimul cum erecto epiſcopatu Pragenſi cœpit 2. prematura ejus initia ſtatuit Hammerſchmidius 327. eccleſia fundata per Wratislaum I. Ducem. *ib.* ejus primi miniſtri ante inductas Moniales 342. qui per eas ejecti *ib.* 343. ſucceſſere quinque Canonici prebendati, eorum officia *ib.* ſub Cunegunde illis admiſſi Vicarii 355. vi extrahitur mater Waldeckiorum 340. monaſterii clypeus vetus 331. fragmentum MS. e codice vetere reſiduum de-

deſcribitur 324. 325. alius ejusdem archivi MS. codex 328.

Georgius Rex Brzewnovio privilegia confirmat 174.

Gledomaſtus Simeon Præpoſitus Brzewnov. poſt pugnam Albo-montanam illico reſtituitur in poſſeſſiones diruti & adhuc ardentis monaſterii 225.

Gradicium Ord. S. Benedicti cœnobium ad Olomucium fundatur 7. Abbas tranſigit cum Abbate Brzewnovienſi 10.

Graduale vetus quid? 348.

Gregorius IX. committit inquiſitionem controverſiæ inter Abbatem Brzewnov. & epiſcopum Prag. 10. 11. confirmat jura & privilegia Brzewnovienſia *ib.* committit inquiſitionem villæ Zaton. 12. ejusdem ſententia 16. 17.

Gregorius XII. confirmat fundationem Diviſſii Abbatis 155.

Gregorius epiſcopus Pragenſis decimas Brzewnovienſi monaſterio cedit 44. ejus ſigillum 46.

Gregorius Abbas Brzewnov. ejus chronologia emendatur 179. Willemovienſi monaſterio de Abbate proſpicit 378. Præpoſituram Raylradenſem Petro ultimo Abbati Willemovienſi committit 477.

Griſſov monaſterio in Sileſia donatur Landshut 22. confirmatur donatio ſilvæ 23. donantur manſi 26. venditur 39.

B. Guntherus, ob ejus amorem Brzetislaus Dux plures villas donat monaſterio Brzewnovienſi 6. ejus interceſſione mira patrantur 28. viſio ad ejus ſepulchrum 29. ejus canonizatio urgetur Romæ *ib.* ob ejus memoriam indulgentiæ conceſſæ 114. ejus lipſana transferuntur 238. 241.

H.

Habern fit oppidum 409.

Hæretici trucidant inquiſitorem Hæreticæ pravitatis Pragæ 285.

Hammerſchmid indiligenter uſus MS. Codice S. Georgii 326. 327.

Haſenburgii an iidem cum Leporibus de Waldek 340.

Henricus Dux Bavariæ gener Joannis Regis Boh. hæres, Ottone Bavariæ Duce demortuo 261. ejus filius Joannes deſponſatur filiæ Caſimiri Regis Poloniæ 270. auxilium pollicetur adverſus Duces Auſtriæ, ejus terras vaſtat Ludovicus Bavarus 272. in Lithuania munimentum conſtruit 274. moritur 283. *Dux. Cariuthiæ* ante Rex Bohemiæ moritur 269. *Dux Wratislavienſis* moritur 269. *Abbas Brzewnovienſis.* ei donatur locus Granice 7. ſerius refertur a Ziegelbauero *ib.* commutat terras 8. deponitur 479. *Abbas Lucenſis* 23.

Hermannus Abbas Brzewnov. 170. 476. rebelles ſub eo Braunenſes & Policenſes cum iis concordiam init *ib. Abbas Willemovienſis* 381. *Abbas Altabenſis* urget Canonizationem B. Guntheri 29.

Hermetis dictum de eclypſi ſolis & lunæ ſi uno menſe contingat 296.

Hieronymus Pragenſis hæreſiarcha crematur 489. 491.

Hinco epiſcopus Olomucenſis diplomata duo Brzewnovienſia tranſumi facit, ejus chronologia 58. mors 258. *electus epiſcopus Camineuſis* Cancellarius Imp. Wenceslai 435.

Hollandiæ Dux Friſonum terras involat, creditur, occiditur 297. 298.

Hoſtislava Abbatiſſa S. Georgii 354.

Hoſtislaus Vicarius Generalis Prag. 347. 360.

Huſs Joannes contra bullam cruciatam prædicat, ob id interdictum per Pragam poſitum, citatur Romam 488. crematur 489. 491.

Huſſitæ evertunt Brzewnovium, rebelles Abbati 476.

Huſſulæ quid 354.

I.

Jacobellus item Jacobus dictus hæreſiarcha pri-

privus communionem ſub utraque etiam parvulis præbet 489.

Jacobus Abbas Brzewnov. abalienat duas villas 479. privilegia ei confirmantur a Ferdin. I. ejus chronologia 185. moritur 478.

Jaroslaus Abbas Willemovienſis concedit ad tempus vitæ villas 389. 391. Wenceslaus II. ei confirmat privilegium 390. ratificantur ei pagi 394. duas villas in emphyteuſin concedit 384. commutat villas cum epiſcopo Prag. 387. 388. 362. elocat 389. vendit 396. 397. fraternitatem cum monaſterio Portæ Apoſtolorum init 399. diſtrictum Bojanovienſem ad dies vitæ concedit 400.

Jenczonis officialis Curiæ Archiepiſcopalis ſententia 425.

Joraſalem monaſterium in majore civitate Prag. in Parochia S. Stephani minoris 118. 119. 124. 139.

S. Ignatii M. caput donat eccleſiæ Metrop. Carolus IV. 319.

Infulæ & peda non tam mature Abbatibus noſtris conceſſa, ut noſtri ſentiunt 377. 431

Innocentius IV. Papa imperat ſuſpenſionem Conradi epiſcopi Olomucenſis 18. relaxationem excommunicationis committit Abbati Brzewnovien. 19. indulgentiam dat eccleſiæ ejusdem 22. cognitionem cauſæ Brzewnovienſis committit Abbati Lucenſi 23.

Innocentius VI. fit Papa, conſecratur 322. annuæ ceræ ſolutionem præcipit Plebano Chrudimenſi 79. inſtitui jubet Plebanum in Walcz 142. confirmat Brzewnovio incorporationem Parochialium eccleſiarum 144. Brzewnovienſibus carnium eſum a ſeptuageſima concedit 145.

Innocentius VII. inveſtituram in Parochiali eccleſia præcipit 448. 455.

Inſulani monaſterii Abbas Bohuslaus 403.

Interpunctionum notæ paſſim ſcribarum ingenio & ſolertia ſucceſſive enatæ 328.

Inundatio magna 286. 486. 487. 491.

Joannes Boh. Rex ducit Wenceslai II. filiam uxorem 484. coronatur *ib.* vituperatur 256. 274. 281. Fruſtra quæritur a Legatis Bohemiæ 262. ducit alteram uxorem Beatricem 268. haſtiludia frequentat *ib.* 269. redit Pragam, expeditionem bellicam adornat, revocat, concordiam init cum Ludovico Bavaro *ib.* filium Carolum in Ducatum Wratislavienſem immittit *ib.* 270. in auxilium generi Henrici properat 272. præoccupat Ludovici Bavari irruptionem in Bohemiam, cum Auſtriæ Ducibus pacem init, aufert ſtatuas argenteas ſepulchro S. Wenceslai deſtinatas 273 in Pruſſiam cum Ordinis Teutonici milite movet 274. excœcatur, medicum ſubmergit 275. 281. 485. aſſiſtit ſine regalibus indumentis Beatricis coronationi *ib.* filio Carolo minus favet *ib.* 282. cum Carolo filio in Hungariam proficiſcitur, Caſimiro Regi Poloniæ regnum vendit 270. gravat exactionibus Bohemiam *ib.* 271. 273. 276. ab eo Ludovicus Bavarus repetit Egram & caſtra Imperii 270. contra Duces Autriæ procedit, terras eorum vaſtat 271. Pragæ defoſſos theſauros quærit 271. cum exercitu in Moraviam procedit *ib.* invitatur a Rege Franciæ ad bellum Anglicum 276. fundat ad Pragam monaſterium Carthuſienſe 285. cum filio feſtinat in auxilium Ducis Oppavienſis, Cracoviam uſque illum perſequitur, hic milites creat 294. treugas facit 295. intereſt electioni filii in Romanorum Regem 299. impetrat a Papa per triennium decimam eccleſiaſticam, eximit ditiones Brzewnovienſes 54. civitatem Braunam monaſterio vindicat 56. quasdam ditiones illi confirmat 57. 59. concedit commutationem & elocationem terrarum 67. Willemovienſi monaſterio jura ſua & privilegia confirmat. In auxilium contra Anglos a Rege Franciæ evocatur 300. eos inſequitur, cœcum ſe in aciei locum, quo maxime laborat deduci jubet, belli cadit 301. 485.

Joannes XXII. Papa decimam eccleſiaſticam ad triennium Joanni Regi concedit 54. ejus ſententia de viſione beatifica 262. 263. ab eo diſpenſationem petit Otto Dux Auſtriæ 267. moritur 261. 264.

Joannes XV. monaſterium Brzewnov. in protectionem Sedis Apoſt. recipit 6.

Joannes filius Regis Joannis Boh. naſcitur 484. ſuccedit Henrici Duci Carinthiæ 269. cogitur cedere Carinthia retento Comitatu Tyrolis 273. cum uxore & terris privat Ludovicus Bavarus 283. divortium cum eo facit uxor 287. creatur miles ad Cracoviam 294. accipit marchionatum Moraviæ 316. capit Wenceslaum Rom. Regem 487. conſentit in vendi tionem villæ Brzewnovienſis 76. ejus ſigillum 77.

Joannes filius Heinrici Ducis Bavariæ nepos Joannis Regis deſponſatur puer filiæ Caſimiri Poloniæ Regis 270. moritur 283.

Joannes I. Archiepiſcopus Prag. confirmat teſtamentum Eliſabethæ Abbatiſſæ S. Georgii 361.

Joannes II. Archiepiſcopus Prag. incorporat Parochialem loci eccleſiam monaſterio Willemovienſi 434.

Joannes II. epiſcopus Pragenſis controverſiam habet cum Abbate Brzewnovienſi 10. 11. 16. 17.

Joannes III epiſcopus Pragenſis concedit Brzewnovio eccleſiam Parochialem in Braunau 35.

Joannes IV. & hujus nominis ultimus epiſcopus Prag. donat fructus quarundam Parochialium eccleſiarum monaſterio Brzewnov. 49. easdem illi incorporat 66. ejus ſigillum 49. controverſias habet cum Abbate 65. Franciſcus Canonicus Prag. ei dedicat ſuos 3. libros Chronicæ Pragenſis 246. 247. mendicantibus eripit cathedram in eccleſia Prag. 260. Franciſcum in ea prædicatorem denominat 261. Altare S. Silveſtri transfert 272. 346. vigiliam S. Viti abrogat 272. Raudnicenſis pontis conditor 286. ratificat permutationem pagorum 393. ſuſpenſus ab adminiſtratione temporalium & ſpiritualium 400. ejus teſtamentum, laus, tumbam S. Adalberti argento & auro veſtit, ſibi æneum ſepulchralem lapidem apparat, anniverſarium fundat, moritur 289. 290.

Joannes epiſcopus Olomucenſis ex Wiſegradenſi Præpoſito eligitur 258. moritur 322. *epiſcopus Viennen's* Abbatialem benedictionem impertit Mathiæ Abbati Brzewnov. 186. *epiſcopus Lacedomonienſis* indulgentias dat monaſterio Brzewnov. 39. Præpoſitus omnium Sanctorum fit epiſcopus Olomucenſis conſecratur ab Arneſto Archiepiſc. Prag. 322.

Joannes a Chotow Abbas Brzewnovienſis eligitur 192. 477. confirmatur ab adminiſtratoribus Archiepiſcopatus Prag. 193. in tutelam regiam recipitur 123. Abbatialem benedictionem obtinet ab Abbate Saarenſi Suffraganeo Olomuc. 194. confirmantur ei literæ 198. 215. redimit duas villas 479. reædificat eccleſiam Raygradenſem *ib.* extorquentur ab eo villæ 480. ei infeſtus Præpoſitus Raygradenſis 481. *Abbas Portæ Apoſtolorum* cum monaſterio Willemow. fraternitatem init 398.

Jodocus Marchio Moraviæ, per eum expedit Majeſtales ſuas Wenceslaus Rom. Rex 156.

Joſephus I. Imp. confirmat privilegia Brzewnovienſis monaſterii 238.

Jubilæus annus Romæ a centeſimo ad quinquageſimum reducitur 305. 306. 320. 485. ſecundus 486. 487.

Judæi cremati 486. captivantur, emunguntur pecuniis, trucidantur 271. 277.

K.

Kalendarum, Iduum, & Nonarum conſignatio in chartis publicis quo tempore deſierit in Bohemia 67. 68.

Klatowsky Joannis ſomnia de Theobaldicis Ducibus 377.

Kollovrath Joannes Adminiſtrator Archiepiſcopatus Prag. confirmat Abbatem Willemovienſem 179. 460. Nicolaus 181. Joachim 200.

Kruffina de Lichtenburg occiditur 476.

L.

Ladislaus Rex Neapolis adverſus eum Cruciata indicta prima cauſa tumultuum per Huſſum excitatorum 287.

Landshut donatur monaſterio Griſſovienſi 22.

Landſtein Wilhelmus, ei datæ Majeſtates irritantur 58.

Laferanenſi in eccleſia Conſtantinus Imp. a lepra mundatus 307.

Leo X. confirmat Brzewnovio omnia privilegia 183. monaſterio Willemovienſi ſub pœna excommun. ablata reſtitui jubet 464.

Leopoldus Imp. confirmat Thomam Abbatem Brzewnov. 232. item Ottmarum Abbatem 235. reprobat Commiſſarios epiſcopales ad electionem Præpoſiti Raygradenſis miſſos *ib.*

Leuchtenburg ſeu Lichtenburg caſtrum ad Habern 409.

Lichtenſtein Carolus Dux reduci jubet Præpoſitum Brzewnov. in poſſeſſiones 224. 225. de triſti monaſterii iſtius fato notitia datur 226.

Lipa Czenho de.. obrutus a milite Polono captusque 295.

Litomiſslienſis epiſcopatus erigitur 292. 485 *epiſcopus* Albertus, Gelito 93. Prælati Capituli 96.

Lituani, adverſus eos exercitum movet Joannes Rex 274.

Locuſtæ depaſcunt Bohemiam 278. 485.

Ludovicus Bavarus Rom. Rex ejicit epiſcopos a Papa ordinatos ſuosque ſubſtituit 261. concordiam init cum Joanne Rege, Carinthiam Ducibus Auſtriæ in feudum dat 269. a Joanne Rege repetit Egram & caſtra Imperialia 270. in auxilium Ducibus Auſtriæ caſtra Joanni Regi adverſa ſtatuit 272. diſcedit cum exercitu 273. Joannem filium Regis Joannis terris & uxore privat 283. equo lapſus perit 310. 485 *ejus filius* Carolo IV. reliquias imperiales extradit 319.

Ludovicus Rex Boh. Brzewnovio reſtitutionem ditionum concedit 183. confirmat ejus privilegia 185.

Lunæ definitores 280.

Lupacio locupletius exemplar Franciſci hactenus editis ad manus fuit 242. 248.

Lupi Blaſii Decani ad Omnes Sanctos ſententia 452.

M.

Manſionarii fundantur Pragæ 293. 485. eorum officium, numerus 293.

Marca levis, item regalis 350. 366. gravis 362.

Margaretha regina Boheminæ reſtituit villam Craſſicz monaſterio Brzewnow. ejus literæ confirmantur 44. *filia Joannis Regis* vidua venit Pragam 283. Regi Poloniæ ſponſa paratur, moritur *ib.* in Aula Regia ſepelitur 284. *uxor Joannis Ducis Carinthiæ* divortium facit, nubit Marchioni Brandeburgenſi 287.

Marſilia peſte omnes incolas amittit 313.

Martinitz Borzita Hinco Mareſcallus Boh. 185. *Bernardus* ſupremus Burgravius 235.

Martnus I. Abbas Brzewnov. confirmantur illi privilegia 24. CapellanusRegius 25. commutat villas 26. 27. Terra Cocorum ei confertur 28. ejus viſio apud ſepulchrum B. Guntheri 29. litem componit 30. villam Zepi recipit *ib.* advocatiam in Braunau emit 32. commutat terras 33. conceditur ei facultas Parochos in Braunau inſtituendi & deponendi, controverſiam componit, 35. ejus chronologia emendatur 37. *Martinus* II. oppignorandi fundos licentiam obtinet 199. 210. permutat villam 475. reſignat Abbatiæ ob ſenectutem, falſæ criminationes quorumque 203. 204. 207.

Mathias Boh. Rex confirmat Brzewnovio privilegia, item duos contractus 220. *Archiepiſcopus Moguntinus* confirmat epiſcopum Olomucenſem 258. *Abbas Brzewnovienſis* benedictionem Abbatialem obtinet 186. confirmat Jacobo judicaturam 187. oppignorat pagum 189.

189. ſub eo monaſterium & civitas exuſta Braunæ 479. moritur 477.

Matthæus Ferdinandus Archiepiſcopus Prag. Congregationem Bohemicam Ord. S. Benedicti unit Caſſinenſi 234. 240.

Meinardus Abbas Brzewnov. prædiis pluribus donatur, intereſt fundationi monaſterii Gradicenſis 7. 475.

Mendicantium Ordinum Pragæ ingentes tumultus cum Plebanis 259. 260. concordiam ineunt, amittunt cathedram in Eccleſia Metrop. *ib.* de quarta funerali agunt in Curia Papæ 265. eorum de paupertate Chriſti ludicra ſententia 265. 266.

Michael Præpoſitus Glaczenſis Canonicorum Regularium 176.

Milada (Mlada) cum Boleslao Duce fundatrix Parthenonis S. Georgii 353. 354.

Moraviæ Marchionatus confertur a Carolo IV. fratri Joanni 316.

N.

Nero a lupis creditus devoratus 340.

S. Nicolai digiti pars abſciſſa cruentata, reunitur 322.

Nicolaus III. Papa confirmat monaſterio Willemovienſi omnia privilegia 385. id in protectionem Sedis Apoſt. recipit. 386.

Nicolao epiſcopo Prag. præcipitur, ut Conradum epiſcopum Olomucenſem ab Adminiſtratione ſuſpendat 18. 19. Clericos Pragenſes compeſcat 24. *Przemislienſis epiſcopus* concedit Brzewnov. eccleſiæ indulgentias 78. ejus ſigillum 79. *Dux Oppaviæ* invaditur a Rege Poloniæ 294. *Tribunus Romanus* Sycophanta ad Carolum IV. accedit, hæreſis damnatur 317. 318.

Nicolaus Abbas Brzewnovienſis, ad eum literæ Innocentii Papæ 18. commutat terras 164.

Nicolaus Abbas Willemovienſis confirmatur a Bonifacio IX. 432. taxam ſolvit pro ſepulchro S. Wenceslai 434. tranſigit de villis 440. 441. cedunturilli pagi 455 elenodiorum redemptio ab Abbate Trebicenſi committitur 457. cum eo transigitur *ib.* tranſigit cum Plebano in Walicz 458. *Nicolaus III. Abbas Willemow.* inveſtitur 459. ei omnia jura Wladislaus Rex confirmat 461. arbitrum conſtituit 463.

Nova civitas Pragenſis fundatur 485.

Nova domo Henricus de . . & Utco teſtes 382. *Nicego* 383. *Jocelinus* Cancellarius Ferdinandi I. 197.

O.

Obedientia pro præbenda & officia 357.

Oblatæ ſpecies placentularum 354.

Oboſa ita olim dicta eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Micro-Pragæ ad hoſpitale Italicum 90.

Oheb mons in eo prohibetur caſtrum exſtrui 396. reſtituitur 406.

Olomucenſis epiſcopatus bona præcipiuntur ſequeſtrari 19. *epiſcopus* fit ſuffrageneus Archiepiſcopi Pragenſis 292.

Omnium Sanctorum collegiata eccleſia in caſtro Prag. fundatur 288. 289.

Opersdorf Wilhelmus de Duba Commiſſarius Regius 470.

Oppatovicz monaſterium fundatur a Wratislao Rege 7. ſubjectum Abbati Brzewnovienſi *ib. Abbas* Andreas 18. vendit Griſſau 39.

Oppaviæ Dux Hanuſſius cædit Nobiles Carlſteinii 487. Nicolaus invaditur a Rege Poloniæ 294

Oſtrozne taxa Regia Neoelectorum Abbatum tumbæ S. Wenceslai a Wenceslao Rom. Rege donata 434.

Oſtrovienſis monaſterii Abbas Bohuslaus 403.

Ottmarus Abbas *Brzewnovienſis* confirmatur 235. eidem privilegia Caſſinenſium nonniſi quoad indulgentias competere declaratur 239.

Otto Dux Auſtriæ ducit Annam filiam Regis

gis Joannis 267. *Dux Bavariæ* junior moritur 261.

Ottocarus II. Rex Boh. ejus filia Cunegundis Abbatiſſa S. Georgii 330. neptis Perchta *ib.* commutat terras cum monaſterio *Brzewnov.* 20. 26. 27. 33. eximit a ſervitutibus quasdam eccleſias *ib.* renovat privilegia Brzewnov. 24 terram Cocorum confert 28. jurisdictionem Policenſis circuitus ei vindicat *ib.* villam Zepi reſtituit 30. conſentit in permutationem villæ Cebranice 475. eximit monaſterium Willemovienſe 382. 384.

P.

Pabienicz Wolkmarus & Wilhelmus de . . fratres vendunt villam Trebunicz 35. Hrabiſſius tranſigit cum Abbate Willemovienſi 394. Ulricus adminiſtrator epiſcopatus Pragenſis 395. 400. moritur 261. Petrus & Ulricus fratres 406. *Pabienicziorum* Genealogia emendatur, iidem ſunt, qui Wildſteinii, & Woraczieczkii 377.

Panowicz fratres cedunt monaſterio Brzewnovienſi civitatem Braunaü poſt mortem ſuam 56. eorum ſigilla 57.

S. Paula & Euſtochium hortatrices fuere S. Hieronymo ut libros divinos ex hebraico in latinum ſermonem transferat 372.

Paulus Abbas Brzewnovienſis, ceditur illi curia in Liboez 180. ejus chronologia reformatur 181. Hujus nominis III. vir miræ fortitudinis reſignata Abbatia moritur 476.

Perchta filiola Cunegundis Abbatiſſæ ſuſcepta ex Duce Maſſovienſi 330.

Peregrinus epiſcopus Prag. teſtatur villam monaſterio Willemow. donatam 381.

Peſtilentia 312. 313. 314. 320. 486.

S. Petri eccleſia in caſtro Pragenſi exſtincta 341.

Petrus Præpoſitus Wyſſehradenſis, ejus Chronologia erronea 34.

Petrus Abbas Brzewnovienſis 7. tranſumi facit veterem chartam 176. 177. geſta illius tempore 474.

Petrus Abbas Aulæ Regiæ, ejus narratio 261.

Petrus Abbas Willemovienſis ad dies vitæ concedit villam 429. ei uſus infulæ & pedi conceditur 431. 433. molendinum, laneos, villam locat 401. 402. 407. 415.

Petrus ultimus Abbas Willemovienſis 378. confirmationem privilegiorum impetrat exſtincti jam monaſterii 468. depellitur Præpoſitura ſua 477. fit Præpoſitus Raygradenſis, reſignat, privatam vitam agit, ſtruit ſacellum S. Andreæ 478.

Philippus Rex Franciæ captivat omnes noqui cum Joanne Rege haſtiludia frequentarunt, ad illius preces eos dimittit 258. 268. 269. invitat Joannem Regem ad Bellum Anglicum 276. *Oſtienſis epiſcopus* legatus apoſtolicus per Bohemiam 42.

Pikardi adjutores mendicantium Ordinum in tumultu Prag. 260.

Pileus Cardinalis incorporat eccleſiam Parochialem Chrudimenſem Brzewnovio 93. concedit indulgentias, ejus ſigillum 97. 101.

Plenarium pro Miſſali 345.

Pnyewicz iſthic prodigium circa ſacram hoſtiam 276.

Podiebrad Groznata de . . teſtis 382.

Podlazicenſis monaſterii Abbas Bartholomæus 443.

Pœnitentiarii ſupremi munus Romæ & in cathedralibus eccleſiis 251. 252.

Policzium eremitorium ſubordinatum Brzewnovio 8. 10. in Powodow forum acquirit 23. vindicatur a judicio Glaczenſi 28. jus ſanguinis ei conceditur 30. impignoratum reluitur 476. rebelles ſubditi coercentur *ib.* pagum reluit *ib.*

Polonia venditur Caſimiro a Joanne Boh. Rege 270. eam occupant Tartari 282. deſcrunt eam multis abductis Chriſtianis 283.

Pomuk Joannes Vicarius Generalis 434.

Portæ Apoſtolorum cœnobium, ejus Abbas Chriſtannus, rariores ejus memoriæ 34.

Ab-

Abbas Joannes 398. monaſterii ſigillum 399.
Pragæ rumpitur pons 286. 287. 485. erigitur Metropolitana eccleſia 292. univerſitas 302. 303. 485. pro fabrica eccleſiæ elemoſynam conferentibus Papales indulgentiæ dantur 304. fundatur nova civitas 311. Imperiales reliquiæ huc deferuntur 319. eccleſiæ metropolitanæ fundamenta jaciuntur 485. Vetero Pragæ prætorium comburitur 487. Neo Pragæ Conſules de feneſtris ejiciuntur 489. Inquiſitor hæreticæ pravitatis ad S. Clementem occiditur 285. propter Huſſi prædicationes interdictum poſitum 488. Teutonici ſtudioſi eam deſerunt *ib.* Canonici & Clerici ſpoliantur *ib.* Parochi excommunicant Ordines mendicantes, inde ingens tumultus 259. 260. in eam admittuntur Thaboritæ aliique tumultuantes hæretici 490.
Pragenſis Archiepiſcopatus adminiſtratores: Joannes Kollovrath 179. Valentinus, Joannes a Puchow 192. 194.
S. Procopii monaſterii Abbas Stanislaus Thomanides elegit Abbatem Brzewnovienſem 209.
Procopii Marchionis Moraviæ domus Pragæ empta a Brzewnov. Abbate 118.
Przedborius Abbas Brzewnovienſis. ad eum Bulla Benedicti XII 65. 66. ſilva locanda illi conceditur, vendit 68. 74. ejus ſigillum 75. Carolus ei concedit *Braunæ* duos Judæos patres familias exemptos *ib.*
Przemysl Rex concedit monaſterio Brzewnov. complura privilegia 9. confirmat permutationem terrarum, donationes *Boleslai* Ducis *ib.* confirmat bullam Joannis Papæ 10. *Dux Bohemiæ* Henrico Abbati confert villam Chilichi 8. *filius* Joannis Regis naſcitur 484. *Marchio Moraviæ* pluribus privilegiis donat monaſterium Raygradenſe 13.
Puchnik Nicolaus Vicarius Generalis 434.

R.

Raudnicenſis pons conditus a Joanne epiſcopo Prag. non ruptus exundatione 286. iſthic anniverſarium idem epiſcopus ſibi fundavit 290.
Ravenna motu terræ pene interiit 313.
Raygrad in Moravia donatur monaſterio Brzewnovienſi 475. cella in monaſterium transformatur 6. prædiis augetur *ib.* 7. donatur pluribus privilegiis 13. 15. jus Patronatus accipit epiſcopus Olomucenſis 19. de illo transigitur 40. hujus monaſterii memorabilia 473. exuritur 476. expilatur per milites 478. eccleſia major reſtauratur 479. bis conflagrat 477. Præpoſiti loci: Trojanus obiit 476. Valentinus 477. Simeon 179. 459. 460. Dominicus mortuus 477. Blaſius, ejus laus, occiditur 478. Sebaſtianus moritur 497. Adamus infeſtus Abbati ſuo Joanni 481. Joannes 482.
Reliquiæ Imperiales Pragam deveſtæ 319.
Retz Comes de . . filiam Ducis Oppaviæ ducit uxorem 268.
Robertus epiſcopus Olomucenſis, ejus ſigillum, confirmat privilegium Raygradenſe 15.
Romæ urbis laus 305.
Rudolphus II. Imp. concedit *Brzewnovio* oppignorationem bonorum 199. confirmat contractus 202. 215. Abbatem Wolfgangum 217. vendit bona monaſterii Willemovienſis, & monaſterium penitus abolet 469. 472. *Dux Auſtriæ* ducit Catharinam filiam Caroli IV. 323.
Rutenorum Rex religionem Chriſtianam inducere meditatus occiditur 282.

S.

Saarenſis Abbas Wenceslaus ſimul ſuffraganeus Olomuc. 194. Ambroſius 469.
Sazavienſium Abbatum Series mutila 34.
Stanislaus Thomanides Abbas 209.
Sbineo Archiepiſcopus Prag concedit eccleſiæ *Braunenſi* item *Brzewnovienſi* indulgentias 177. 178. ejus ſigillum *ib.* Arbiter delectus 152.
Schellenberg Cancellarius Regni ſub Wladislao II. 180. 183. 461. 463.

Sexa-

Sexagena groſſorum ſub Joanne Rege appenditur 64. groſſis 49. ſub Carolo IV. etiam 89. groſſis *ib.*

Siffridus Abbas Strahofienſis confirmat cenſum annuum 34. 160.

S. Sigismundi reliquiæ Pragam allatæ 486.

Sigiſmundus Imp. natus 486. coronatus in Regem Hungariæ 487. cum exercitu venit Pragam, eum dimittit 490. Wiſſehradenſibus obſeſſis in auxilium venit, cæditur *ib.* oppignorat monaſteriorum terras 166. 168. 170 171. Brzewnovio privilegia confirmat 170. Willemovio annuorum cenſuum venditionem concedit 458.

Silveſter Papa per baptiſmum liberat Conſtantinum Imp. a lepra 307

Siniales denarii 73.

Simeon Præpoſitus Raygradenſis fit Abbas Willemovienſis 179. 459. 460.

Slana conflagrat 486.

Sobiehrd Regis Przemislai Subdapifer commutat terras cum Abbate Brzewnov. 8. 9.

Solis definitiones 279.

Sophia haſtenus incognita Abbatiſſa S. Georgii 343. 347. 348. 357.

Steni montes, qui? 28.

Stephanus Cancellarius Arneſti Archiepiſcopi Canonum Profeſſor in Univerſitate Prag. 317.

Sternberg Albertus epiſcopus Litomiſſlienſis Brzewnovio concedit Parochialem eccleſiam Chrudimenſem 94. Joannes vendit domum 118. 119. Zdeslaus teſtis 383. Jeſco 401.

Strakonicz Wilhelmus de .. exactionibus liberat monaſterium Brzewnovienſe 72.

Strahofii celebrata Comitia Regni 25. vineæ venditio ei conceditur 54. Abbates: Siffridus adhucdum incognitus 34. Joannes 186. Lohelius 213.

T.

Taboritarum origo, aſpernantur Cæſarem, Regem, Dominos, Clerum 490.

Tabularum regiarum in Bohemia origo 334.

Talenſes groſſi iidem qui Joachimovallenſes 480.

Tartari Poloniam occupant, recedunt 281. 282.

Teplicenſi Parthenoni Benedictino conceditur reluitio ditionum a Ludovico Rege 183.

Terræ motus 312. 313. 322. 485.

Teutonicus Ordo ſuas quoque Moniales habuit 274.

Theobaldus Dux Czaslavienſis &c. metas cum monaſterio Willemov. ſtatuit 380. Falſo Klattovienſis Dux aſſeritur 381. Theobaldæorum chartæ admodum raræ 376.

Theodoricus epiſcopus Olomucenſis tranſigit cum Abbate Brzewnov. 40. *Abbas Brzewnovienſis* tranſumi facit diplomata 58. ei privilegia confirmat Joannes Rex 59. peculiare ejusdem elogium *ib.* *Præpoſitus Doxanenſis* 60.

Thobias epiſcopus Prag. prohibet decimas exigi a ſubditis Brzewnov. 36. commutat villas cum Abbate Willemovienſi 387. Czechonem inſtituit plebanum in Marcovicz 388. ejus chronologia, ſigillum 36.

Thomas Sartorius Abbas Brzewnov. confirmatur 232. ejus literæ gratiarum actoriæ 235.

Thuſciæ civitates ſe ſe Carolo IV. ſubjiciunt 322.

Trebicenſe Ord. S. Benedicti monaſterium in Moravia 61 ejus Abbas Naczko dat Willemow. Abbati poteſtatem redimendi clenodia 457.

Tſchaska Abbas Oppatovicenſis vendit Griſſau 39.

Trophi quid? 352.

Turci vincuntur 295.

Tynenſis Collegiata eccleſia 34.

Tyrolim obtinet Joannes Joannis Regis filius 273.

U. V W,

Valdek Wilhelmus Lepus de .. ejus filii ex eccleſia extractam matrem in carceres conjiciunt, ad ſummam paupertatem redacti 340.

Valdemarus Dux Brandenburg. Sycophanta a Carolo IV. in Ducatum reducitur 315.

Vartenberg Beneſſius villam Probodow ad tempus vitæ accipit 46.

Udalrici primi libri Tabularum regni ita a nomine Notarii appellati 334.

Veitmühl Beneſſius alium titulum præfixit Chronico ſuo quam Franciſcus 248. incognitus Lupacio & Weleslavino 249. excerpſit Chronicon Franciſci 252.

Velehradenſe monaſterium a Marchionibus primis Moraviæ dotatum 13. ejus Abbas Stephanus 459.

Veleslavino locupletius exemplar Franciſci hactenus editis ad manus fuit 242. 248. 249.

S. Venceslaus ſepultus in capella S. Joannis 342. ejus tumbæ exornandæ donatur a Wenceslao Rom. Rege taxa regia Oſtrozne 434. ad ejus tumbam gratiæ ſanitatum impetratæ 277. 308. 321. 322.

Venceslaus I. Boh. Rex confirmat Abbati Brzewnov. Policium 10. renovat privilegia 12. item monaſterio Raygradenſi 13 permutationem villarum confirmat 17.

Venceslaus II. concedit jus ſanguinis Policio 40. confirmat literas Margarethæ Reginæ 44. exuit monaſterium Bzewnov. a ſtructura pontium 47. confirmat Willemovio privilegium Ottocari II. 390.

Venceslaus Romanorum Rex filius Caroli IV. natus 486. tumbæ S. Wenceslai donat taxam regiam Oſtrozne 434. captivatur, dimittitur 487. occidi jubet Nobiles Carlſteinii 487. jus Patronatus in Raygrad concedit epiſcopo Olomuc. 20. indulget Abbati Brzewnov. permutationem villarum *ib.* 21. item emptionem bonorum 106. confirmat privilegium patris Caroli 118. Wenceslai II. 119. innovat omnia jura 12. confirmat emptionem domus 124. eidem monaſterio concedit jus ſanguinis 128. item venditionem bonorum, aliorumque in vicem emptionem 148. auget eandem conceſſionem 150. eximit id per 4 annos a bernis regalibus 155. moritur, nocte ſepelitur in Aula Regia 489.

Venceslaus filius Joannis Regis ex Beatrice naſcitur 275. *filius Caroli IV.* ex Anna naſcitur 315. moritur 321. *Abbas Saarenſis* Suffraganeus Olomuc 194. *Abbas Willemovienſis* 459.

Veronica pro vera Salvatoris icone jam ſæculo XIV. adhibitum 332.

Uhrziczium Præpoſitura monaſterii Willemovienſis 378. confirmatur a Wladislao II. 461. a Ferdinando I. 468. eo depellitur ultimus Abbas Willemow. 477.

Viaticum liber ritualis 365.

Vicarii Generales Pragenſes Jenczo 88. 425. Nicolaus Puchnik & Joannes Pomuk 434.

Vildſteinii iidem cum Pabienicziis 377. 406.

Vilhalmſcella ita primum dictum Willemovium 382.

Vilhelmus electus epiſcopus Olomuc. cedit juri ſuo 19.

Villacum motu terræ corruit 313. 314.

Villemow Ordinis S. Benedicti monaſterium originem ſuam debet Brzewnovio 374. ejus progreſſus fata 377. 378. Series Abbatum 379. 380. metæ deſignantur 380. villam acquirit 381. eximitur ab Ottocaro II. 382. 384. confirmantur illi privilegia a Papa 385. in protectionem Sedis Apoſtolicæ accipitur 386. venduntur ejus villæ *ib.* villam Ruzen elocat 389. confirmatur privilegium Ottocari 390. confraternitatem init cum monaſt. Portæ Apoſtolorum 398. cum monaſterio Inſulano 403. a Carolo IV. forum pro Habern obtinet, fit oppidum 409. venditur illi hæreditas 423. pars fluminis Sazavæ donatur 427. Abbates infulam & pedum obtinent 430. pendit taxam pro tumba S. Wenceslai 434. ei incorporatur Parochialis loci eccleſia 434. item aliæ in Bohemia & Moravia 435. 436. 437. cedit ei villa 438. ſententia lata contra impetitonem bonorum 448 habet conſervatores Pont. Scios jurium & privilegiorum 451. 452. annuorum centuum venditio illi conceditur 458. Wladislaus II. ei jura & privilegia confirmat 460. Leo X. ſub pœna excommunicationis omnia ablata reſtitui jubet 464. confirmantur privile-

legia a Ferdinando I. 468. venditur cum terris omnibus a Rudolpho II. & in proprietatem datur ſæcularibus 469.

Wiſſegradum muris cingitur 321. Præpoſituræ concedit Ludovicus Rex reluitionem ditionum 183. eccleſiæ Decanus Joannes Czam 138. ejus ſigillum 139.

Wladislaus II. Rex Boh. privilegium dat Brzewnovienſi monaſterio, promittit ſe ſe pagum non abalienaturum 178. 179. 182. confirmat jura & privilegia monaſterii Willemovienſis 460. terras ablatas ei reſtitui jubet 461.

Wladislaus Marchio Moraviæ dotator monaſterii Wellehradenſis 13.

Ulricus Abbas Brzewnovienſis vendit curiam cum braſiatorio 84. villam elocat 86. ſatisfacit Pothoni de Czaſtalowicz 90. 91. vendit duas villas 92. emit annuum cenſum 93. obtinet incorporationem] Parochialis eccleſiæ in Chrudim 94. fundationem anniverſarii ſuſcipit 101. ejus chronologia 84. 186. 476.

Univerſitas Pragenſis erigitur 485. de excellentibus magiſtris & proventibus ei proſpicit Carolus IV. 316. 317. diſſenſio inter Magiſtros Bohemos & Teutones exorta 487. 488.

Unos quale fuerit judicium? 70.

Volfgangus Selender Abbas Brzewnovienſis eligitur, inveſtitur 203. 208. 211. 213. 214. unde agnomen de Proſchwicz duxerit 210. confirmatur a Rudolpho II. 217. confirmantur ei contractus & privilegia 220.

Volframus Archiepiſcopus Prag. confirmat literas Brzewnovio 128. ejus teſtimonium de ſatisfactione ſubditis facta 139.

Woraczieczkii iidem cum Pabieniciis & Wildſteiniis, eorum Genealogia emendatur 377.

Vraeza hactenus incognita Abbatiſſa S. Georgii 343.

Vratislavienſis Ducatus Sileſiæ ad Bohemiam redit 270. alius iſtius nominis Ducatus in Bohemia Chrudimenſi conterminus 381.

Wratislaus Dux fundator eccleſiæ S. Georgii moritur, ejus dies anniverſaria 342. 353. 359.

Wratislaus Rex Boh. confirmat fundationem Gradicenſem 7. Oppatovicenſem cellam in Abbatiam erigit 7.

Urbanus IV. Papa confirmat privilegia Brzewnovienſia, indulgentias impertitur 30.

Urbanus V. confirmat ſententiam latam pro Abbate Brzewnov. 84.

Urbanus VI. detentores terrarum & rerum Brzewnovienſium ferit fulmine eccleſiaſtico 104. 107. concedit Abbati ſolemnem benedictionem intra Miſſam & veſperas 110. denique inſulam & pedum 431.

Vürben Joannes Franciſcus ſupremus Cancellarius Regni 238.

Z.

Zaton Præpoſitura monaſterii Brzewnov. 12.

Zdeno Abbas Brzewnov. prætermiſſus in Serie Abbatum 57.

Zderaſienſis monaſterii ditiones oppignorantur 166. 171.

Zdiarenſis Abbas Ambroſius recognoſcit literas 469. Wenceslaus ſuffraganeus Olomucenſis 194.

Ziegelbaueri Epitome Brzewnovienſis minus diligenter ſcripta 4.

Zierotin Fridericus obtinet bona Willemovienſis monaſterii 47.

Ziffridus Abbas Brzewnovienſis confirmat cenſum annuum 160.

Zizka Thaboritarum ceterorumque hæreticorum bellidux 490. Bohemiam fere totam expugnat 401.

Znoymæ Carolus Marchio Moraviæ ſorori Annæ nuptias ſolemnes apparat 268.

ERRORES TYPOGRAPHICI.

Pag.	*lin.*	*loco*	*lege.*
12	29	Romo	Romæ.
44	9	diligentur	diligenter
47	12	noſtra	noſtræ
47	9	Couventus	Conventus
55	31	Abbatiſſæ	Abbatis
65	4	Expedientia	experientia
66	19	ſie	ſi
75	36	labere	latere
109	18	mullatenus	nullatenus
169	24	habimus	habuimus
258	3	MCCCXXIV.	MCCCXXXIV.
267	5	mutantſ	mutuanti.
278	10	alique	alibique
303	ult.	magiſteri	magiſterii
345	14	odicionum	adicionum
434	26	Wenteslai	Wenceslai
436	4	collegiis	collegis
436	19	propuctorum	productorum
437	21	quod	quoad
439	9	&	&
447	16	converum	conſuetum
457	penult.	Myvem	Myxem
478	21	exornabant	exonerabant.

A. M. P. J.

Tab. I.

Digitized by Google

Tab. II.

Tab. III.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google